



**Corpus Juris Canonici, Per Regulas Naturali Ordine
Digestas, Usuque Temperatas, Ex Eodem Jure, Et
Conciliis, Patribus, Atque Aliunde Desumptas, Expositi**

Opus, Tum In Rebus Obscuris Claritate, Tum Dispersis Collectione ac
delectu, in contrariis conciliatione, eximium, simulque Indicibus ac
Præfationibus, Notisque quamplurimis & exquisitis illustratum, ; In Tres
Tomos divisum


Complectens Prolegomena Ad Jus Canonicum In Se Et Universim
Consideratum

Gibert, Jean-Pierre

Coloniæ Allobrogum, 1735

Pars Posterior.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-74413](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-74413)



EXPOSITIO JURIS CANONICI,

P E R

REGULAS NATURALI ORDINE DIGESTAS,
EX ILLIUS CORPORE, AUT ALIUNDE DESUMPTAS.



PROLEGOMENA

Ad JUS CANONICUM per REGULAS exponendum, in quibus
Jus illud *in se*, vel *in genere*, spectatur.

PARS POSTERIOR,

Continens quæ ex CORPORE JURIS potissimum desumpta.

Per *Regulas* JUS CANONICUM exposituris nobis prius tractanda sunt,
1º. Quid sit. 2º. Quæ sunt ejus *Causæ*. 3º. Quæ *Partes*. 4º. Qui *Fontes*
illarum *Partium*. 5º. Quæ *Verborum* quorundam, quibus utitur, *Significatio*.
6º. Quæ totius *Juris* istius *Generales Regulae*. 7º. Quæ cætera velut *Juris*
Principia; eoque nomine *Concilia*, *Patrum Sententia*, *Rescripta*, *Consuetudo*,
quæque ad illorum *explicationem* necessaria.

TITULUS PRIMUS.

Quid sit JUS CANONICUM?



MISSIS variis nominis,
CANON, Acceptionibus,
quas videre est in *Prenotionibus Canon.* Lib. I. C. I.
& in *Apparatu* GONZALEZ,
p. 12. n. 30. idque quia ad
praxim cognitio ipsarum ni-
hil conferat, à *Natura* *Juris*
Canonici incipimus, ipsam-
que ut explicemus, *Defini-*
tionem hujus *Juris* statim adducimus. Postquam
monuerimus;

I. Jus ita dici, quia *Iustum* est: *Can.* 2. *Dist.* I.

Tom. I.

seu à *Iusto* deduci, idemque significare, ac id quod
iustum est.

II. *Canonicum* à *Canone*, qui idem ac *Regula* so-
nat, desumi; ideòque, hac voce aliud nihil intelli-
gi, quàm *Regulare*.

III. Quodlibet *Jus*, dummodò nomini suo res-
pondeat, vocari posse *Canonicum*, ex eo quòd *Regula*
sit rectè dirigens: attamen id nomen *Juri*, de quo
loquimur, reservatum esse, ut à quovis alio distin-
guatur; eoque modo distingui debuisse; tùm quia
quovis alio rectius est, si cùm solo *Humano* compa-
retur, tùm quia *Jus Naturale*, & *Jus Divinum*, à
quibus *rectitudinem* suam mutuatur, quorumque
sepius

sapius mera est Promulgatio cum adjectione Pœnæ, his vocibus *Naturale & Divinum* satis discernuntur.

His præmonitis, *JUS CANONICUM* definimus. *Fidei Morumque Regulam, ab Ecclesiâ constitutam, ad æternam vitam conducentem.*

Veritas Definitionis partebit ex *Symboli Decalogique* expositione, per Regulas à Jure Canonico desumptas. Interim, explicatur hæc Definitio.

Dicitur *Regula*; quia rectè dirigit. Additur, *Fidei*; quia hoc Jure determinantur quæ credenda, quæ non credenda, quæ expressè credenda, quæ confusè credere sufficiat. Res enim Fidei ab eo clarè definita, credenda est, & expressè credenda, ab iis, quibus nota est & clara hæc Definitio. Res verò Fidei non definita, vel obscurè, credenda non est: vel eam confusè, id est, in aliis, in quibus videtur contineri, credere sufficit.

Additur, *Morum*; quia alia jura exponit, quæque præcipiunt, vel prohibent, manifestat, atque ad illa faciendâ Promissis, Præmiis, similibusve modis, excitat, & ad ista vitanda, additis Pœnis, movet. Notandum obiter circâ Mores, duplex *Morum* genus esse. Alii sunt *Interni*, quos regit *ETHICA*; alii *Externi*, quos dirigit *POLITICA*: isti bonum *Publicum*, illi verò bonum *Privatum* immediatè tangunt: Cùm verò æterna Electorum Salus sit omnium hujus mundi rerum finis, cùmque etiam pax & tranquillitas temporalis sit medium congruum ad pacem & tranquillitatem æternam, Mores *Externos* ad *Internos* referri necesse est.

Adjicitur, *ab Ecclesiâ*; quia hujus Juris est genitrix. Adduntur cætera, quia Finis Ecclesiæ hoc Jus condentis, est, ut ducat ad felicitatem æternam.

Ut autem hæc Definitio congruat Corpori Juris Canonici hoc jus continenti, adjiciendum, quòd sit *Collectio Regularum ab Ecclesiâ factarum, aut ex Verbo Dei scripto, traditione, erutarum.* Posteriori modo spectatum Jus Canonikum Definitur, in *Prænotionibus Canonici L. 1. cap. 1. n. 17.* Systema rerum Sacrarum: quæ Definitio non exacta; cùm Sacris Bibliis etiam conveniat, cùmque, quæ Juri Canonico singularia sunt, non explicat. Quæ subjungitur *ibid.* aptior est, videbis illam cum cæteris ad illam pertinentibus: multa quoque in *eodem Capite* habes curiosa, de Nominibus hujus Juris illorumque Origine.

Hinc patet quantum præ *Jure Civili* emineat *Jus Canonikum*: verum id clariùs patebit ex mox dicendis circâ Juris Canonici *Causas*, ubi has præminentias de industriâ notabimus; sed priùs videndum in quibus *Jus Canonikum* cum *Jure Civili* conveniat & differat, ut magis innotescat hujus Natura, quæ mox exposita est, ejusque præ *Jure Civili* excellentia postea ex professo observandâ erit.

§. I.

In quibus JUS CANONICUM cum JURE CIVILI præcipuè conveniat.

REGULA.

Jus Canonikum cum *Jure Civili* non in aliis præcipuè convenit, quam in istis.

1. Sub nomine *Juris*, tanquam *Species* sub *Genere*, utrumque comprehenditur. *DIST. I. 1.* Jus enim pluribus modis *l. pen. de Just. & Jure.*

2. Ut *Jus Civile* dicitur *Lex*, ita & *Jus Canonikum* dici potest *Lex*; quia *Lex* nihil aliud significat quam *Norma*, vel *Mensura*: ac utrumque competit Juri Canonico; Hinc, quæ de *Lege* in genere dicuntur, Juri Canonico, ut *Civili*, applicari possunt. *ibid. 2. Lex à delectu nomen habet CIC. lib. 1. de Legibus.*

3. Utrumque est *Humano-Positivum*, id est, ab *Homine* positum; in quo pariter differt à *Jure*, quod *Deus* Juri naturali adjecit, quodque idèd est *Divino-Positivum*, id est, à *Deo* positum, & à *Jure Naturali*, quod omnibus *Homnibus* indidit, eique ad-

jecit, pro *Judæis* vel *Christianis*. *Cap. 7. E. DIST. III.* Naturalia Jura divina quâdam providentiâ constituta semper firma atque immutabilia permanent: *Civilia* verò sæpè mutari solent. *§. pen. Inst. de Jure Nat. Gent. & Civili.*

4. Utrumque differt à *Jure Gentium* ita dicto, quòd omnes ferè *Gentes* eo utantur; quod neutri convenit. *cap. 9. E. DIST. IV.* *Jus Civile* à *Jure Gentium* distinguitur, quòd omnes *Populi*, qui *Legibus & Moribus* reguntur, partim suo proprio, partim communi omnium jure utuntur. *§. 1. d. 1. de Jur. Nat. Gent. & Civ.*

5. Utrumque, prout scriptum est, differt etiam à *More*, qui est longa *Consuetudo*, & *Jus* non scriptum. *cap. 3. & 4. E. DIST. V.* Constat *Jus Civile* aut scripto aut sine scripto. *§. constat. d. tit.*

6. Utrumque dividi potest in *Publicum*, quòd respicit *Personas* publicas ut *Sacerdotes & Magistratus*, Resque *Sacras*; & in *Privatum*, quòd *Personas* privatas, Resque *Profanas* spectat. *Cap. 11. E. DIST. VI.* *Jus* vel est *publicum* vel *privatum*: *Publicum*, quòd ad statum rei *Romanæ* spectat: *Privatum*, quòd ad singulorum utilitatem. *§. fin. Inst. de Just. & Jure.*

7. Sicut sunt alia *Juris Civilis* Divisiones; nempe, in *Jus Militare*, quo reguntur, quæ *Militiam* profanam spectant, & *Jus Quiritum*, sive *Romanorum*, quo quædam propria *Romanis* diriguntur: ita sunt alia *Juris Canonici* Divisiones, nimirum, in *Jus Militiam Sacram*, quam exercent vel *Clerici*, vel *Regulares* cujusvis *Nationis*, dirigens; & *Jus Gallorum*, quo specialia quædam *Gallis*, reguntur, qualia sunt, quæ vocantur *Privilegia Ecclesiæ Gallicanæ*, aliave familia *cap. 10. 12. E. DIST. VII.* De *Jure Militari* agitur *intoto Tit. Dig. de Re Militari.*

8. Quemadmodum *Civilis Jurisprudencia* constat ex *Legibus*, *Constitutionibus*, *Edictis*, *Senatus-Consultis*, *Jurisconsultorum Responsis*, & *Plebiscitis*; ita *Canonica Jurisprudencia* similibus *Juris speciebus* coalescit; si *Plebiscita* excipias, quæ erant *Leges à Plebe conditæ*, quales nullæ sunt *Leges Ecclesiasticæ*. *C. 3. de Consuet.* qua damnatur *consuetudo*, quâ dictum *Populi*, in *Causis Ecclesiasticis*, pro *Sententia* tenebatur: & *Legem*, prout dicitur *Constitutio* *Populi*, quâ *Primates* simul cum *Plebibus* aliquid sanxerunt; qualis fuit nullâ in *Ecclesiâ*, quæ *Plebi* *Jus condendi facultatem* nunquam concessit: Nam quoad *Legem* alio modo sumptam, cæterasque mox dictas *Juris Species*, quæ in *Jure Canonico* reperiuntur, *Legi* siquidem sumptæ pro *brevisiori agendi norma*, constituentis *motivum* non exprimente, respondent *CANONES*. *Constitutioni*, sumptæ simpliciter pro *Statuto* facta ab *habente statuendi facultatem*, sive *supremam*, sive *non*; respondent tam *EPISCOPORUM Statuta*, quam *PONTIFICUM*: *Tit. 2. Institut. JUSTINIAN.* 8. *Partes Juris Civilis* exponuntur in *Tit. Inst. de Jure Naturali Gentium & Civili.*

Edicto, quo servandum à se *Jus Prætor* publicabat *ineunte Præturâ*, respondent *REGULÆ CANCELLARIÆ*, quas *Summus Pontifex* initio *Pontificatus* constituabat.

Senatus-Consultis, quæ sunt id, quòd *Senatores Populi* decernunt, respondent *Conciliorum Decreta* facta à *solis Episcopis*, qui sunt in *Ecclesiâ*, quòd erant *Senatores* in *Republica*.

Jurisconsultorum Responsis similes sunt *Sententiæ Patrum*, qui sunt in *Ecclesiâ*, quòd *Jurisconsulti* in *Statu Politico*.

9. Utrumque quoad illud, quòd sibi proprium est, extrâ *Sacras Scripturas*, in quibus solum *Divinum Jus* continetur. *Cap. 1. DIST. VIII. IX.* *Jus Civile* partim collectum esse videtur ex *Sacrâ Scripturâ*; argumentum est *Collatio Mosaicarum & Romanarum Legum*. Sed hoc sibi peculiare non est.

Jus etiam Canonikum partim collectum est ex *Sacrâ Scripturâ*, sive ex *Præceptis Divinæ Legis*, *LANCELOT. Inst. Jur. Can. lib. 1. Tit. 1.* Sed hoc mutuat ex *Jure Divino*.

10. Ut *Jure Civili* *Bona secularia* acquiruntur, possidentur

sidentur, dividuntur, reguntur; sic, Jure Canonico, Bona Ecclesiastica acquiruntur, possidentur, dividuntur, reguntur. *ibid.* 10. In hac Similitudine notari potest differentia inter Jus Canonicum & Civile, quòd, hoc Privati acquirunt Rerum Temporalium, illo verò, non Privati, sed Ecclesia habet Dominium Rerum Ecclesiasticarum.

11. In utroque sunt Leges inter se discrepantes, non solum diverso, sed etiam eodem tempore, sed diversis Locis scriptæ; idque propter diversos, pro quibus sunt scriptæ, Hominum mores. *Cap. 1. Dist. 1.* ipsiusque DECRETI Inscriptio, *Concordantia discordantium Canonum.* Non obstat, quòd GREGORIUS IX. & BONIFACIUS VIII. in *Præfat.* suarum Collectionum, insinuant contrarietates sustulisse, quòdque Justinianus in Constitutionibus *Codicis & Digestis* præfixis, testetur nullam esse in his Collectionibus Antinomiam, sive Legum discrepantiam, sed unam concordiam & consequentiam; hoc enim voluerunt sed non perfecerunt.

12. Si Lex sit id omne, quod ratione constet, dummodò Religioni conveniat, Disciplinæ congruat, Salutis proficiat; item & CANON. *Cap. 5. Dist. 1.*

13. Idem Canonis quod Legis Officium: nempe, quòd permittat, vetet & puniat. *Can. 4. Dist. IV. XIII.* Legis virtus est imperare, vetare, permittere, punire. *L. Legis virtus. §. de Legibus.*

14. Idem Finis Canonis punientis, ac Legis itidem pœnalis; scilicet ut metu Humana coërceatur Audacia; tutaque sit inter Improbos Innocentia. *Can. 1. Dist. IV. XIV.* pœnâ unius metus est multorum §. 1. *C. ad Leg. Jul. repetund.*

15. Eisdem Canon habere debet qualitates, quas Lex; nimirum, quòd sit justus, possibilis, secundum naturam Patriæque consuetudinem, loco, tempore, conveniens, necessarius, communi utilitati prospiciens; denique clarus: ne per obscuritatem, aliquam captionem contineat. Quibus addendum est, ut sit solemniter editus, & publicè promulgatus. Nota obiter tertiam quartamque qualitate non convenire nisi *Canonibus Discipline*, qui fieri solent propter certas Personas vel Loca & Tempora. *Can. 2. Dist. IV. C. 25. de Verb. sign. C. ult. de Constit. C. 1. de Post. Præl.*

16. Ut, de Legibus liberum est judicare, dum insituntur; ita & de Canonibus; ut, de iisdem jam institutis & firmatis, judicare non licet, sed juxta eas; ita & de Canonibus. Ut demum Leges insituntur, dum promulgantur, firmantur verò dum moribus utentium approbantur; ita & Canones. *C. 3. Dist. 4.*

17. Sicut sunt Leges Civiles, quæ desuetudine abrogantur; ita sunt Leges Canonice. *C. 4. §. 6. Dist. IV.*

18. Ut obtemperandum est, vel non est, Legibus prout sunt veritati Dei conformes, vel contrariæ; ita, in similibus casibus, obediendum est Canonibus, vel non. *C. 1. Dist. IX.*

19. Prælati vivere debent juxta Canones suos, sicut Principes juxta Leges suas. *C. 2. Dist. IX.*

20. Ecclesia Legibus Imperatorum jura sua tueri potest, sicut & Imperatores sua Legibus Ecclesiasticis. *C. 1. 7. 8. Dist. 10. C. 6. Dist. XCVI.*

21. Quod fit contra Canonem, per Canonem dissolvi meretur, sicut facta contra Legem, dissolvenda sunt per Legem. *C. 10. Dist. X.*

22. Rejicit Jus Canonicum Accusatores & Accusationes, quæ Jus Civile non admittit: non solum in hoc, sed etiam in aliis rebus Judicia spectantibus Ecclesiastica, etiam Personarum Ecclesiasticarum, Leges Civiles Ecclesia recipit; idem facit quoad pœnas contra Criminosos latis. *C. 41. CAUS. XXIII. QUÆST. IV. Cap. 7. CAUS. XXII. QUÆST. V. C. 3. 4. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. Can. 9. Dist. VII. VIII. XI. CAUS. III. QUÆST. XV. C. 19. CAUS. VI. QUÆST. I. C. 6. de Immu. Eccl. C. 7. CAUS. II. QUÆST. I. C. 1. CAUS. XXXV. QUÆST. VIII.*

23. Leges Civiles, quoad Præscriptionem in se spectatam, Ecclesia admittit, idem, quoad Bona in Monasterium ingredientium. *C. 1. CAUS. XIII. QUÆST. I. C. 2. 6. 17. CAUS. XVI. QUÆST. III.*

Tom. 1.

24. Ut, quod fit contra Leges, pro infecto habendum est; idem, de hoc, quod fit contra Canones. *C. 13. 14. 15. 16. CAUS. XXV. QUÆST. II. XXXIV.* quod Lege prohibente factum est, pro infecto habetur. *L. non dubium, C. de Legibus.*

25. Ecclesia Leges non rejicit, nisi sint Juri Divino, Naturali, vel Sacris Canonibus contrariæ. Hoc explicabitur in Dissertatione circa Leges prohibitivas. *C. 18. de priv. C. 4. de panis cap. 2. de novi. oper. nunt. C. 1. Dist. X. Grat. CAUS. XV. QUÆST. III. §. sed.*

26. Canon, ut Lex, non ligat ignorantes, qui illum nosse non potuerunt. *C. 2. de Constit. C. 2. Dist. LXXXII.* Leges ignorare non licet. *L. Constitutione C. de Jur. & Facti ignor.*

27. Sicut novæ Leges dant tantum formam futuris, nisi in iis expressè caveatur de præteritis, vel veteres declarent & interpretentur; ita & Canones. *C. 2. & 13. de Const. C. 4. de off. Leg. §. prohibemus.* Leges futuris dant formam negotiis, nec ad præterita pertinent, nisi id exprimat. *L. 7. C. de Legibus.*

28. Statutum sive Civile, sive Ecclesiasticum, non valet, nisi fuerit perfectum, & actu consummatum. *C. 17. de pan. Dist. I.*

29. Pœnâ Canonum, ut & Legum, sunt interpretatione potius molliendæ, quàm exasperandæ. *C. 18. de pan. Dist. I. 29. L. interpretatione ff. de panis.*

30. Novus Canon, ut & Lex nova, priori derogat, etsi id non exprimat; sed speciali Consuetudini vel Statuto non derogat, nisi id exprimat. *C. 1. de Const. in 6. §. pen. Inst. de Justitia & Jure.*

31. Canon, ut Lex, non ligat extra Districtum condentis. Eodem recidit quo *Art. 57. C. 2. E. T. §. Statuto.*

32. Lex Canonica, ut Lex Civilis, ita est interpretanda, ut suo non frustretur effectu. *C. 35. de Elect. in 6. §. Porrò.*

33. Ejus est Canonem, ut & Legem, interpretari, cuius est condere. *C. 3. de off. ord. in 6. §. Si verò. 33. ejus est Legem interpretari, cuius est condere L. 1. C. de Legib.*

34. In utroque Jure protestatio facta contra metum sibi incussum, conservat aliquem in jure suo, utque istud servetur, illa faciendâ contra id, quod sibi adversatur; nec ista prodest, si contra illam protestans veniat. Hoc dilucidatur in Tractatu de Protestatione, ubi colliguntur quæcumque docet Jus Canonicum, congruoque ordine digeruntur; item dum de iis, quæ metu fiunt. *C. 4. CAUS. XXXI. QUÆST. II. C. 10. 18. CAUS. II. QUÆST. V. C. 21. de Sent. & Re. Jud. C. ult. de Appell. C. 20. de Censib. 34.* Utrouque etiam jure quod metu factum est, rescinditur, licet protestatio non præcesserit: Nam & in Codice, & in Digestis, & in Decretalibus, sunt Tituli, de his, quæ vi metusve causâ gesta sunt.

35. In Canone, ut in Lege, Juri Communi derogat per concessionem Juris Specialis. *C. 6. de Instit. C. 13. de Judic. 35.* Generi per Speciem derogatur. *Cap. Generi de Reg. Jur. in 6.*

36. In Canone, ut in Lege, facta ab habente dignitatem, abrenuntiatio alicui hujus dignitatis juri, non obest Successoribus, sed tantum facienti. *ibid. C. 24. Dist. LXIII.*

37. In utroque, non intelligitur derogari juri alterius, nisi id exprimat. *C. 31. de Decim.*

38. In utroque, quilibet potest juri renunciare, ei quod pro se noscitur introductum; idque non solum expressè, sed etiam tacitè, eo scilicet non utendo tempore, quo par est: qui autem juri renunciat, illud amittit. *C. 19. de Elect. C. 16. de Regul. C. ult. de crim. falsi. C. 6. 11. de priv. C. 8. CAUS. VII. QUÆST. I. C. 16. de Elect. 38.* Omnes licentiam habent his, quæ pro se introducta sunt, renunciare, *L. si quis in inscribendo. C. de Pactis.*

39. In utroque, factò à se Statuto contravenientes derogant juri suo. Istud ipsis prodesse nequit, actu siquidem contrario, juri renunciatur. *C. 8. de Constit. C. 15. de Sent. & re judic. C. 3. de his, quæ fiunt à Majore &c.*

40. Juri Canonico, sicut & Civili, derogat Consuetudo rationalis & legitime præscripta, sed non alia. *C. 13. de jud. C. 11. de Consuet. C. 8. ibid. 40. L. 2. C. quæ si longa consuetudo.*

41. Tam juxtà Canones, quàm juxtà Leges, quidquid discrepat à Jure Communi, ad illud, quoad fieri potest, reducendum est; nec ab eo recedendum, nisi clarè constet ei derogatum. *ibid.*

42. Constitutio sive Canonis, sive Legi contraria, & Ecclesiæ damnosa non valet. C. 15. de *Elect.* 42. non valet Rescriptum, quod Juri vel Publicæ Utilitati adversatur. *Leg. fin. C. Si contra Jus vel util. publ.*

43. In utroque Jure, undè quis meretur gratiam, damnum sustinere non debet. C. 7. de *Renunc.* ubi *Gloss. v. Sustinere*, citat plures Leges idem docentes.

44. Cùm respondetur Consultationi ab habente Jus condendi potestatem, Jus Commune declaratur, vel editur; etsi circa Privilegia consultus responderet. C. 9. de *Voto & voti red.* *Gloss. C. 9. de fil. Presb. v. Consultationem C. 12. de refor.*

45. Si Membrum alicujus Collegii, juri, in illius Collegii honorem sibi, ut & aliis Collegis suis, concessio, renunciat; renunciatio non valet: valeret autem, si jus præcipuè concessum, esset in commodum Membrorum C. 12. de *For. comp.* Ratio Cap. desumitur ex L. 38. ff. de *Pactis*, quam explicat *GONZALEZ in illud n. 2.*

46. Qui in aliquo læditur, in alio compensationem accipere debet. C. 16. de *Major. & Obedient.* *Gloss. v. Prajudicio*, citat Leges Civiles simile quid præcipientes.

47. Factæ inter alios Transactio, circa rem ad seipsum quodammodo pertinentem, auctoritatem præstans, juri suo tacite renunciat. C. 7. de *Transact.*

48. Res inter aliquos acta non præjudicat juri aliorum, nisi isti illam approbent & confirmet. C. 7. de *cau. poss. & propr.* Res inter alios actas, vel judicatas, aliis non nocere. *Cod. Lib. 7. tit. 60.*

49. In utroque, verisimile non habetur eum, qui spoliatus renunciat, spontè renunciare. C. 2. de *restit. spoliat. l. 1. C. Per vim. l. 1. §. qui à me ff. de vi.*

50. Canon, ut Lex, declaratur ex approbatâ Consuetudine, quæ est optima Legum Interpret. C. 8. de *Consect. C. si de interpretatione ff. de Legib.*

51. Canones, sicut & Leges, sufficienter promulgati judicandi sunt, si publicè & generaliter fuerint promulgati; nec oportet, ut singulis specialiter significentur: neutris ligatur quis, antequàm ad eum pervenerint, vel potuerint pervenire, (hoc speciali Tractatu explicabitur.) C. 1. de *Post. Præl. C. 2. Dist. LXXXII.*

52. Quod agitur contra Canonem, sicut & quod fit contra Legem, non habet firmitatem, & nequaquam valet: quod restringendum videtur, cum C. citatis. n. 24. ad Casum, in quo Canon vel Lex læsa substantiam rei actæ respiciunt. (Hoc enucleatur in citata *Dissert. de Lege purè prohibitoria*) C. 2. de *Testib. & attest.* in quo citatur Novella 90. *collat. 7. C. 9. GONZALEZ in illud. n. 2.*

53. Tam juxtà Canones, quàm juxtà Leges, quilibet eodem debet uti jure, quod in alium statuit. C. 6. de *Const. toto Tit. Digest. Quod quisque juris in alterum statuerit, ipse eodem jure utatur.*

54. Urgens Necessitas eximit à Canone, sicut & à Lege. C. 2. de *Observ. Jejun. C. 4. de Reg. Juris.* Necessitas non habet Legem. L. 1. ff. de *Off. Proconsulis.*

55. Tam Canon, quàm Lex, approbat, ut nonnulla pro communi utilitate contra Juris asperitatem ex æquitatis mansuetudine tolerentur. C. 3. de *Sent. & Rejud. in 6. Gloss. v. non expressa* citat plures Leges id docentes.

56. Utiliores Canones, ut & Leges, interdum restringendæ sunt; quia Hominum succrescente malitiâ, quod provisum erat ad remedium, tendit quandoque ad noxam. C. 1. de *Except. in 6.*

57. In utroque Jure, extrà Territorium jus dicenti non paretur impunè. Eod. recidit quo *Art. 31. C. 2. de Elect. in 6. L. fin. ff. de Jurisdic.*

58. Ut secundum Legem, ita & secundum Canonem, jura antiqua non debent dici correctâ, nisi expressè fuerint per nova immutata. C. 41. de *Elect. in 6.* quod non mutatur, quare stare prohibetur. L. *Sancimus. C. de Testam.*

59. In utroque ista audiuntur, parum est jura conde-

re, nisi sit, qui ea tueatur. Expediunt jura juribus concordare, eorumque correctiones, si valeant sustineri, evitari debent. C. 3. de *Elect. in 6.* Per eos, qui juri dicendo præfunt, effectus juri accipitur. L. 2. §. 13. de *Orig. Jur.*

60. Utrumque est illa Lex publica, à quâ eximit privata Spiritus Sancti Lex; seu Divinus Spiritus Sancti Instinctus, quo aliquem movet ad aliquid juri contrarium. C. 2. CAUS. XVIII. QUÆST. III. C. 18. de *Regularib.*

61. Sicut frustra implorat Legis auxilium, qui committit in Legem; ita frustra implorat Canonis auxilium, qui committit in Canonem. C. 23. de *Elect.* frustra Legis implorat auxilium &c. L. *auxilium ff. de Minorib.*

62. In neutro, Concessionis aliquibus specialiter factæ, ad alios trahendæ sunt, in fraudem Canonis vel Legis. C. 11. de *Conc. Præb.* Constitutiones Personales ad exemplum non trahuntur. *§. sed & quod pr. Instit. de Jur. Nat. Gent. & Civil.*

63. Utrumque sibi subditas habet determinatas Personas, Res, & Judicia; ultra quæ nihil valet, passim.

64. In Foro Externo tam Canonico, quod Canone regitur, quàm Civili, quod Lege regitur; de Externis tantum, & non de Internis judicatur. C. 13. CAUS. XV. QUÆST. I. Cogitationis penam nemo patitur. L. *Cogitationis ff. de pænis*

65. Sicut in Rebus Temporalibus Canonice Constitutiones Civilibus sunt conformandæ; sic, è contrâ, in Spiritualibus Leges Civiles Canonibus subdendæ. Cap. 4. de *Pænis. C. 1. de Novi Oper. nunt. C. 18. de Priv.* Quod Sacri Canones prohibent, id etiam & nos per nostras abolemus Leges. *JUSTIN. in C. Sacris. C. de Episc. & Cler.*

66. Sicut Leges contrariæ, ita & contrariæ Canonum regulæ intelligendæ & componendæ sunt, pro diversitate Locorum, Temporum, & Personarum. C. 112. 3. *Dist. XXIX.*

67. Sicut Partes Civilis Juris non sunt æqualis auctoritatis; non enim Statuta, v. g. Civitatis Civitatem, & Statuta Provinciæ Provinciam transgrediuntur: Leges verò Regni ad plures tùm Civitates, tùm Provincias extenduntur. Ita & Partes Juris Canonici sunt inæqualis auctoritatis; cùm Decreta Conciliorum Generalium, & Constitutiones Pontificæ Universam ligent Ecclesiam; Statuta verò Synodalia, & Ordinationes Episcopales unam tantum Diœcesim; Canones verò Conciliorum Provincialium totam obligent Provinciam. Præterea Sanctorum Patrum Dicta, quæ sunt Juris Canonici Pars, non sunt ejusdem vis ac Decreta Pontificum. C. 28. *Dist. 1. Dist. xv. xvi. xvii. xviii. xix. xx.* in quibus dùm de Juris Canonici Partibus agitur, nonnulla dicuntur, è quibus inferre licet, illas esse inæqualis vis & auctoritatis: *tota Dist. XX.*

68. Sicut Priores Juris Civilis Leges, quales sunt Leges XII. Tabularum, sunt duriores & obscuriores, quàm quæ postea secutæ sunt; ita Priores Juris Canonici Leges, sive Canones, Posterioribus sunt & duriores, & obscuriores. C. 7. *Dist. XXXIV.*

69. Pleræque Juris Canonici Regulæ, è Jure Civili desumuntur; quod intelligendum tam de illis, quæ in Textibus Juris leguntur, quàm de illis, quæ seorsim collectæ sunt in *Tit. de Regulis Juris.* Patebit ex infra dicendis circa has Regulæ.

§. II.

In quibus Jus CANONICUM à JURE CIVILI præcipuè differat.

De *Differentiis* Juris Canonici à Jure Civili, desumptis ex illorum *Causis*, nihil hic dicimus; sed tantum de aliis: de illis enim agemus, dùm de *Causis* Juris Canonici loquemur.

Hoc præmonito, dicimus, Jus Canonikum non in aliis à Jure Civili præcipuè differre, quàm in istis:

1. Mitiùs agit: nam à Juris Civilis rigore sæpiùs recedit. C. 18. de *Rest. spoliat. C. 1. de Dol. & Contu. C. 70. de Appell. Cap. ult. de arbit.* Natis ex nefariis & incestis Nuptiis, Jure Civili alimenta non debentur. *Nov.*

Justin.

Justin. 74. & 89. Jure Canonico, filii ex quocumque coitu, etiam incestuoso, nati, à Parentibus alendi sunt. *Cap. cum haberet, Extrà de eo, qui dux. in matrim.*

2. Personæ Deo dicatæ, Res spirituales, & circa utrafque Judicia, ad solum Canonico pertinent. Hinc Leges Civiles Judiciæque circa ista sunt nulla: Leges hujusmodi dicuntur non Constitutiones, sed *destitutions, distinctionum usurpationes.* Hinc si Jus Civile Juri Canonico in istis adversetur, istud illi prævalet. Quomodo hæc intelligi debent, dicitur in Tractatu de modo discernendi Leges *Seculares à Spiritualibus.*

Hinc Judex Ecclesiasticus in istis sequi debet Canones, non Leges. *C. 11. 12. Dist. 96; tota Caus. 11. q. 1. c. 5. de Testam. c. 12. de Reb. Eccles. non C. 10. 11. de Testam. E. 11. de Testam. ex Nov. 83.* Clericus in Causa Civili debet conveniri apud Episcopum, nisi Causa natura aliud Forum requirat. In Criminalibus autem Causis distinguendum: si crimen sit Civile, apud Judicem Civilem debet conveniri; si Ecclesiasticum, coram Episcopo est conveniendus.

3. Jus Canonico universaliter receptum nunquam habuit, nec habet nunc, quidquam Juri Divino contrarium, quia sit ab Ecclesia, quæ est Columna & Firmamentum veritatis: non item Jus Civile, quia sit à Potestate errori obnoxia, Bonumque publicum Temporale respicit, quod interdum requirit, ut quædam peccata permittantur. Jure Civili permittus est Concubitus *l. in Concubitus. D. de Concubinis:* Jure autem Divino prohibetur, *PAUL. ad Galat. 5. & consequenter Jure Canonico. Can. Nemo 32. q. 4.*

Hinc protectæ Leges sequentes à Canone damnatæ.

1. Est, quæ infamiam notat Viduam, quæ intrâ tempus luctus nubit, Virtumque, qui eam sciens ducit; quæque damnatur & corrigitur. *Cap. 4. & 5. de secund. Nuptiis. C. 2. caus. 3. q. 7. S. ult. Mulier nubens intrâ annum luctus, infamiam notatur. l. 1. & 2. C. de secund. Nuptiis.*

2. Est, quæ permittit quoddam fœnus, quod restituendum est; & damnatur *toto Tit. de Usur. C. 11. caus. 14. q. 4.* Jure Civili licet stipulari usuras pecuniæ creditæ *toto tit. Dig. & Cod. de Usur. Jure Canonico, non item toto Tit. Decr. de Usuris erito tempore finiendis.*

3. Quæ possessor mala fidei intrâ certum tempus præscribit, quæque damnatur. *C. 5. de Præscrip. ubi citatur. l. fin. C. de Præscrip. longi temporis. l. 1. C. Theod. de actionib. tertio tempore finiendis.*

4. Quæ stuprum à Marito commissum non habetur adulterium, & damnatur *Can. 2. cau. 32. q. 2.* Adulterium Jure Civili committitur in nuptum. *l. fugitivus. ff. de verb. signif. Jure Canonico etiam in solutam mulierem à conjugato C. 19. 20. & C. fin. CAN. 32. q. 5.*

5. Quæ permittuntur matrimonia à Christo damnata, quales erant, quibus Viris Uxores propter justas causas dimittentibus, alias ducere licebat, quæque confusè damnatur. *C. 2. CAU. 32. q. 2.*

6. Quæ permittit Viro uxorem adulteram occidere, quæque damnatur. *C. 6. CAU. 33. q. 2.*

De his differentiis, aliisque notandis, fusius, dum de Origine præcipuarum inter utrumque Jus differentiarum, agetur.

S. III.

Origo præcipuarum differentiarum inter JUS CANONICUM & JUS CIVILE.

Non fufficit observavisse discrimina Juris Canonici à Jure Civili, sed eorum etiam causæ sunt exponendæ.

Harum Prima est, quod Ecclesia Universalis, quæ Leges Canonicas circa Doctrinam constituit, sit infallibilis; Secularis autem Potestas, quæ Leges Civiles Doctrinæ connexas condit, sit fallibilis. Hoc autem discrimen, ex eo oritur, quod illa præposita sit ad docendam & exponendam Legem Naturalem & Legem Divinam; atque ut Regulam certam proponeret, ita constituta esse debuerit, ut falli non posset in Canonibus utramque Legem spectantibus: Sæ-

Tom. 2.

cularis autem Potestas, cui Administratio Rerum ad Corpus aut Bona attinentium commissa est tantum, tali non indiguerit privilegio: Oportet igitur, ut quoties Legibus Canonicis adversantur Leges Civiles circa Doctrinam, toties hæc juxta Canonicam normam intelligantur aut corrigantur. Tales sunt Leges Civiles, quæ permittunt res à Deo prohibitas, ac præferunt illas, quæ concubinatui auctoritatem præstant; vel adulterio alterutrius Conjugatorum, in divortio à Legge concessio; vel homicidio uxoris in flagranti delicto deprehensa, vel usurarum perceptioni in pacto Antichreos, seu oppugnationis bonorum, ad pecuniæ creditæ securitatem; aut furto in præscriptione, cui mala fides supervenit, vel quæ saltem huic favent, dum sinunt, ut qui à Spoliatoribus, licet hoc scirent, adquisierunt, dissimilem ab eis causam habeant, vel perjurio, dum vetant stare juramento Pupilli rationis usum adepti, etiamsi seductionis absit suspicio. *vide FAGNANUM in Cap. 10. de Testam. n. 168. usque ad 178.* ubi plures enumerantur casus similes, in quibus standum est Juri Canonico propter peccatum à Jure Civili permittum. Hoc autem restringendum est ad Definitiones à Conciliis Generalibus factas debito modo, atque universim receptas, vel alio quovis modo roboratas auctoritate Ecclesiæ Universalis, cui soli promissa fuit Infallibilitas. De cæteris casibus, in quibus Leges Civiles non obligant propter oppositionem earum cum Legge naturali, aut Divina, agendi non est hic locus, sed de illis, in quibus adversantur Legibus Canonicis. Nec etiam loquimur de Jurisdictione, quam sibi Præfecti Ecclesiastici vindicaverunt, in Res Temporales, delicti occasione, satis erit observare, jus interpretandi Legem Naturalem & Legem Divinam, quod habet Ecclesiæ, nullam illi auctoritatem in Res Temporales impertiri, quippe quod extrâ Declarationem rerum juxta has Leges licitarum aut illicitarum, & constitutionem poenarum spiritualium in transgressores, non excurrat. Et hæc sufficienter circa priorem causam discriminum inter Canonicum & Civile Jus intercedentium. Canones, quibus illa innitur, & differentias ad illam spectantes non retulimus, quia hæc colliguntur, in Expositione Decalogi, & in Tractatu de Principibus, Ecclesiæ, Pontificis, & Judicis Ecclesiasticis.

Verum attentione majori dignum est, quod illud non solum ad Leges Civiles pertinet, Juris Canonici respectu; sed etiam ad Leges Canonicas inter se collatas: plures enim ex iis, quæ ab Episcopis, Conciliis Particularibus, imò etiam à Summis Pontificibus desumptæ sunt, sunt erroneæ, propter eandem causam, scilicet Fallibilitatem eorum, à quibus sunt protectæ, & Infallibilitatem eorum, à quibus cæteræ connectæ sunt, vel auctoritatem acceperunt. Atque hic obiter observandum est, ex neglectu attendendi hanc Legislatorum fallibilitatem produsse, atque etiamnum prodire multas interpretationes vitiosas: Nec omitendum est, Leges Canonicas, ad quarum normam corrigendæ atque emendandæ sunt Leges Civiles, esse Divini Juris Partem, quia juris interpretationes ab auctoritate legitimâ protectæ ad Jus dilucidarum pertinent, atque parem auctoritatem fortiuntur: unde citum procul dubio Juri Civili Jus Divinum antecellat, eadem anteponi debet Jus Canonico, quod Divini Juris Pars est.

Reliquarum differentiarum inter Canonico & Civile Jus Pars major ex eo oritur, quod Ecclesiæ Administratio plenissima sit caritatis & lenitatis, tendens ad procurandam salutem animarum, quas CHRISTUS ejus Sponsus suo sanguine redemit; ipsi mansuetudinem sequi tum factis, tum sermonibus mandans; eique Spiritum Sanctum, qui caritatis est Spiritus, Rectorem præsciens. Indè est, quod æquitatem sectetur, non solum in casibus à jure non expressis, verum etiam in plurimis, in quibus rigor æquitati opponendus videtur; idecirco non satis habuit jube- re cum Jure Civili, ut æquitas suppleret ea, quæ desunt in Jure Scripto. *Cap. II. DE TRANSACT. in his*

verò, super quibus Jus non invenitur expressum, praeceas aequitate servata, sed Regulam generalem constituit, quâ Juris Civilis rigor in Rebus & Personis Ecclesiasticis inflectitur. C. 1. de Dolo & Contum. In Ecclesiasticis Personis & Negotiis rigor & districtio Juris non requiritur. Facile esset colligere plurima exempla praeceos hujus Regulæ. C. 6. de integ. Restitut. C. 58. 64. 70. de Appell. §. sanè ea subministrarent.

Sed utilius erit lustrare Textus allatos ab Henrico CANISIO, ad probandas differentias, de quibus agimus: quod priusquam aggrediamur, observandum est, apud Peritores Canonistas ita invaluisse, quòd Jus Canonicum aequitati naturali præcipue inhæreat, ut Regulam hanc proponant, Jus Canonicum Juri Civili præponendum esse, quoties de aequitate agitur. Vide FAGNAN. in C. 4. de Censib. n. 26. Indè Partim orta est Consuetudo Sæculorum 11. 12. 13. & quorundam sequentium, dimittendi Ecclesiæ notionem negotiorum Personarum Miserabilium; quo nomine designantur omnes, qui specialiore auxilio indigent, propter Statum Lucuosum, in quem redacti sunt; & inter quos numerabantur Viduæ, & Pupilli cuiuscumque conditionis, etiam Regiæ, & quantumlibet divites; Verosimile est pauciores tum fuisse solemnitates in Judiciis Ecclesiasticis, atque jus gratuito dictum fuisse, saltem ubi primum hæc Consuetudo cepit: nisi enim aliqua fuisset utilitas, Illi, quorum intererat, Judices Sæculares eorum jurisdictione non spoliarent, ut eam in Judices Ecclesiasticos, Jure Civili adverterent, transferrent. Indè nata sunt Appellationes Extrajudiciales, Appellationes omisso medio, Recursus ad Judicem Ecclesiasticum propter recusatam aut denegatam justitiam à Judice Sæculari: Usus Juri Civili incogniti. Indè orta est Reconventio coram Judice Ecclesiastico, licet Personæ vel Negotium Judicis Sæcularis jurisdictioni forent adhibita: Indè jus Azyli in Ecclesiis in gratiam Servorum à Dominis vexatorum, Debitorum & Nocentium, qui in jus vocabantur; Indè Manumissio Servorum in Ecclesiis iisdem; Indè Privilegium omittendi in Libellis nomen Actionis, quæ intendebatur, itemque omittendi in Testamentis ad piam causam, solemnitates à Jure requisiti in omnibus Testamentis: Indè Canones, qui jubent, præstari alimenta Liberis è coitu nefario natis. v. g. ex Adulterio, Incestu, vel Sacrilegio: aequitas, charitas & mansuetudo, quas Ecclesia singulariter profitetur, hæc discrimina inter Civile & Canonicum Jus inducere.

Probationes earum differentiarum, atque causarum, undè orta sunt illæ, sunt in Tractatibus de Judiciis, & de Testamentis.

Hæc generales Observationes valdè contrahunt ea, quæ sigillatim dicenda forent circa illas differentias, earumque causas. Itaque superest, ut breviter attingamus ceteras differentias, quæ ex eisdem causis oriuntur.

Jubet aequitas, ut subaudiatur Clausula, si preces veritate nitantur; ac non irritentur Rescripta, à quibus abest: jubet pariter, ut nuda pacta obligent, & nulla habeatur ratio solerantatum, quas in stipulationibus requirit Jus Civile.

Mens Canonum, qui vetant implorare Restitutionem in integrum adversus Contractus per jusjurandum confirmatos, licet illi à Jure Civili irritentur, vel rescisioni obnoxii reddantur, est collocare in tuto Salutem Fidelium, qui nullum tamen, ut probatum fuit in Tractatu de Contractibus, subeunt periculum, illos Contractus ut insectos spectando, propter nullitatem juramenti Lege Principali & Jure Publico adverfantibus emissi, Cap. 12. de Foro competentis. INNOCENTIUS III. ibi hæc de causâ docet juramentum, quo Clerici confirmant Ecclesiastici Fori abdicationem, nullum esse.

Locum habet etiam causâ eadem in juramento emisso à Filiâ, quæ in gratiam Patris sui pollicita est, se jus suum non persecuturam. C. 1. de Pædis in VI. & in juramento Minoris, qui Senatus-Consulti Macedoniani privilegio renunciat; in juramento Mulieris nuptæ, quæ Velleiano Senatus-Consulto renunciat; denique

in juramento Filii Minoris, aut Filiæ, qui matrimonium contrahunt, præter consensum eorum, in quorum potestate sunt.

Salutis animarum interest ut, qui sciens emit à Spoliatore, eidem, atque ille, conditioni sit obnoxius, ita ut audientiam non habeat, nisi spoliato restituto, quod fit præter Juris Civilis dispositionem.

Periclitatur Salus Testium, ipsorumque Litigantium utilitas, si deponere cogantur Testes: hujus periculi contemplatione plures Canones prohibuere, ne cogantur Testes, licet Jus Civile contrarium jufferit.

Salus animarum postulavit, ut Curati haberent facultatem recipiendorum Testamentorum, in quibus sæpe sunt Legata Pia, quæ sunt restitutiones aut penitentia seu satisfactiones. C. 10. de Testamentis.

Aequitati congruum visum est, Filium fidei-commisso gravatum, si sine liberis moriatur, posse detrudere duas quartas, Legitimam & Trebellianicam: prima illi debetur, ut filio, posterior, ut hæredi gravato. C. 16. 18. de Testam.

Hæres tenetur solvere pœnas pecuniarias delictorum defuncti, & damna, quæ intulit, rescircare, ad ejus procurandam Salutem. C. 5. de Raptor. Jus Civile non adstringit ad solvendum, nisi onera realia, superiores autem obligationes personæ tantum coherant.

Saluti animarum convenit occasiones peccandi removere; hinc modus pubertatem cognoscendi, definitus à Jure Canonico, scilicet per numerum annorum, anteposendus ei, quem Leges Civiles induxerant, nempe inspectionem corporis.

Producendæ latius caritatis, atque consensionis inter Christianos consilio, præcipue impulsus sunt Auctores Juris Canonici ad proferendum longius Cognationis Impedimentum, quàm fecit Jus Civile; sive unum gradum in lineâ collateralali computando, ubi Jus Civile duos numerat; sive matrimonium inter Cognatos usque ad septimum gradum inclusivè vetando; sive plura adinitatum genera Juri Civili incognita constituendo.

Horror, quo Ecclesiâ Sanguinis Humani effusionem prosequitur ex ejus mansuetudine nascens, partim causâ fuit Canonum, in quibus tentavit illa Penitentiales Satisfactiones, Pœnis Capitalibus substituere, quæ à Jure Civili constituta sunt: eadem fuit etiam causâ constituendæ Irregularitatis propter lenitatis defectum.

Aliud argumentum mansuetudinis Juris Canonici respectu Juris Civilis est, quòd Judex Ecclesiasticus, Penitentia factâ, de Pœnis Canonicis valet dispensare. C. 4. de Judiciis §. 1. Judex autem Sæcularis Pœnas Civiles remittere non debet, quia clementior esse quàm Lex non debet: præterea pœnâ à Jure Canonico sancitâ, in crimina etiam capitalia, leviores sunt pœnis Civilibus. C. 10. de Judic.

Nonnulli Canones vetant, Judicem Ecclesiasticum Potestati Sæculari tradere Clericum à se depositum; talis est idem C. 4. At in Tractatu de Judiciis ostendimus, contrariam esse Juris Civilis dispositionem.

Juxtâ Canon 3. de Solut. Clericus in carcerem, donec solverit, mitti non debet, neque cogi, ut bonis cedat, sed sufficit, ut satisfat se soluturum, si fortunis auctus fuerit: contraria est Juris Civilis Definitio.

Licet Præfules Ecclesiastici Fenda possideant, quibus annexum est jus gladii, illud per se ipsos exercere non possunt. Can. 3. Ne Cleri vel non in VI. sed possunt illud committere; quod interdicitur à Jure Civili, quod delegare prohibet huiusmodi Potestatem.

Pars major reliquarum differentiarum inter Canonicum & Civile Jus à CANISIO collectarum spectat Matrimonium, aut Cultum Divinum: Prioris generis præcipuæ ex eo ortæ sunt, quòd Jus Canonicum Legem Divinam secutum est in suis Definitionibus; ab eâ autem recessit Jus Civile; undè ortæ sunt Leges plurimæ, quæ videntur approbasse Dissolutionem

lutionem

lutionem Matrimonii propter causas plures, 1. ob Professionem Religiosam; 2. propter Crimen adulterii, aliave ipsi affinia scelera; Illæ etiam differentie inde oriri potuerunt, quod Leges Civiles magis spectavere Contractum quam Sacramentum; atque ideo ejus permisere aut tolerare dissolutionem, non secus atque in cæteris Contractibus, maxime in societate, obtinet: Leges autem Canonice magis attenderunt ad dignitatem Sacramenti, propter quam indissolubile est. Inde etiam Leges Civiles Connubii jus Servis ademere, quia Nuptiæ Civitatem desiderabant, cuius communionem non habebant Servi; Jus autem Canonicum illos semper ad Matrimonium admisit, perinde atque ad reliqua Sacramenta. Inde etiam juxta Jus Civile Nuptiæ sine dotalibus instrumentis, vel pactis Matrimonialibus confectæ, irritæ erant; atque ideo nati ex Concubinato Liberi per Nuptias subseqentes Legitimi non fiebant, si solemnitas illa omiſſa fuisset: Jure autem Canonico illa non requiritur ad validitatem Matrimonii, quia non pertinet ab substantiam Contractus, quæ sufficit ad validitatem Sacramenti, & proinde Matrimonium concubinatum subseqens natos ex eo Liberos absque hæc solemnitate Legitimos reddit n. 4. Canon. *suprà laudati.*

Juxta Jus Canonicum, si Conjugati alias Nuptias contrahant, pendente circa validitatem primi Matrimonii lite, illæ validæ sunt, si Priores nullæ declaratae sint: Jus autem Civile pro nullo habet ejusmodi Matrimonium, licet prius declaratum fuerit nullum: Hæc differentia oritur fortasse ex eo, quod defectus ille satis gravis Juri Canonico non est visus, ut irritum foret Sacramentum; Juri verò Civili sufficere visus est ad vitandum Contractum, ac proinde Sacramentum n. 36.

Secundum Jus Canonicum, Liberi ex Matrimonio bonâ fide inter Cognatos inito nati, Legitimi non sunt, si Cognatio detegatur, modò celebratum illud fuerit absque Bannorum proclamatione *Cap. 3. de Clauſel. Despons.* & hoc ad coercendam temeritatem, quâ Sacramento illud fuit per administrationem, & receptionem vanam & inutilem: Jure autem Civili defectus proclamationis Bannorum non requiritur, ut Filii sint illegitimi.

Cujuscumque generis Impedimentum sit, si Nuptiæ palam & bonâ fide saltem ex unâ parte contractæ sunt, Filii sunt Legitimi, licet vitium postea comprobetur, C. 2. & 14. *Qui Filii Legitimi*, & hoc propter dignitatem Sacramenti: Jure autem Civili, non obstantibus his circumstantiis illegitimi reputantur n. 45. Contractus hunc favorem mereri visus non est.

Quod attinet ad discrimen Secundarum Nuptiarum Fœminarum infra annum luctus nubentium, illud nascitur ex studio quo æquitatem, animarumque Salutem prosequitur Ecclesia: hinc enim est æquissimum, ut liceat Mulieri rursus nubere, statim ac libera est, & certum est eam ex Viro priore gravidam non esse, illinc autem ei denegari non debet Sacramentum, quo indiget; undè iniquum foret, ejusmodi Mulierem infamiae subicere, si nubat intâ annum luctus, *Cap. 4. & 5. de Nuptiis* quæ recedunt ob has rationes à Jure Civili, quod illam poenam induxit.

Eodem studio Salutis animarum, & dignitatis Sacramenti contemplatione, inhibetur Matrimonium propter unicam Depositionem, quâ asseritur aliquod Impedimentum secretum inter Sponsos existere, C. 12. & 27. *de Sponsalib.* adversante Jure Civili, in quo nunquam ut sufficiens admittitur Testis solitarii Depositio. Eadem de causâ Ecclesia irritum facit Matrimonium contractum propter metum cadentem in constantem virum C. 14. & 15. *de Sponsal.* licet hæc in Jure Civili non obtineat: merito enim existimavit, coactionem magnam Saluti animarum perniciem, & Sacramento ludibrium, asserre posse. *Cap. 17. de Sponsal.*

Si Jus Canonicum majorem Ecclesiæ tribuit potestatem in Personas Ecclesiasticas, tum Sæculares, tum Regulares; in Bona Ecclesiastica; in Ecclesiis & Loca Sacra, quam ipsi à Jure Civili conceditur, id oritur ex eorum consecratione ad Cultum Divinum, cujus specialem curam gerit. Illa differentie, earumque causæ expositæ sunt in *Tractatu de bonis Ecclesiasticis, de Ministris Sacris, de Ecclesiis.*

Hinc tot Canones orti sunt circa Ecclesiastica Bona, ac præcipue Decimas, quasi illarum dispositio ad solam pertineret Ecclesiam, illæque à Sæculari Potestate minimè penderent: Quoad Decimas, alia ratio illas Ecclesiastica Potestati omninò subjecit; scilicet, quia Novi Testamenti Decimas, perinde atque Antiqui, æstimandò; illas etiam à Jure Divino constitutas esse arbitrati sunt Pontifices & Canones de illarum præstatione agentes: Undè etiam natum est, ut licet Decimæ nonnisi ex fructibus percipiantur, & fructus in Jure Civili, nonnisi deductis impensis, intelligantur, tamen antè deductionem impensarum, Decimæ capiantur: Decimæ enim spectatæ sunt, ut Deo debitum propter ejus Dominium generale in omnes fructus Terræ, atque ideo, ejusdem Conditionis reputatæ sunt ac Jus Galliæ *Champart*, sive Jus Dominicum certâ frugum Parte constans, quæ ratione impensarum in culturâ aut collectione factarum non habitâ, præstaturo Domino.

Indè nascuntur omnes Canones circa alienationes, qui, omiſſis quibusdam Solemnitatibus à Jure Civili requisitis, ab eo recessere: inde illi rerum profanarum amotionem in Ecclesia factam inter sacrilega furta computant, adversante Jure Civili, in quo pro furto simplici habentur. Talis est C. 21. *Can. XVII. Q. 4.* Inde Canones, qui Ecclesiarum immunitates longius producunt, quam Jus Civile, æyli jus Homicidis voluntariis concedendo, quod ipsis à Jure Civili denegatur, C. 6. *de Immun. Ecclæ.*

TITULUS II.

Quæ sint JURIS CANONICI Causa?

Jus Canonicum, ut aliæ res, quatuor habet Causarum genera, efficientem, materialem, formalem, & finalem: de singulis seorsim agemus, post *CORRASIUM de Methodo Juris Canonici, idque paucis de tribus Prioribus, quia plures de iisdem loquendi occasiones occurrunt.*

§. I.

Quæ sit JURIS CANONICI causa efficiens?

Juris Canonici duplex est causa efficiens; altera principalis, nempè Spiritus Sanctus, altera quasi instrumentalis, nimirum Ecclesiæ Ministri: de quâ instrumentali hæc agimus, eamque cum principali Civilis Juris causâ comparamus, ut, quæ dicimus, facilius intelligantur. Comparatio autem in eo tota sita est, quòd ut Juris Civilis causa efficiens est Potestas Temporalis residens in iis, qui Temporalia administrant ita Juris Canonici causa efficiens est Potestas Spirituallis residens in iis, qui Ecclesiam regunt.

Sicut Jus Civile toti euidam Regno commune, est à Supremo illius Regni Rectore; Jus verò nonnullis hujus Regni Partibus proprium, est ab his, qui istis præſunt Partibus, consentiente tamen Principe: ita Jus Canonicum toti Ecclesiæ commune, est à Summo Pontifice Ecclesiam in Concilio Generali, vel extrâ gubernante; Jus verò proprium hujus Ecclesiæ Partibus, est ab illis, qui illas Partes regunt consentiente tamen Universæ Ecclesiæ Præsidente: Hæc juxta sententiam, quæ Regimen Ecclesiæ merè Monarchicum existimat, quæque apud Gallos non recipitur, sicut nec apud alios, qui Conciliorum *Constantiensis & Basileensis* Decreta circa Superioritatem Concilii Generalis supra Pontificem acceptarunt. Hi siquidem sentiunt, Ec-

clesiæ Regimen esse Aristocratia temperatum, istius Concilii Tribunal esse ultimum Tribunal, ideoque in illo residere Supremam Jus condendi Potestatem, quæ de Re fusè dùm de Ecclesiâ.

Denique sicut in Jure Civili sunt Leges quæ à singulis Regnorum Partibus recipiendæ sunt, quia sunt Regnorum Saluti necessariae; sunt verò aliæ, quæ Principe non reclamante, à quibusdam Regnorum Partibus possunt non recipi; ita in Jure Canonico sunt quædam Ecclesiæ Leges, quæ à singulis Ecclesiæ Partibus recipiendæ sunt, quia Saluti Æternæ sunt necessariae; tales sunt, quæ Fidem vel Mores internos respiciunt; sunt aliæ quæ, Ecclesiâ non reclamante, à nonnullis Ecclesiæ Partibus tamquam sibi non utiles possunt non recipi, tales sunt, quæ Saluti Æternæ non sunt necessariae, ut potè Mores externos solum contingentes.

Hinc sequitur I. Jus Canonicum cum Jure Civili, quantum ad causam efficientem quasi instrumentalem, in nonnullis convenire, in aliis differre. Convenire in hoc, quòd in Utroque causa efficiens est Potestas Suprema; Differre verò in hoc, quòd Juris Civilis causa efficiens sit Potestas Temporalis, Juris verò Canonici causa efficiens sit Potestas Spiritualis. 2. Sequitur, quòd ad causam efficientem quasi instrumentalem, Jus Canonicum Juri Civili tantò præminere, quantum Spiritualis Potestas Temporalis præminet; quantum verò ad causam verè principalem, eo Jus Civile gradu superare, quo Deus Homines. Quæ autem istam respiciunt, explanantur de CONCILIIIS sive in genere sive in specie aliisque Tractatibus ad eandem rem pertinentibus.

§. II.

Quæ sit materialis causa JURIS CANONICI.

Duplex est causa materialis, nempe in quâ, & circa quam. Juris materialis causa in quâ, sunt Personæ, quæ huic Juri subjiciuntur: & istæ sunt singuli Fideles, ut fideles sunt, à maximo usque ad minimum. Juris Canonici causa materialis circa quam, sunt Res Sacræ, sive Spirituales; quales sunt Fides, aliæque Virtutes, Sacramenta, Missæque Sacrificium; sive Temporales, quales sunt Ecclesiæ Facultates, nec non Loca Divino Cultui dicata.

Hinc sequitur 1. Quoad causam materialem Jus Canonicum Juri Civili tantum præminere, quantum Personæ, & Res Sacræ aliis præminent. 2. Ratione materia, Juris Canonici constitutionem ad Potestatem Spiritualem pertinere, eaque ratione Juris Civilis institutionem spectare Potestatem Temporalem.

Nota obiter communem Juris Canonici divisionem in tres Partes, nimirum in Personas, Res, & Judicia, à causâ materiali peti; nam tertia, quæ de Judiciis, non aliud respicit, quam Actiones, Personas, & Res, quæ sunt primæ & secundæ Partis Argumentum, ideoque non est nisi nova, scilicet sub aliâ facie, materia primæ & secundæ Partis consideratio.

De materia posteriori modo considerata, FLORENS multa habet curiosa, utiæque in *Dissertat. de arte Juris Canon.* nec non in *Præfatione de Methodo GRATIANI*, & in *Oratione de aperiendis Scholis JURIS CANONICI*. Idem dicendum de *DOUJATIO Prænot. Canon. l. 1. c. 1.* quæ omnia notabuntur in *Comparatione Collectionum in CORPORE JURIS contentarum sive inter se, sive cum aliis, tam ORIENTALIBUS quam OCCIDENTALIBUS.*

§. III.

Quæ sit JURIS CANONICI causa formalis?

Nomine formæ id intelligitur, vel modus Jus condendi, vel modus colligendi, ordinandique illius iustæ, vetitave.

Non una est Ecclesiæ Leges condendi forma; conduntur enim I. vel per *Canones*, qui sunt breviores Regulæ aliquid præcipientes vel prohibentes, non additâ, ut plurimum, præcepti vel prohibitionis causâ.

II. Vel per *Epistolas Decretales*, ita dictas, quia Pontifices istis Epistolis, iis respondentes à quibus consulti sunt, quid faciendum vel non faciendum sit, discernunt vel decidunt, additâ Decreti ratione vel Decisionis.

III. Vel per *Constitutiones, Statuta, Decreta, Ordinationes, & Bullas*; quæ omnia sunt, quoad rem, de quâ agitur, synonyma; quibus aliquid jubetur, vel vetatur, præmissâ, ut plurimum, per modum Præfationis, iusti vel vetiti causâ seu occasione.

IV. per *Collectionem* desumptarum è Scriptis SANCTORUM PATRUM *Sententiarum.*

V. Vel per *Consuetudinem*, quæ quid faciendi, vel non, obligatio sine scripto inducit.

De Primâ loquitur GRATIANUS in 2. DIST. illiusque Interpretes, inter quos nonnulla habet VAN ESPEN circa *Legem Satyram* vel *Saturam*; meritò notanda, ac in proximum redigenda; De Secunda FLORENS in *cit. locis* & DOUJAT in *l. 3. de Prænot. Canon.* Notque post eos in *præcitata Comparatione Collectionum*. Idcirco de Secundâ paucis hinc agemus: de Primâ verò, cum de illâ dicenda notissima sint, quam brevissimè poterimus, illa exponemus.

Primus ex prædictis Leges Ecclesiæ condendi modis, scilicet per *Canones* brevissimos, non parum conformis videtur adhibito modo, in scribendis Legibus XII. Tabularum: Quoad alios, Jus Canonicum convenit cum Jure Justiniano, imò illos è Jure Civili desumpsit; Leges enim in Corpore Juris Civilis collectæ, desumuntur, vel è Sententiis Veterum Jurisconsultorum, quales quæ in Digestis vel ex Epistolis Imperatorum ad eos, à quibus consulebantur, missis, vel ex eorumdem Constitutionibus, quales cætera, quæ in aliis Juris Civilis Libris continentur: hæc de forma condendi Jus.

Nunc de modo colligendi & digerendi, qui ad formam Juris nonnihil pertinet; Jus autem Canonicum in colligendis & digerendis Ecclesiæ Legibus Juris Civilis ordinem secutum fuisse palam est: Jus enim Canonicum suum habet *Digestum*, vel *Pandectas*, in *Decreto GRATIANI*; *Codicem* in *Collectione GREGORII IX. Novellas* in *Collectionibus VI. CLEMENTINARUM*, & *EXTRAVAGANTIUM*; denique *Institutiones*, in hoc tantum differentes, quòd Authenticæ non sunt, seu publicâ autoritate donatæ probatæque, quoad cætera non impares.

Nota obiter circa tertium Leges Ecclesiasticas condendi modum, *Bulle* nomen proprium esse Constitutionibus, quas edunt Summi Pontifices, certâ formâ infra notandâ, dum de *Constitutionibus* vel de *Rescriptis* agetur, ubi cum CABASSUT. *Theor. & Prax. l. 1. c. 6. n. 6.* illarum forma notabitur, cæteraque ad illas pertinentia.

§. IV.

Quæ sit causa finalis JURIS CANONICI?

Cum Ecclesiæ Leges, è quibus Jus Canonicum componitur, non sint, ut vidimus, ejusdem generis; sed aliæ sint, quæ vel Fidem vel Mores internos respiciant; aliæ verò, quæ Disciplinam, seu Mores externos, seu externam Politiam, hæc enim tria sunt synonyma, spectant: hinc fit, ut non una sit totius Juris Canonici causa finalis. Ut enim immediatus seu proximus primi generis Legum finis est Æterna Felicitas, immediatus & proximus Legum secundi generis est bonum Ecclesiæ Regimen, mediatus verò & ultimus est Æterna Felicitas.

Hinc sequitur Jus Canonicum Juri Civili præminere, ratione finis tam Legum quæ Fidem & Mores spectant, quam aliarum quæ Disciplinam respiciunt; cum Juris finis Civilis sit Temporalis Imperiorum Salus, cui Æterna Salus, quæ est finis Legum primi generis infinite præstat; cumque bonum Ecclesiæ Regimen, quod est aliarum finis, non parum præcellat bonæ Regnorum Temporalium administrationi, propter Ecclesiæ supra Imperia præminentiam.

§. V.

Suppositum fuit, JURIS CANONICI finem esse Vitam Æternam, atque in eo discrepare illud à JURE CIVILI, quòd tendit ad Felicitatem Temporalem, in pace & securitate Reipublica consistentem; QUÆRITUR, AN ID LOCUM HABEAT IN OMNIBUS JURIS CANONICI PARTIBUS.

BOETIUS EPON. l. 1. de Jure Sacro Quæstionem hanc fusè tractat, & DUBIAT. lib. 5. cap. 22. Prænotionum Canoniarum dat Summam rationem hinc & inde adductarum, atque affirmativam cum BOETIO tuetur adversus FORTUNIIUM GARCIAM, qui hujus Capituli occasionem præbuit: Quoniam illi Autores certum cum incerto permiscuere, mihi necessarium visum est utrunque distinguere, atque ea, quæ sunt extrâ dubium ad decisionem rerum dubiarum accommodare.

Convenire debet, Leges Canonicas à Lege Divinâ manantes, in Vitam Æternam omnes proximè tendere, quia earum finis est idem ac Legis Divinæ, à quâ fluunt, hæc autem condita est ad dirigendos Homines ad Vitam Æternam, quæ unicum est præmium ejus Legis observatione dignum. Inter has Leges Canonicas, eæ collocantur, quæ circa Fidem, Spem & Caritatem, quarum Deus est primum objectum & finis, propius versantur; nec non illæ, quæ constituunt modum substantialem conferendi & accipiendi Sacramenta, offerendi validè Sacrificium Missæ, eique ritè adstanti: Collocantur etiam eæ, quæ res Plebi in Concionibus aperiendas, aut secus, definiunt, vel conditiones ad benè orandum necessarias, & quòd ac quomòdò preces fundi debeant; denique omnes Leges, quæ circa Salutis media versantur, ita ut illis neglectis à Salute aberretur; Ratio, propter quam convenit, omnes istas Leges ad Vitam Æternæ finem dirigi, est, quia pertinent illæ ad Legem Divinam, ad cujus interpretationem, & executionem conditæ sunt; Legis autem Divinæ finis est, procul dubio, Vita Æterna; Quoniam omnia Dei præcepta in præcepto amoris Dei super omnia concluduntur, ut docet S. PAULUS, dicens, *finem præcepti esse Caritatem*, omnes Leges Canonicæ, quæ præcepta Divina spectant, comprehensæ sunt inter eas, quæ circa Caritatem versantur.

Difficultas proposita non complectitur nisi Leges Canonicas meram Disciplinam continentes, & Leges Civiles Juri Canonico insertas. Ambigi potest, an utrumque hoc Legum Canoniarum genus ad Vitam Æternam dirigatur; nam illæ gubernationis ordinationem spectare tantum videntur, & Ecclesiæ non-congruere, nisi in quantum ea est Corpus Politicum, nec alium proindè finem habere, quàm Leges Politicas, quæ ad Commune Societatis Bonum, quietem, & securitatem Reipublicæ diriguntur. Aliud etiam argumentum movet ad putandum, harum Legum finem non esse Felicitatem Æternam; scilicet quoniam eæ pro Temporibus & Locis variantur: conduntur enim prout hæc circumstantiæ postulant; ubi illis opus non est, illæ exolescunt; itaque Tempora ac Regiones reperiuntur, in quibus Salus his Legibus non alligatur: Salutis autem Leges immutabiles sunt, omnibus Fidelibus communes, omnibus Temporibus & Locis congruæ. Imò Leges Politicæ neminem nisi post acceptationem adstringunt, contrariâ consuetudine possunt abrogari, sicut per contrarias Leges; Expectatione non indigent Leges Salutis, nec antiquationi sunt obnoxii. Urgetur etiam ex eo, quòd Leges Disciplinæ sunt Leges Humanæ, perindè ac Leges Civiles, eundemque effectum habent, scilicet coercionem libidinis, qui fluit ex Lege Naturali, quæ docet & præcipit, honestè vivere, nemini nocere, suum cuique tribuere, (*Præf. Decretal.*)

Ad tollendam hanc difficultatem observandum est, juxtâ Canonistarum sententiam, Leges Civiles Juris Canonici Corpori insertas, ejus Partem non esse, ita

ut Legis Canonice vim obtineant, nisi quandò sunt in Collectionibus ab autoritate legitimâ profectis & roboratis, de quibus infrâ agetur; eæ solæ vocantur ab illis Canonizate.

Inter eas Leges, quædam factæ sunt ad procurandam Ecclesiasticarum Legum circâ Dogma aut Mores executionem; & quoniam hæc Legis Divinæ vim & effectus habent, propter rationes suprâ allatas, Legi Divinæ quodammodo participant Leges Civiles, quæ earum executioni provident, propter eandem causam. Igitur difficultas proposita, non cadit in has Leges Civiles, quæ Legum Canoniarum, quarum executionem curant, naturam habentes, finem cum eis communem habere debent.

Aliæ Leges Civiles conditæ sunt, ut providerent executioni Legum Canoniarum, quæ Politiam Sacram spectant, vel ut cum eis ad illam stabilendam concurrerent, cum plurimæ res utriusque Potestatis concursu indigeant: argumentum & exemplum luculentum præbent Diei Festi, quorum Institutio utramque Potestatem spectat.

Quamvis Ecclesia sit Corpus Politicum, illa tamen nunquam Leges condit quatenus Corpus merè Politicum, sed semper quatenus Societas Politico-Sacra: Characterem suum distinctivum in omnibus suis operibus gerit, eodem Spiritu impellitur, & proindè ad eundem finem dirigere debet Leges, sive merè Politicas aut Disciplinales, sive omnes cæteras.

Inter Leges, quas in Concilio Hierosolymitano tulerunt APOSTOLI, quædam meram Disciplinam continent; talis erat prohibitio edendi suffocata, tale erat præceptum ab Idolotitis, seu iis, quæ immolata fuerant Idolis, abstinendi; quæ tamen Leges Spiritui Sancto nihilominus adscribuntur, quàm vitandæ fornicationis præceptum. Ejusdem Spiritus afflatu, PAULUS vetuit Mulieres orare capite non velato; sed hoc meram Disciplinam continet. Eodem Spiritu impellente, constituit Irregularitatem bigamiæ, & cæteras, de quibus loquitur in suis ad Timotheum, & Titum Episcopis, quæ tamen sunt Disciplinæ meræ. Leges autem illæ speciales à PAULO institutæ, non minus ad Salutem diriguntur, quàm illæ, quas circâ Dogma vel Mores condidit. Propter eandem rationem, & Apostolorum instar, Concilia Spiritui Sancto adscripsere suas Leges Disciplinales, perindè ac cæteras, persuasum habentibus Episcopis, promissionem, quam fecit Jesus, se in medio eorum adfuturum, qui in ejus nomine congregati erunt, quam sibi toties applicuere, pertinere & extendi ad omnes Leges, quas hæc Comitia condunt, aut condere possunt.

Quemadmodum Spiritus, qui Ecclesiam in conditione Legum Disciplinalium adjuvat; eas ratione principii suprâ Leges Civiles evehit, ita eis finem superiorem dare videtur: ille enim Spiritus est Caritas, Caritas autem ad Felicitatem Æternam dirigitur: undè dici nequit, illas Leges esse merè Humanas, neque ratione principii, neque ratione finis earundem, licet ipsæ eundem effectum habeant ac Jus Civile, eum tamen nobiliori modo assequuntur; etsi tria præcepta generalia, de quibus locuti sumus, utriusque Juri sunt communia, luculentius in Jure Canonico exponuntur, & ad finem potiorum diriguntur. Conferendo Jus Canonium cum Civili ratione finis, attendi non debet, id quod utriusque commune est, sed id, in quo differunt: ex differentia suam finem habet Jus Canonicum, sicut Homo finem suum sortitur ex eo, in quo ab animali mero distat, non ex eo quòd ambonus commune est. Quod dictum est de effectu & præceptis communibus utriusque Juri, Canonico & Civili, tam Leges Canonicas, quæ circâ Mores sunt, quàm eas, quæ Disciplinam ordinant, respicit.

Inter Leges Disciplinam ordinantes, quædam sunt Univeriales, & perpetuæ; tales sunt, quæ Quadragesimam,

mam, Abſtinentiam à carnibus in certis diebus, Solemnitates præcipuorum Incarnationis Myſteriorum conſtituerunt; nam illæ Temporibus Apoſtolicis inſtituta hucusque perſeuerant, & tam latè diffuſæ ſunt, quàm Eccleſia Catholica. Quædam Leges certis Regionibus & Temporibus ſunt peculiæres; talis erat Pars maior Canonum, qui Pœnitentiam Publicam in crimina graviora ſtatuiebant, certasque exercitationes humiliſcantes, & laborioſas, palàm obeundas: ſed hoc diſcrimen inter eas & priores Leges non extenditur ad finem, neque ad principium earum, quoniam omnes ſunt Leges Eccleſiæ, quam Spiritus Sanctus adjuvat, qui Spiritus eſt Caritatis, ſeu Dilectionis: Utræque ſunt Leges Salutis ratione Temporis, quo vigent, & Perſonarum, quas reſpiciunt.

Quod legitur in multis Canonibus Diſciplinæ circa Elecciones, aut Collationes Beneficiorum, nempe eorum Definitionem ad Salutem animarum tendere (talìa ſunt *Cap. 41. de Elect. & Cap. 35. de Præb. in VI.*) in cæteris ſubintelligi debet, qui ad Diſciplinam reſpicientes illam mentionem nominatim non continent. Porro illa finis commemoratio fit in quibusdam nominatim; ſecus verò in cæteris, quia Definitiones priorum Salutis magis neceſſariæ ſunt, quàm poſteriorum; illa autem major neceſſitas inculcari debuit per mentionem motivi ex animarum Salute deſumpti.

BOETIUS *L. I. de Jure Sacro C. 1.* plures quàm nos Canones colligit, qui ſuam Diſpoſitionem ex eo confirmant, quòd ea ad animarum Salutem vergat, ſed plerique circa Mores verſantur, ſcilicet Juſjurandum, Reſtitutionem, Uſuras, Reſtitutionem ſpoliatorum, Præſtationem rerum Miniſtris Sacris neceſſariorum, damnorum Reparationem, Ignorantiam Legis invincibilem, Communicationem cum Excommunicatis.

Locutio hæc, *tendere ad Salutem animarum*, & hæc *dirigi ad Vitam Æternam*, reſpectu Juris Canonici ſunt duæ locutiones ſynonymæ; nam Salus animarum eſt Vita Æterna, ſicut Salus Corporum eſt Vita Corporalis conſervatio; quoniam animæ non ſalvantur niſi per acquisitionem Vitæ Æternæ, quæ eas à Morte Æterna liberat, quæ ipſarum pernicietas eſt; ſicut Corpora non ſalvantur, niſi emergant à periculo, quod illa morti objiciebat.

Denique Salus animarum, quæ perficitur per Vitam Æternam, adeò Legum omnium Eccleſiaſticarum finis eſt, ut ob hanc rationem vocentur Spirituales, earumque Argumenta, & Principium eodem nomine deſignantur; undè fit, ut ejus autoritas vulgò ſub nomine Spiritualis Potæſtatis exponatur; ſicut exponitur autoritas Principum ſub titulo Potæſtatis Temporalis; à diſtinctione duarum Potæſtatum, quæ Orbem regunt, quarum una Res Spirituales ſibi vindicat, ſic dictas propter ſuam connexionem cum animabus, quæ ſunt Spiritus, altera Res Temporales aut Materiales adminiſtrandas ſortitur, quæ ita vocantur ob connexionem cum Tempore, cui obnoxie ſunt, & cum quo deſinunt, & cum Corpore, quod materiale eſt.

TITULUS III.

Quæ ſint JURIS CANONICI Partes?

DE Juris Canonici Partibus per tranſennam jam locuti ſumus, cum de cauſa illius materiali agebamus: nunc de iis ex profeſſo loquemur.

Jus Canonicum communiter dividitur in tres Partes, nempe in *Perſonas, Res, & Judicia*; idque fit, quia omnia, quæ in eo tractantur, reducantur vel ad *Perſonas*, vel ad *Res*, vel ad *Judicia*, ſi ipſius Juris principia exceperis, in duobus potiſſimum ſita, quorum alterum ipſius naturam reſpicit, ſeu quid ſit, in quo cum aliis Juribus cæterisque Rebus conveniat, & in quo à Rebus illis differat? Alterum verò ſpectat quatuor ipſius cauſas; nam quidquid tradit GRA-

TIANUS, à 1. DISTINCT usque ad 21. in quâ de Perſonis agere incipit, ad illa duo capita rediguntur; quæ verò colligit GREG. IX. à *TIT. I.* usque ad 5. in quo de Perſonis loqui cepit, reducantur, vel ad cauſam efficientem principalem, nempe Summam Trinitatum; vel ad cauſam efficientem quaſi instrumentalem, nempe Potæſtatem Spiritualem, quæ condit Conſtitutiones, quæ Reſcripta mittit, quæ Conſuetudinibus autoritatem dat; vel ad cauſam formalem, nempe Leges Eccleſiaſticas condendi modum, quorum Secundus eſt Reſcriptum; Tertius Conſtitutio, quæ cum fit vel ſcripta, vel non ſcripta, Conſuetudinem, quæ eſt Conſtitutio non ſcripta, comprehendit; vel ad materialem, nempe Fidem Catholicam, quæ eſt Pars cauſæ materialis Juris Canonici; vel ad finalem, nempe Summam Trinitatem clarè intuentam.

Perſonæ ſubdividi poſſunt in *Eccleſiaſticas, Regulares, & Laicas, Eccleſiaſticas* in Episcopos, Clericos ordinatos, & non ordinatos; *Episcopi* in Simples Episcopos & Episcopos in dignitate ſuperiori conſtitutos; *Iſti* in Archiepiscopos, Primateſ, Patriarchas, & Summum Pontificem.

Clerici ordinati in Presbyteros, Diaconos, Subdiaconos, Acolytos, Lectores, Exorcistas, & Oſtarios. *Presbyteri* in Simples Presbyteros, & in Presbyteros ſuprà alios conſtitutos; & *Iſti* in Archipresbyteros, Præpoſitos, Chorepiscopos, Decanos, Parochos, Vicarios Temporales, cæterosque, quorum Officium Presbyteratum requirit.

Diaconi in Simples Diaconos, in Diaconos Cardinales, Archidiaconos & Canonicos Diaconos, aliosque, ſi qui ſunt, quorum Officium Ordinem exigat.

Subdiaconi in Simples Subdiaconos, & Canonicos Subdiaconos.

Clerici non ordinati, in Simples Tonsuratos, & Tonsuratos Beneficiatos; *Iſti* verò in Capellanos, & Priores.

Perſonæ Regulares ſubdividuntur in Regulares Canonicas, & Regulares Monachos.

Monachi, in Simples Monachos, in Priores Obediales, Priores Clauſtrales, Priores Conventuales, & Abbates.

Regulares Canonici, in eos, qui in dignitate vel officio conſtituti, & in eos, qui utroque carent.

Perſonæ Laicæ ſubdividi poſſunt, in Conjugatas & non Conjugatas; utræque verò, in eas, quæ præſunt, & eas quæ ſubduntur.

Non Conjugata in Virgines & Viduas.

De Perſonis autem agitur in *primâ Parte GRATIANI* à *DIST. 21. usque ad finem illius Partis. In Lib. I. DECRET. à Tit. V. usque ad ult. illius Libri & in nonnullis Tit. III. IV. & V.* ut patebit percurrenti.

Jamjam adeſt ad Rerum ſubdiſiſionem tranſeundi tempus; ſed priùs monendus eſt Lector, non unam cauſam nos moviſſe, ut relicto tùm GRATIANI, tùm GREGORII IX. ordine, dùm de Perſonis agunt, à ſe mox lectum ſequeremur; ad id tamen nos præcipuè impuſos, ex eo quòd GRATIANUS ſeparanda conjungit, qualia ſunt ad Ordines Impedimenta unius generis cum ſimilibus alterius generis; ſejungit verò quædam, quæ jungenda ſunt, qualia ſunt eadem ad Ordines & Beneficia Impedimenta, quæ Irregularitates vulgò vocantur, aliaque ſimilia; nam GRATIANUS Irregularitates ex delicto, quæ ab aliis ſejungendæ ſunt, cum Irregularitatibus ex defectu commiſcet, & poſt tractatas alias Res, quæ nec ad jam dictorum, nec ad ſtatim dicendorum explicationem neceſſariæ ſunt, ruſſum de quibusdam ex delicto & ex defectu Irregularitatibus permixtim loquitur; Præterea ſejungit Perſonas à Perſonis; nam loquitur de Clericis in *Primâ Parte*: in *Secundâ* verſus medium de Regularibus, & verſus finem de Laicis, tùm Conjugatis, tùm non Conjugatis.

Quantum ad GREGORIUM IX. nonnulla conjungenda ſejungit; nam Irregularitates ex defectu ſecernit ab

Irre-

Irregularitatibus ex delicto, cum de illis loquatur in *Lib. I.* de istis in *Lib. V.* Sejungit etiam Personas à Personis, cum de Clericis agat in *Lib. II.* de Regularibus in *Lib. III.* & de Laicis Conjugatis, vel non, in *Lib. IV.* sejungit quoque Judicia à Judiciis, agens de Civilibus in *Lib. II.* de Criminalibus in *V.*

Res de quibus Jus Canonicum, sunt vel *merè SPIRITUALES*, quales sunt 1. *virtutes*, sive Theologicae, sive Cardinales, de quibus SPARSUM in Jure isto. 2. *Sacramenta*, de quibus GRATIANUS in variis locis Primæ Partis, in quibus de Ordinatione, in fine Secundæ, ubi de Matrimonio & de Pœnitentia, & in tota Tertiâ, ubi de Baptismo, Confirmatione & Eucharistiâ; GREGORIUS verò IX. in III. & in IV. 3. *Vota* de quibus GRATIANUS variis in locis Secundæ Partis: GREGORIUS IX. versùs finem III. & initio IV. *DECRET.* 4. *Officia Divina*, de quibus GRATIANUS in Primâ & Tertiâ Parte: GREGORIUS verò IX. in III. 5. *Ecclesiarum, Altariumque consecrationes*, de quibus GRATIANUS in Tertiâ Parte. *DIST. I.* GREGORIUS verò IX. versùs finem III. *Lib.*

Vel sunt *merè CORPORALES*, quales *Decime, Oblationes, Primitiæ, Censûs, Procuraciones, Exactiones, Agri, Loca Deo dicata*, aliaque similia, de quibus GRATIANUS variis in locis Secundæ Partis: GREGORIUS verò in III. *Lib.*

Vel sunt *MIXTÆ*, quales sunt omnes *res Spirituales, quibus Temporales annectuntur, vel è contrâ*: & inter alias ex unâ parte, est jus Temporalia percipiendi, ex Spiritualesibus, quæ obeuntur, Muneribus, quale est in omnibus Beneficiis: ex aliâ verò, jus obeundi Munus Spirituale ex possessione rei temporalis, quale reperitur in Patrono Laico, quod est spirituale ad Beneficia præsentandi jus, proveniens ex possessione feudi, agri, vel hæreditatis, qualibuscumque bonis componatur.

De istis autem rebus mixtis GRATIANUS passim in Secundâ Parte; GREGORIUS verò IX. in I. sed præcipuè in III. cuius majorem partem res illæ occupant.

Ex citatione locorum, in quibus tum GRATIANUS tum GREGORIUS IX. tractant de rebus, quæ Secundam Juris Canonici Partem componunt, satis intelligit Lector, cur neutrius ordinem sequamur, sparsas enim hic illic, tum apud GRATIANUM tum apud GREGORIUM IX. animadvertit, ideòque eum frustra moneremus de eo quòd, quem legit, ordinem, illorum ordini præferamus.

Judicia, quibus Tertia Juris Canonici Pars constat, sunt vel *Civilia*, vel *Criminalia*, de Utrisque permixtim agit GRATIANUS in Secundâ Parte: GREGORIUS IX. non feriatim de illis tractat, etsi seorsum de illis ut plurimum loquatur; nam postquam medio, sineque *Lib. I.* de quibusdam, quæ ad *Judicia*, tam Civilia quam Criminalia pertinent, ex professo tractat de Civilibus in *Lib. II.* atque ad id unum illum destinat; plura tamen habet, quæ ad utraque spectant; de Criminalibus verò loquitur in *Lib. V.* totumque ad id, uno aut altero excepto Titulo, illum impendit: tractat etiam, sed obiter de utrisque in IV. LIBRO ubi de Matrimonio, circa quod civiliter & criminaliter agi potest in foro Ecclesiastico.

Propter allatam bis rationem, quæ hic recurrit, quamque repetere piget, dum de *Judiciis* agemus nec GRATIANI nec GREGORII IX. ordinem sequemur; jungemus siquidem quæcumque circa illa dicenda erunt, nec tamen permiscebimus, quæ Civilibus propria erunt cum iis, quæ Criminalibus peculiariter sunt.

Tres autem Juris Canonici Partes, ad unam reduci possunt, nempe vel ad Personas, quarum sunt *Judicia & Res*, cum illæ vel judicent vel judicentur, res ab illis possideantur, & administrantur, LANCELOT *TIT. 3. in fine*; vel ad Res, cum generali Rerum nomine reliqua comprehendantur, DOUJAT in *Prænot. Canon. l. 1. cap. 2. n. 1.*

Sunt aliæ Partes Juris Canonici, de quibus hic tractari posset, quæque illi conveniunt ratione formæ, sicut aliæ, de quibus dictum est, illi conveniunt ratione materiæ: istæ autem Partes sunt quinque modi

quibus conduntur Leges Ecclesiæ, & de quibus egimus, dum de causâ formali tractavimus, nempe Canones, sive breviores Regulæ aliquid præcipientes, vel prohibentes, Constitutiones, Rescripta Pontificum, Scripta Patrum, & Consuetudines, quibus omnibus addi possent Generales Regulæ ex universo Jure desumptæ, quibus formarunt Decisiones suas juris Canonici Authores; sed de his fusiùs erit agendum tanquam de præcipuis Juris Canonici elementis, postquam Partium, de quibus hætenùs in hoc Titulo fontes digito indicaverimus, verbaque, quæ in Jure Canonico usurpari solent, breviter explicaverimus, insimulque illa, quæ scienda sunt circa dicta SS. PATRUM in illo frequentissimè collecta.

TITULUS IV.

De Fontibus hodierni JURIS CANONICI.

JAM dictum est, Jus Canonicum considerari posse quoad materiam, vel quoad formam: Utrouque modo consideratum suos habet fontes cognitu necessarios. Distinguiamus autem hic Jus Hodiernum Canonicum à Primitivo, quia istud constabat tantum Canonibus, Decretive Conciliorum, eique plura alia accesserunt, quibus etiam coalescit Jus Hodiernum: præterea primitivi Juris alius ordo seu forma quam Hodierni; in illo etenim solus ordo Temporum servabatur: in Hodierno verò servatur etiam ordo Materialium: Sunt quoque aliæ distinctiones inter utrumque, quas notare necesse est; Nam vetustissimæ Collectiones Canonum, alias non habuere, ex quibus derivari potuerint, sive in illis servatus fuerit ordo Temporis, sive ordo Materialium; aliæ verò habuerunt, indeque istæ habere potuere fontes, quoad formam, illæ verò non potuere, primum in unoquoque genere cæterorum exemplar est: Hodiernum Jus ex omnibus anterioribus Collectionibus conflatum est: cæteræ ergo illius fontes sunt; ideòque investigandum, qui sint illi fontes, ut iis cognitis, quæ illud spectant: plenius cognoscantur.

His præmissis asserendum, 1. *Fontes Hodierni Juris* considerati quoad materiam, non alios esse, quam *Scripturam Sacram, Concilia, Summorum Pontificum Rescripta Constitutionesque, Patrum Opera*, necnon aliorum Scriptorum Ecclesiasticorum, *Episcoporum Statuta*, sive in Synodis suis, sive extrâ condita, *Leges Sæculares & Consuetudines*.

Scriptura sacra, Juris est fons quoad Fidem & Mores, & quoad necessitatem, utilitatem, & formam Conciliorum; fit enim mentio in Actibus Apostolorum quatuor Conciliorum ab Apostolis celebratorum & à LABBÆO collectorum initio primi Tomi sive Collectionis, in quorum *Primo* facta est electio Sancti Matthiæ in locum Judæ c. 1. *huius Lib. Secundum*, quod de electione Diaconorum egit. *cap. 6. Tertium*, quod omnium celeberrimum, atque Conciliorum Generalium forma fuit, & esse debet, quodque definivit Gentes ad Fidem conversas ad servandam Mosis Legem adstringendas non esse, sufficereque, ut ab immolatis Idolis, suffocatis & à fornicatione abstinerent: hujus Concilii historia refertur *cap. 15. Act. Quartum* desumitur è *cap. 21. ejusdem Libri* & in eo declaratum dicitur, licitum esse Judæis conversis, uti cum Fide & Sacramentis novi Testamenti, etiam Circumcisione & aliis Cærimoniis & Sacrificiis Veteris Testamenti, quandiu Templum & Sacrificia Legis in Jerusalem stabant; idque, ut Synagoga cum honore sepeliretur. Cætera videsis apud LABBÆUM loco citato, ubi etiam de aliis duabus Synodis Apostolorum, de quibus nihil certum habemus. Hæc obiter de Conciliis hujusmodi, de quibus fusiùs, datâ occasione, locuturi sumus, præsertim de Tertio.

Post Scripturam Sacram, præcipuus hodierni Juris Canonici fons sunt Concilia Generalia, de quibus seorsim & fusè infrâ agetur; horum enim Definitiones, quoad Fidem & Mores, censentur ejusdem autoritatis ac ea, quæ

quæ quoad hoc habentur in Scriptura. Concilia Particularia numero longè superiora, at autoritate inferiora, innumeros subministrant Canones, undè fons uberior Juris Hodierni. Idem dicendum, quoad abundantiam, de Rescriptis Pontificum. De cæteris fontibus, pauciores licet, plurimi tamen Canones hausti sunt: de singulis sermo erit prout poscit illorum dignitas, utilitasque; quo loco, quo ordine, quo modo indicabit Index Titulorum. Hæc paucis, de Fontibus Juris Canonici Hodierni quoad materiam.

Afferendum 2. *Fontes illius Juris quoad formam* tot esse quot sunt Collectiones Canonum anteriores illi, quæ vocari solet Corpus Juris Canonici, incipiendo à *Collectione Canonum Apostolorum*, de quâ fusè in Conjecturis circa illorum originem, illorumque Collationem, cum Canonibus Conciliorum quatuor priorum Sæculorum usque ad Collectionem IVONIS CARNOTENSIS, quæ immediatè præcessit Collectionem GRATIANI hujus Corporis Primam. Præcipuæ sunt *Codex Ecclesie Universe à JUSTELLO editus; Codex duplex DIONYSII EXIGUI*, quorum alter continet *Canones Conciliorum quinque Priorum Sæculorum*, alter *Decreta Pontificum eorundem Sæculorum; Codex Africana Ecclesie; Codex Ecclesie Romana à QUESNELLO editus; Collectio MARTINI BRACCARENENSIS; Collectio ISIDORI tam falsi, quam veri; Capitularia REGUM FRANCORUM; Collectio REGINONIS; Collectio BURCHARDI Episcopi Wormatiensis. Collectiones quinque Decretalium quibus refusus, constat Collectio GREGORII IX.*

De his omnibus, aliisque alicujus nominis, agitur in Comparatione Collectionum, quæ in Corpore Juris Hodierni continentur inter se, & cum Collectionibus aliis, tam Orientalibus, quam Occidentalibus; in quâ conferetur etiam Corpus Juris Ecclesie Græcæ à BEVEREGIO editum, cum Corpore Juris Ecclesie Latinæ. De Codice Ecclesie Africanæ nonnihil dabitur, ob affinitatem Disciplinæ Ecclesie Gallicanæ cum Disciplinâ illius Ecclesie.

TITULUS V.

Regula circa SANCTORUM PATRUM SCRIPTA è Jure Canonico collecta.

Complures Ecclesie Leges ex SANCTIS PATRIBUS desumptæ sunt, ac etiam desumi possunt. Videndum est, quid circa SANCTORUM PATRUM Scripta Canon doceat, & inter alia, 1. An aliquorum Doctorum Scripta expressè approbet, & quorum? 2. An Aliorum Scripta confusè tantum probet, & quorum? 3. Quam autoritatem Scriptis Patrum tribuat? 4. An aliquem eorum aliis præferat? 5. An Summos Pontifices inter Sanctos Patres collocet? 6. An Patrum loca inter Canones relata vim suam à Canone habeant?

Hinc enim patebit non solum, quanti faciendi sint Patres, sed etiam quo jure Ecclesie Leges ex eorum Scriptis desumantur: quod utrumque nosse multum refert.

§. I.

An Canon aliquorum Scripta Doctorum expressè approbet, & quorum?

REGULA PRIMA.

Non paucorum Scripta Doctorum Canon expressè approbat. Patebit Regula ex sequenti, in quâ Doctores isti enumerabuntur.

REGULA SECUNDA.

Non aliorum Scripta expressè probat Canon, quam istorum.

1. Beati CYPRIANI Martyris & Carthaginensis Episcopi: 2. Beati ATHANASII Alexandrini Episcopi.

3. Beati GREGORII Nazianzeni Episcopi. 4. Beati BASILII Cappadociae Episcopi. 5. Beati JOANNIS Constantinopolitani Episcopi. 6. HILARII Pictaviensis Episcopi. 7. Beati AUGUSTINI Hipponensis Episcopi. 8. Beati AMBROSII Mediolanensis Episcopi. 9. Beati HIERONYMI Presbyteri. 10. PROSPERI Viri Religiosissimi. 11. Epistolam Beati LEONIS ad FLAVIANUM Constantinopolitanum Episcopum destinatum, cujus textum aut unum iota, si quisquam idiota disputaverit, & non eam in omnibus venerabiliter acceperit, Anathema sit. 12. RUFINI & ORIGENIS quæ Beatus Hieronymus non repudiat. 13. OROSII Viri eruditissimi. 14. Venerabilis Viri SEDULII. 15. VINCENTII. 16. EUSEBII Cæsariensis cum quâdam restrictione. 17. BEATI CYRILLI opera à Quinto Concilio Generali recepta. 18. Sancti ISIDORI.

Nota circa citatum DIST. XV. Canonem, 1. ex illo patere Quinto Sæculo, quo vivebat GELASIUS è quo desumptus est, Sanctos *Beatorum* nomine donari consuevisse. 2. Doctores, quorum Scripta probantur à n. 2. ad 9. inclusivè esse eos, qui Ecclesie Patres præcipuè appellatur, quorum quatuor priores ad Ecclesiam Græcam, sive Orientalem, quatuor verò sequentes ad Latinam sive Occidentalem pertinent.

3. Ex hac fortè approbatione à GELASIO his Doctoribus conjunctim datâ, totque Sæculis probatâ, sicut ex eorum merito talem illis honorem tributum esse, ut præ aliis Ecclesie Patres vocentur; hinc etiam factum, ut Latinorum Patrum Festa sub duplici officio celebrentur. c. 1. de *Reliquiis &c. in VI.*

4. Horum octo Doctorum Opera ab Hereticis, qui quatuor priorum Sæculorum Doctrinam admittunt, esse recipienda, cum ad quartum Sæculum maximè pertineant.

5. Variantes Lectiones circa hunc Canonem notatas etiam à Correctoribus Romanis, quæ tot & tales sunt, ut Originale vix distingui possit, juxta VAN ESPEN in illum, non respicere Opera prædictorum Patrum.

§. II.

An aliquorum Scripta Doctorum confusè tantum probet JUS CANONICUM, & quorum?

REGULA PRIMA.

Non uno in loco plurimorum Scripta Doctorum confusè tantum probat Jus Canonicum.

Patebit ex sequenti, ubi Doctores illi in genere recensentur, Jurisque loca, quæ illorum Scripta generatim probant, citabuntur.

REGULA SECUNDA.

Non aliorum Scripta Doctorum in Jure Canonico confusè tantum probantur, quam istorum.

1. Omnium Patrum Orthodoxorum, qui in nullo à Sanctæ Romanæ Ecclesie consortio deviarunt, nec ab ejus fidei Prædicatione sejuncti sunt, sed communionis ipsius, gratiâ Dei, usque ad ultimum diem vitæ suæ participes fuerunt. c. 3. DIST. XV. §. *item opus & tractatus.*

2. Omnium, quos B. Hieronymus partim approbat, dum in aliquibus tantum reprehendit. *ibid.* §. *item Rufinus.*

3. Omnium, quos Veneranda quinque priora Concilia venerantur: c. 2. *E. D. ex Sancto Gregorio Papa.*

4. Omnium Sanctorum Doctorum, Hieronymo, Augustino & Isidoro similibus c. 1. DIST. XX.

Hæc autem approbatio Generalis restringenda ad res, de quibus loquuntur Canones à quibus datur; verba enim juxta subjectam materiam interpretanda sunt. Pontifi-

De tacitâ approbatione his Scriptis datâ, dùm Ecclesiæ Leges ex illis desumptæ sunt, non loquimur, quia hæc electa ad hoc loca solum respicit; nec proindè de illâ, quam à Conciliis vel à Sacris Pontificibus acceperunt, dùm ex iisdem Scriptis Concilia, Summive Pontifices suas hauserunt Definitiones, laudatis vel non laudatis Autoribus, cùm approbatio ista ad loca, quibus prædictæ firmantur Definitiones, restringatur.

§. III.

Quam SANCTORUM PATRUM Scriptis Jus CANONICUM auctoritatem tribuat.

REGULA PRIMA.

Sanctorum Patrum Scriptis infallibilem auctoritatem non tribuit excepta B. LEONIS ad FLAVIANUM Epistola.

Prima pars Regulæ patet ex C. 3. 4. 5. 8. 9. 10. DIST. IX. in quibus AUGUSTINUS Doctorum Scripta cum Scripturâ Sacrà comparans, expressè docet, non licere dubitare de his, quæ Scriptura tradit, de aliorum verò Doctrinâ vel Dictis quibuscumque licere; Scripturæ subijciendam esse mentem propter solum ipsius auctoritatem, quia errare non potest, aliorum verò Scriptis, vel propter Scripturam, vel Canonicas, vel probabiles rationes, quibus innituntur.

Secunda constat ex C. 3. DIST. XV. in quo GELASIUS anathemate ferit, qui totam hanc Epistolam non acceperint; hæc autem exceptio Regulam confirmat; dùm enim GELASIUS SS. Patrum Scripta recipienda recensens, soli Epistolæ inter illa annumeratæ honorem hunc tribuit, satis indicat, aliis Scriptis non convenire.

Nec obstat C. 1. DIST. XX. ubi LEO IV. dicit Fidem circâ Apostolica & quatuor Evangelia inutiliter ad Salutem retineri & credi, si Scripta SS. Patrum indifferenter non recipiantur; nam loquitur de his Patrum locis, quæ ab Universali Ecclesiâ jam probata erant, quæque inter Canones collocata erant, restringit siquidem quod dicit ad ea, quæ Canonum nomine circumferuntur.

REGULA SECUNDA.

In Ecclesiasticis judiciis minorem habent auctoritatem SS. PATRUM Scripta, quàm APOSTOLORUM Canones, CONCILIA ab Universâ Ecclesiâ recepta, & Romanorum PONTIFICUM Decreta.

Patet Regula ex C. 1. DIST. XX. ubi LEO IV. id expressè docet.

§. IV.

An aliquem ex PATRIBUS aliis Jus CANONICUM præferat.

REGULA.

Nonnullis in locis, è Patribus aliqui aliis à Jure Canonico, quodammodo præferuntur.

Patet Regula ex C. 3. DIST. XV. Ibi enim præferri videntur, qui nominatim approbantur, iis, qui in genere tantum recipi declarantur: præterea *ibid.* S. HIERONYMUS *Beatissimus* nuncupatur, alii verò *Beati* tantum vocantur: ad hæc de solo HIERONYMO dicit *ibidem* GELASIUS, se de RUFINO, aliisque, quos S. HIERONYMUS reprehendit, idem sentire, quod HIERONYMUS; sequè de ORIGENE repudiare, quæ HIERONYMUS repudiat. Patet etiam ex C. 1. DIST. XX. in quo S. AUGUSTINUS, S. HIERONYMUS, & S. ISIDORUS præcipui nominantur, alii verò sub generali verbo comprehenduntur.

Tom. I.

§ V.

An SUMMOS PONTIFICES inter SS. PATRES Jus Canonicum collocet.

REGULA.

Summos Pontifices inter SS. Patres Jus Canonicum quandòque recenset; illos ab istis quandòque fecernit.

Prima Pars patet ex C. 3. DIST. XV. in quo GELASIUS recensens SS. Patrum Opera, quæ in Ecclesiâ Catholicâ recipiuntur, meminit Epistolæ S. LEONIS Papæ ad FLAVIANUM &c. meminit etiam omnium Prædecessorum suorum Epistolarum Decretalium pro diversoform Consultatione datarum.

Patet Secunda Pars ex C. 1. DIST. XX. in quo LEO IV. docens in Judiciis Ecclesiasticis non utendum Dictis Sanctorum Doctorum, quales Hieronymus, Augustinus &c. nisi cùm deficiunt Canones Conciliorum vel Præfulum Romanorum Decreta, Summos Pontifices à SS. Patribus à parte fecernit; cùm illis distinctum & potiorum locum assignet.

RATIO discriminis; Summi Pontifices, qui scripsere, considerari possunt, ut Ecclesiæ Doctores, & ut Controversiarum Judices: 1. Modo spectati, inter Patres collocari possunt, quia eo nomine Ecclesiæ Doctores intelliguntur: 2. Verò modo considerati, à Sanctis Patribus fecerni possunt, quia præter Scientiæ Clavem, quæ in Doctoribus, sicut in Pontificibus, reperitur, authoritatis Clavem habent Pontifices, quæ in DD. desideratur. GELASIUS ergò 1. modo Summos Pontifices consideravit; LEO IV. 2. modo illos spectavit.

§. VI.

An SANCTORUM PATRUM loca inter Canones relata, vim suam à Canone habeant.

REGULA.

Sanctorum Patrum loca inter Canones relata, dùm vim à Canone habent, non omnem ab eo hauriunt.

Tres sunt hujus Regulæ Partes.

1. Quòd quandòque hæc loca nullam vim à Canone accipiant;
2. Quòd quandòque ab eo vim accipiant.
3. Quòd, quando vim ab eo accipiunt, non omnem inde accipiant.

Prima patet ex eo, quòd sint SS. Patrum loca inter Canones relata à non habentibus condendi Leges potestatem, qualis v. g. GRATIANUS; hæc autem loca, ut alibi dictum, non majorem habent vim, quàm si inter Canones non referrentur.

Secunda patet ex eo, quòd inter Canones, SS. Patrum loca quædam referantur ab habentibus potestatem Leges condendi; quales sunt Episcopi & præcipuè Summi Pontifices: atqui loca ista vim Legis habent, eamque à Canone hauriunt: talia sunt, v. g. quæ in Decretalibus leguntur.

Tertia patet ex eo, quòd præter vim Legis à Canone acceptam, quæ est authoritas publica, aliam habere possunt à Doctrinâ & Pietatè illorum, è quibus desumuntur, nec non ex solido, cui innituntur, fundamento, quale est Scriptura Sacra, ratio Canonica, vel probabilis. C. 5. DIST. IX.

TITULUS VI.

De Verborum JURIS CANONICI significatione.

Verba, quibus Jus Canonicum utitur, considerari possunt, vel in genere, vel in particulari; Si 1. modo considerantur, quæri potest, quid in genere
b doceat

doceat Canon circa Verborum interpretationem; si 2. spectentur modo, quæri potest, quæ Verba, quas Locutiones interpretetur Canon: Locutiones Verbis junguntur, tum quia Verbis componuntur, tum quia quædam in Canone exponuntur: Idcirco quæ de Verbis hic dicenda sunt in duos §. dividuntur.

Sed prius notandum, inter ea, quæ sub hoc Titulo collocabuntur, tantam connexionem esse cum illis, quæ circa Rescriptorum, Privilegiorum, Contractuum interpretationem suis locis colligentur, ut quæ hic deesse videbuntur, absque ulla temporis jacturâ, indictis locis, quæri, inveniri que possint.

Notandum quoque cum CONZALEZ in C. 6. de Donat. inter 11. 12. &c. Studium Verborum Juris, maximi momenti esse ad Sapientiam Juris comparandam; ea enim non tam in tacito intellectu naturæ, aut intentione Legislatoris, quam in Verbis Legum continetur.

§. I.

Quid doceat Jus CANONICUM circa Verba in genere sumpta.

REGULA.

Non alia docet Jus Canonicum circa Verba in genere, quam ista.

1. Verba interpretanda sunt, ut communiter intelliguntur. C. 7. de Sponsal.

2. Intelligentia Dictorum ex dicendis Causis sumenda est: Non res Sermoni, sed Sermo rei servit, C. 6. de Verb. Signif.

3. Sermonis interpretatio non ex verbo ad verbum, sed ex sensu ad sensum fieri debet; dum enim Verborum proprietas attenditur, Veritatis sensus amittitur. C. 8. eod. T.

4. Non Verba, sed Intentionem proferentis considerare debemus, cum non Intentio Verbis, sed Verba Intentioni debeant deservire. C. 15. de Verb. Sig. C. 41. de Appell.

5. Non obest varius modus dicendi, narrandique diversitas, ubi idem in substantia asseritur. C. 7. de Verb. Sig.

6. Pluralis Locutio non semper infert suas singulares partes, numerumque pluralem; sed quandoque de uno in communi & in genere exponi debet. C. 24. de Privileg.

7. Verba, quibus Principis Beneficium exprimitur, sunt legitimè interpretanda, quantum patitur illorum communis acceptio, cui adhærendum. C. 16. de Verb. Sig. FAGN. in illud n. 41.

8. Pluralis Locutio duorum numero est contenta. C. 40. de Reg. Juris in VI.

9. In Obscuris inspiciendum quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit. C. 45. ibid.

10. Verba eo sunt interpretanda modo, ut res magis valeant, quam pereant. C. 1. de Fide Instrum. C. 25. de Verb. Sig.

11. In Ambitiosis stricta fieri debet interpretatio. C. 1. de Tit. Præb. in VI. C. 21. de Præb. in VI. C. 3. de Offic. Ordin. in VI.

12. In Dubiis benigna facienda est interpretatio; qualis quæ obscurè jurantis verba ita explicet, ut juramentum consonet cum Canonicis Institutis; qualis etiam quæ fit, ne ex Viri Prudentis verbis aliquid absurdi sequatur. C. 2. de Jurejur. C. 3. de Verb. Sig. in VI. §. & dato.

13. Natura termini restrictivi habet, quod sic excludat extranea, ut cuncta ad ipsum pertinentia includat. Clem. 1. de Verb. Signif. §. Cum autem.

14. Quod de uno (id est de unâ Generis parte) negatur, consequens intellectus patet, quod de quibusdam aliis conceditur. C. 4. Dist. XXV.

15. In connexis quod de uno dicitur necesse est; ut de altero intelligatur. C. 3. de Constitut.

16. Constitutionis Particularis Verba secundum Jus Commune interpretanda sunt, nisi aliundè pateat gratiam impertiri Constituentem voluisse; hinc cum constituitur, ut Episcopo solvatur tertia Pars eorum, quæ Ecclesiæ legantur, excipienda sunt ex iis Legatis quæ Jure Comuni excipiuntur.

17. Porro Regula dari potest, quod quoties in Regulis juris, hæc vox, *Fides*, adhibetur, de bonâ, vel malâ Conscientiâ intelligenda est, vel de Fidelitate; sed ut plurimum de Conscientiâ, rarissimè Fides hic sumitur pro Fidelitate R. 75. in VI. Unicum exemplum hujus rei continere videtur C. 31. de Verb. Sig.

§. II.

Quæ Verba, quasque Locutiones Jus CANONICUM interpretatur.

REGULA.

Non alia circa hunc §. leguntur in Jure Canonico, quam ista.

1. Nomen *Sanctitas*, dabatur olim Episcopis ab ipsomet summo Pontifice. C. 52. C. 102. CAUS. II. QUÆST. III.

2. Idem de nomine, *Beatitudo*.

Hinc Antiqui Canones, in quibus alterutrum Nomen datur iis, quibus Sermo dirigitur, non sunt capropter de Summo Pontifice interpretandi C. 102. *mox cit.*

3. De appellatione Clericorum, Presbyteri & Diaconi intelliguntur. C. 38. CAUS. II. QUÆST. I.

4. Nomen, *Pater*, Avos & Proavos comprehendit. C. 2. de Verb. Sig.

5. Decedens ubi natus est, habetur ut non natus. C. 3. de Verb. Sig.

6. *Antequam*, *donec*, *Præcedentia*, non *Subsequentia* includunt. C. 4. eod. Tit.

7. *Primogenitus* dicitur, is qui primò nascitur, etsi alius post illum natus non sit. C. 5. eod. Tit.

8. *Præpositus* dicitur is, qui quamdam Prioratûs curam gerit supra alios: C. 9. eod. Tit.

9. Pronunciari potest Diffinitiva Sententia, his verbis: *Statuo*, *Præcipio*. Quod ita fiat sicut & istis: *Condemno*: *Absolvo*. C. 15. eod. Tit.

10. Hæc vox, *Vix*; non tam negat quid fieri, quam difficulter fieri affirmat. C. 2. de Cognat. Spirit. in VI.

11. *Evidens*, *Notorium* & *Manifestum* sunt synonyma, idemque significant. C. 31. de Elect. in VI. C. 2. de Verb. Sig. in E. L.

12. Per *Negotia* generaliter sumpta, intelliguntur negotia Extrajudicialia & Judicialia. C. 5. de Procuratorib. in VI.

13. Quos Papa recipit in Filios speciales, non ideo eos ab Ordinario eximit. C. 1. de Verb. Sig. in E. L.

14. *Desertus*, locus est, qui nec penitus habitatus, nec cultus, vel ultrâ Hominum memoriam. *ibid.*

15. Statuentes non recipere Mandatarium Apostolicum, aliumve similem, *Conspiratores* dici possunt. C. 2. de Verb. Sig. in VI.

16. Per *Cellas* intelligi possunt loca secreta, & solitaria, quæ ab Hominum convictu separata, ad contemplantum, Deoque vacandum sunt deputata. C. 4. eod. Tit. & L.

17. Quando alicui indulgetur, ut suorum Clericorum Beneficia conferre possit, id de Clericis verè Domesticis, Familiaribus, Commensalibus intelligendum est. *Cap. ult. eod. T. & L.*

18. Nomen *Censuræ* Excommunicationem, Suspensionem, Interdictum comprehendit. C. 20. de Verb. Signif.

19. *Mani-*

19. Manifestum est, quod confirmatione vel probatione legitima, vel rei evidentia, qua nullam patitur tergiversationem notum est. C. 24. E. T.

20. Hæc vox, *Moderari*, diminuere significat. C. ult. Eod. Tit.

21. Nomine, *Dammorum*, expensæ non comprehenduntur. C. 8. de *Injuriis*.

22. Quando in privilegiis excipitur jus *Matricis Ecclesiæ*; per Matricem Ecclesiam, Cathedralis, non Romana intelligenda est. C. 22. de *Verb. sig.*

23. Si sententia de re aliqua dicat, eam in statum, in quo tempore motæ litis erat, restituendam, referendum id est, ad tempus, quo litis contestatio facta fuit. C. 30. de *Verb. signif.*

24. Vox hæc, *Excommunico*, sine additione ullâ posita, de majori Excommunicatione intelligenda est. C. 59. de *Sent. Excom.*

25. In Confirmatione alicujus Compositionis ex certâ Scientiâ factâ, hæc clausula (*sicut sine pravitate facta est*) non conditionaliter, sed causativè sumitur; id est non exprimit conditionem, sub quâ fit Confirmatio, sed causam, propter quam fit. C. 8. de *Confirm.*

26. Nomine *Interdicti Generalis*, non solum intelligitur illud, quo Regnum vel Provincia, sed etiam illud, quo Villa vel Castrum interdicatur. C. 17. de *Verb. sig.*

27. *Novale* est ager de novo ad cultum redactus, de quo non extat memoria, quod aliquandò cultus fuisset. C. 21. de *Verb. sig.*

28. Per *Ecclesiam*, *Diæcesis* nomen ferentem, intelligitur Capitulum, saltem si agatur de juramento, quo Ecclesiæ isti se quis adstringit, aliove se obligat modo: undè jurans Ecclesiæ Parisiensi se obediturum. Capitulo Ecclesiæ Cathedralis hujus Diæcesis se obligat. C. 19. *ibid.*

29. *Oblationis* nomine intelligendum est quidquid Ecclesiæ offertur, quocumque modo vel loco id offeratur, atque ita interpretanda est vox ista in assignandâ Oblationum portione iis, quibus certa illarum Pars debetur. C. 29. *ibid.*

30. In re favorabili, *Beneficii* nomine, nedùm minorâ, sed & majora comprehenduntur Beneficia. C. 32. de *Verb. sig.*

31. Clausula hæc (*Salvâ justitiâ*) quæ inferi solebat in Indultis permittentibus, Parochianos sepulturam extrâ Parochiam recipere, quæque Parocho reservatur Portio ex emolumentis sepulturæ, interpretanda juxtâ Locorum Consuetudinem plus minûsque concedentem. C. 9. de *Sepult.*

32. In quacunq; dispositione verba accipiendâ cum effectu. C. 4. de *Clev. non resid.*

In colligendis iis, quæ Verborum significationem spectant, consulto omiſsa sunt, quæ sub hoc Titulo, nec non sub aliis, circa illorum Chronologiam habentur; idque quia hæc respicit tantum nomina, non illorum significata: hæc autem agitur de rebus significatis, non de nominibus illarum, ipsorumque origine.

Prætermisimus etiam, quàm plura circa explicationem Clausularum, quarum intelligentia multum pendet ex speciali materia, ad quam pertinent, quia suo loco utilius congruentiusque explanabuntur.

TITULUS VII.

Observationes circa ipsas JURIS CANONICI Regulas.

UT sunt in Philosophiâ & Theologiâ Axiomata; ut sunt in Medicinâ Aphorismi, quibus plurimæ circa has scientias Quæstiones deciduntur, quæ idè accuratius docentur & discuntur; ita sunt in Jure Canonico quædam Regulae, quibus varia hujus Juris dubia resolvuntur, quæque idècirco à CHASSANEO Tom. I.

Juris Axiomata vocantur *Enchiridion n. 489*. Cognitâ ergò & maturè perpensâ illarum necessitate ac utilitate, hic omnes pro posse non tamen sine defectu colliguntur, eoque ordine, quo facilius & intelliguntur & retinebuntur, præmissis tamen nonnullis circa illas scitu necessariis.

Notâ ergo 1. ex omnibus Juris Canonici Collectoribus solum BERNARDUM Papiæ Præpositum & BONIFACIUM VIII. Regulas Juris collegisse: BERNARDI Regulas Mores tantum respicere; BONIFACII verò Regulas quamlibet Juris Materiam spectare, eumque imitatum esse MARTIANUM, ULPIANUM, CAIUM, PAULUM, aliosque, è quorum Libris Regulas Juris continentibus TRIBONIANUS ultimum Titulum Digestorum de *Diversis Antiqui Juris Regulis* inscriptum composuit, confecitque.

Nota 2. circa illarum originem, duplex Regularum Juris genus esse, alias nempe, quibus Juris Auctores Decisiones, vel Constitutiones suas firmant, istasque considerandas ut Juris Principia; alias verò, quæ ex Constitutionibus vel Decisionibus Juris Conditorum collectæ sunt, istasque spectandas esse ut Juris consequentias: Utramque Regularum acceptionem notat & probat CANIS. *init. Comment. in Regulas VI.* jam verò Glossa connectens Tit. de Regulis Juris cum præcedentibus docet, Regulas Juris esse Principia, quibus decidi possunt Casus, qui non sunt expressè vel specialiter in Jure decisi.

3. Juris Compilatores 2. modo Juris Regulas considerasse, idècirco in postremo Collectionum suarum loco illas collocasse.

4. Nos illas hic primo modo spectare, tum quia sunt Juris consequentiæ, ab ipsis Juris Conditoribus nonnunquam ad decidendum usurpatæ, ut patebit percurrere volenti Capita suo loco citanda; tum quia jamdiu ad Decisiones, tamquam Leges adhibentur, idècirco Juris Principiis nos illas attexere non immerito; Basilicon Collectorum exemplum sequentes, qui Juris Civilis Regulas inter Præcipuas hujusce Juris Partes collocarunt. L. 2. Tit. 3.

5. Illarum Regularum quasdam, ad quamvis Juris Materiam extendi, alias verò vel Mores vel Judicia, vel Beneficia præcipuè respicere: Idècirco Juris Regulas dividi posse in *Communes* & in *Particulares*; istas verò subdividi in *Morales*, *Judiciales* & *Beneficiales*; *Morales* etiam subdividi posse in *Præceptorias*, *Permissorias*, & *Prohibitorias*; quia omnia, quæ Mores tangunt, vel sunt præcepta, vel permissa, vel prohibita; has autem Divisiones nos secuturos, ut tractandæ Materiæ congruentiores.

6. Circa nomen, Regulam dici, ex eo quod rectè ducat, nec quemquam aliorum trahat, vel quod rectè regat: Circa rem hoc nomine significatam, Regulam esse brevem Juris sententiam, uno quasi verbo res aliquas decidentem.

Postremò nota, plurimas Juris Canonici Regulas è Jure Civili esse desumptas, multas quoque prioris generis magnam inter se habere connexionem, cuius monebitur Lector aliarum in aliis citatione.

CAPUT PRIMUM.

DE COMMUNIBUS JURIS REGULIS.

OBSERVATIO.

Non alia in JURE CANONICO leguntur Communes JURIS REGULÆ, quàm que sequuntur.

I. EX post facto nequit convalescere, quod ab initio non valebat; vel quod ab initio non valuit, tractu Temporis convalescere non potest.

Ex his duabus Regulis una fit, quia ad idem reducuntur; nempe quod res in se irrita, rata fieri nequeat per id, quod subsequitur, nisi interveniat Superioris

authoritas, quæ his in Regulis excepta censenda est. *C. 29. de Elect. C. 18. de Reg. Jur. in VI. C. 29. 210. ff. de Reg. Jur. R. 8. & 24. hujus Tit.*

Hæc Regula in Contractibus, Judiciis, in Provisionibus ad Beneficia, in Emissionem Votorum, in Electionibus ad quasvis Dignitates, locum habet.

Videtur Regula adversari iis Legibus, quæ volunt, ut Actus, irriti ex defectu consensûs eorum, quorum interest, firmi fiant, si postea eorundem consensûs superveniat, sicut in his, quæ metu fiunt, & in Electione, Præsentatione, Collatione factis spreto Patrono vel Compatrono, vel Electionibus quibusdam; sed non adversatur, quia illi Actus irriti non sunt, sed irritandi conquerente læso vel non vocato.

REGULÆ RATIO: Juris defectus suppleri nequit nisi à Legis Conditorum.

II. Qui per alium facit, per seipsum facere videtur.

C. 30. de Elect. C. 72. de Jure in VI.

REGULÆ RATIO: Is, per quem quid facio, meipsum representare valet: Hæc Regula in quavis aliâ actione, quam personali, valet: qualis omnium ferè est Sacrarum rerum receptio, quorundam confessio, nec non & administratio.

Hinc sequitur posse quem per alium, quod potest per seipsum. *C. 68. de Reg. Jur. in VI.*

III. Non facit injuriam, qui utitur jure suo. *C. 31. de Elect. L. 155. ff. de Reg. Jur.*

REGULÆ RATIO: Ut fiat injuria, alienum jus est tollendum; Utens autem jure meo alienum non tollo; & si tibi noceo, id non intendo, sed solam juris mei fruitionem.

Semper vera est hæc Regula in foro exteriori, sed quandoque falsa in foro interiori; in isto enim abstinere debeo ab actione aliunde mihi licitâ, si sit Infirmis scandalo. *I. CORINTH. VIII.*

IV. Privilegium meretur amittere, qui permiscâ abutitur potestate.

C. 34. de Elect. C. 11. de Decimis, ut est in Collectione GRAT. C. 18. de Regularit. C. 6. DIST. LXXIV. R. 45.

Extendi potest hæc Regula ad quamcumque rem, quâ quis abutitur.

REGULÆ RATIO: Aliquâ re abutens fit eâ indignus.

V. Quod statutum fuit ad pœnam, non debet trahi ad gratiam.

C. 2. de Translatione.

Vera est hæc Regula non solum circa eundem, sed etiam ergâ diversos; itâ ut sensus sit, quod statutum ad pœnam unius, ad alterius gratiam non sit trahendum; RATIO est, quod in statuendis pœnis attenditur Reorum pœnitio, non honor pœnas exequentis; in concedendis verò gratiis respicitur non solum commodum ejus, cui conceduntur, sed etiam honor illius, cui datur gratias vel concedendi, vel exequendi, Potestas.

VI. Quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet.

C. 7. de Offic. Archid. C. 29. de Reg. Jur. in VI. Reg. 83.

Dùm de damno & de Juris Communis jacturâ, vel de diminutione agitur, vera est Regula juxta vim omnem terminorum.

Dùm de aliis agitur, non est eo modo vera; sufficit enim majoris Partis consensus, quæ Pars hac voce omnibus intelligitur, sive ii, quorum est Jus Commune, interveniant ut Singuli, sive ut Universi.

Fundamentum Reg. est *C. 56. VI. ut num. 83. hoc Tit. dictum est.*

VII. Mendax Precator carere debet impetratis.

C. 15. de Rescript.

REGULÆ RATIO: Habetur in Regulis circa Mores prohibitorii. *N. 1. 2. 4.* Ad Mores extendi potest, quia quisquis mendacium punit, odisse facit.

VIII. Quod defectu consensûs vel libertatis ab initio non valet, ratihabitione validum fit.

C. 1. de His, quæ vi metuve.

Respicit hæc Regula omnem materiam, quæ consensum, requirit, qualis est omnis actio, quæ novam inducit obligationem.

REGULÆ RATIO: Ratihabitio desideratum consensum supplet.

IX. Privatorum pacto Juri Publico derogari non potest.

C. de For. Compet. L. 45. ff. de Reg. Jur.

Regula illa alii Regulæ videtur contraria; nempe isti, *liberum est cuique juri suo renuntiare*, de quâ *C. 6. de Priv. C. ult. de Crimin. falsi*; sed non est, ut patebit ex mox dicendis.

RATIO REGULÆ est; Jus Publicum est vinculum publicum, quod solvi non potest, nisi auctoritate publicâ, qualis non est ea, quâ fit pactum Privatorum; est enim tantum privata; Præterea Jus Publicum, bonum publicum respicit, Privatorum pactum privatum tantum bonum tangit; ideòque sicut bonum istud illi cedere debet, itâ & Privatorum pactum Juri publico; hinc quoties bonum privatum bono publico conjunctum est, nemo potest privato renuntiare: Undè, cum Portio Congrua Parocho debita privatum illius bonum, nec non & publicum, totius Parochiæ, imò totius Parochorum Corporis bonum tangat, nullus Parochus Congruæ Portioni renuntiare validè potest.

INNOCENTIUS III. in *cit. C.* utitur hac Regulâ ad probandum, quod Clericus renuntiare nequeat privilegio fori; hæc applicatio non placet Cujacio, eamque impugnat; placet verò GONZALEZ suamque tuetur Uterque in Commentariis in hoc Caput.

X. Res inter alios acta, mihi præjudicare non debet.

C. 7. de Caus. poss. & propr. C. 25. de Prab. in fine. C. 6. de Fide Instrum. C. 17. de Sent. & Re Jud. C. 8. de Donationibus.

Quoad Judicia non est per omnia vera Regula hæc; Causa enim inter alios judicata simili Causæ meæ interdum obest, quia ex judicato Judices nonnunquam judicant.

Ad Mores quodammodo extendi potest; hinc enim inferre licet, non curandum de his, quæ inter alios occultè fiunt, quia sive cadat alius, sive stet, Domino suo cadit vel stat, & sicut non juvat stans, ita nec præjudicat cadens.

REGULÆ RATIO: Ni vera esset hæc Regula, Latissima ad vexandum me pateret Porta; possent enim alii in damnum meum conspirantes convenire. Adde quod immeritè damnarer inauditus & indefensus.

XI. Promptiora sunt Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum.

C. 3. de Prob.

RATIO REGULÆ. Præstat absolvere Reum, quam Innocentem condemnare. Extendi potest ad Mores; hinc enim docemur promptius in bonam, quam in malam partem, judicandum. In foro interiori non est vera, si dubitetur, an quis peccatum diligit; hoc enim promptius est ad condemnandum, quam absolvendum, quia nullum est periculum, si condemnatur benè dispositus, eoque modo ad majorem preparationem adstringatur, ingens verò, si malè dispositus absolvatur.

XII. Litteris Ordinarii aliquid attestantis standum est, donec probetur contrarium.

C. 7. de Probat.

REGULÆ RATIO: Ordinarius præsumendus est bonus, donec probetur malus. Extendenda est ad Notarium, aliamve similem Personam Publicam.

XIII. Quod

XIII. Quod fit contra Legem non valet, nullamque habet roboris firmitatem.

C. 2. de Test. & Attest. C. 5. de Reg. Jur. C. 3. CAUS.

XXV. QUÆST. II. C. 64. de Reg. Jur. in VI.

De Lege Humanâ duntaxat loquitur: ac videtur restringenda ad ea, quæ actuum substantiam tangunt, *vide Reg. 36.* Videtur quoque ad Legem Divinam extendenda, quoad eadem substantia: Sacra siquidem sunt irrita, quando contra Legem Divinam in substantialibus conficiuntur.

REGULÆ RATIO. A Lege valorem roborque suum Res habent.

XIV. Actus legitimi sunt Infamibus interdîti.

C. 47. de Testib. & Attest. R. 12. Judicial. quæ Excommunicato etsi infami, Actus Legitimus defensionis permittitur, quia ex Jure Naturali nascitur.

Per Actus Legitimos, intelliguntur Actus Civiles, qui Civibus per Leges permittuntur, quales sunt contrahere, agere in iudicio, testari.

Per Infames hic intelliguntur, qui Jure Civium privati, Civiliter mortui habentur.

Etsi loquatur tantum de Temporalibus, ad Spiritualia extendenda est: si enim Temporalia, quæ vilia sunt, Infamibus non credantur, quanto minus Spiritualia, quæ ejusdem ac Dei Sanguinis sunt pretii, eis credenda sunt?

REGULÆ RATIO: Admitti ad Actus Legitimos est honor à Jure concessus, quali indigni sunt Infames.

XV. Res eo intelligenda est modo, ut magis valeat, quam pereat.

C. 6. de Fide Instrum. C. 25. de Verb. Signif.

REGULÆ RATIO. Facientis quid intentio est, ut valeat, suaque est facienti servanda intentio.

XVI. Quod meum est, ex aliâ causâ meum fieri nequit, nisi desierit esse meum.

C. 6. de Fide Instrum. l. 159. ff. de Reg. Jur. Restrīgenda videtur Regula ad acquisitionem strictè sumptam, quâ res ex non meâ fit mea; alia enim est acquisitio latè accepta, quâ res mea fieret, si jam mea non esset, ideòque quodam modo fit denuò mea; v. g. Pater Filium suum à morte pluriès liberat, Filius acquiritur Patri, quoties ab eo liberatur à morte; juxta hunc sensum ad Deum infinitiès pertinemus.

REGULÆ RATIO. Per quod res mea fit, per id illius acquiro Dominium: Rei autem meæ jam sum Dominus, ideòque cum illius habeam Dominium, illud aliudè proprie acquirere nequeo.

XVII. Præsumitur Quis idoneus, nisi contrarium probetur.

C. ult. de Præsumpt. R. 2. Benef.

Licet Regula hæc Particularis sit in eo, quod è Re Beneficiariâ desumatur, inter Communes tamen eam collocamus, quia extendi potest ad Testes, ad Accusatores, ad Patronos, ad Sponsores, ad Pœnitentes, ad quosvis Officiarios, quos præsumere tenemur idoneos, nisi vel examinis, aliâve viâ ineptos reperiamus. Sed ea præsumptio tanta non est, ut ab examine eximere debeat.

REGULÆ RATIO legenda in explicatione Regulæ 8. hujus T.

XVIII. Qui ad onus eligitur, à mercede non est repellendus.

C. 16. de Præb. l. 10. ff. de Reg. Jur.

Regula ad istam VI. reducitur: qui sentit incommodum, sentire debet & commodum.

REGULÆ RATIO. Præmium à merito sine injustitiâ non sejungitur.

XIX. In his, super quibus Jus non invenitur expressum, in humaniorem partem est declinandum, prout Circumstantiæ postulant.

Tom. I.

C. ult. de Transact. C. 12. de Reg. Jur. l. 192. ff. de Reg. Jur.

Regula ista XIX. illustratur & confirmatur ab XI. quam etiam illustrat & confirmat.

Omnes Superiores & Inferiores respicit hæc Regula; servanda est enim ipsa æquitas, quæ in benignius semper propendet, quoties Lex deficit: Adde quod Hominis est, cum Lex ad aliud non cogit, in alios humaniùs agere.

XX. Cessante Causâ, cessat Effectus.

C. 26. de Jurejur. C. 6. de Appell. C. 15. de Pen. & Remiss.

Hinc, cum non sit malum Juramentum, nisi quia fit sine necessitate, vel pro re falsâ vel injustâ, vel quia frequentius iteratur, si cessent hæ Circumstantiæ, cessat Juramenti malitia; ideòque licitum erit: si Judex. v. gr. à quo propter gravamen inter-locutione vel comminatione illatum appellatum est, illud revocet, procedere potest, ac si appellatum non esset; Cum peccata, sint Causâ Morborum, tollenda sunt peccata, ut cessent Morbi.

Loquitur Regula de effectu producendo, vel de producto, qui ad sui conservationem eget Causâ suâ; falsa est enim erga Effectum, qui in sui conservatione à Causâ non dependet, qualis est omnis artis opera, quæ absente vel moriente Artifice non perit.

REGULÆ sic expositæ RATIO: Effectus non est, nec durat, nisi Causâ influxu.

XXI. Delictum Pœnæ in Ecclesiæ damnum redundare non debet.

C. 6. de except. C. 3. CAUS. XVI. QUÆST. VI. C. 76. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO. Innocens nemo puniendus est, at Ecclesia eo casu sine culpâ puniretur: Ad quodvis Corpus Morale extendi potest.

XXII. De Jure melior est conditio Possidentis.

C. 6. de Præscript. C. 65. de Reg. Jur. in VI. l. 33. 126. 128. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Possessio legitima præsumitur, donec contrarium probetur.

NOTA ALEXAND. III. in Cap. 6. cit. insinuare, Regulam istam ex Jure Divino manare; quod intelligendum videtur de Jure Divino latè sumpto, quale est Jus Naturale; cum in Jure Divino strictè sumpto, quale est quod Juri Naturali à Deo adjunctum est, nil legatur Regulæ isti favens; vel si quid hujusmodi habeatur, Jus Divinum à Naturali fuerit mutuatum; Quæ enim in Jure Divino præcepta sunt, quibus melior fiat conditio Possidentis, nisi quæ vetant, ne temerè contra proximum judicemus, illumque sine causâ Usurpatorem existimemus? Hæc autem præcepta quid continent quod Naturalis ratio non dicet, quodque proinde à Jure Naturali non proficiuntur?

XXIII. In eo quis puniendus est, in quo deliquit.

C. 42. de Appell. C. ult. de Immun. Ecclesiæ. C. 11. de Excess. Præl. C. 44. de Elect. in VI. C. ultim. de tempor. Ordin. in VI.

REGULÆ RATIO. Culpæ convenire debet Pœnæ. Res autem ita se habet, quando v. g. punitur in pecuniâ, qui per pecuniâ deliquit. De punitione, quæ fit in correctione, ac de illâ, quæ fit in iudicio, intelligenda est.

XXIV. Invalidæ Rei invalida est Confirmatio.

C. 6. Coll. 3. de Concess. Præb.

REGULÆ RATIO. Confirmatio supponit Rem validè factam, firmari enim nequit, quod non est; at Res invalidè facta, est quasi non facta, ideòque non est.

XXV. Rem alienam possidere non licet invito Domino.

C. 3. de Precariis.

REGULÆ RATIO. Res possideri justè nequit, nisi à Domino suo, vel cum illius consensu; rei enim Possessio ad eum pertinet, ad quem Dominium.

XXVI. Deceptis & non decipientibus jura subveniunt.

C. 8. de Reum Permut. C. 8. de Donationibus.

REGULÆ RATIO. Justitia, cui jura inniuntur, exigit, ut decipientes tanquam Rei puniantur; decepti verò tanquam miseri & vexati juventur.

XXVII. Res ad quemlibet cum onere suo transit.

C. 5. de Pignorib. C. 33. de Decimis.

REGULÆ RATIO: Onus rei est velut Pars illius, vel vitium inseparabiliter inherens.

XXVIII. Non debet quis dispendium pati, undè videtur præmium meruisse.

C. 2. de Fidejussor. C. 7. de Renunciatio.

REGULÆ RATIO. Injusta est actionis remunerandæ punitio.

XXIX. Qui gratiam meruit, non debet pœnam sustinere.

C. 5. de Fidejussorib. in Collect. 1.

Non differt à præcedenti, nisi in terminis, eadem est etiam cum 61. Regulâ in VI. si gratiæ, de quâ ista, merito sit concessa.

XXX. In Contractibus plena, in Testamentis plenior, in Donationibus plenissima est interpretatio faciendâ.

C. 6. de Donationibus.

REGULÆ RATIO: Quo favorabilior res est, eò favorabilior est interpretanda, Donatio autem favorabilior est Testamento, Testamentum verò Contractu.

XXXI. Dignus est Operarius mercede suâ.

C. 1. de Sepult. c. 45, 56, 67. CAUS. XII. QUÆST. 2.

Melior REGULÆ RATIO Christi autoritas Luc. XI. 7. illâ utentis. Eodem recidit sequens: Denario fraudari non debent in vineâ Domini laborantes. C. 5. de Magistr.

XXXII. Qui fuerunt Socii Passionum, debent esse Socii Consolationum.

C. 1. de Sepult.

Si Regula justa evidenter non esset, justam ostenderet S. Pauli autoritas. 2. COR. v. 7. illam insinuantis.

XXXIII. Ubi Majus conceditur, Minus concessum esse videtur.

C. 1. CAUS. 16. QUÆST. 2. C. 27. de Decim. L. 21. II. 147. ff. de Reg. Jur.

Differt tantùm hæc Regula in terminis à 53. VI. sic concepta, Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus.

REGULÆ RATIO: Plus semper in se continet, quod est minus, ut habetur in 35. VI. Reg.

Ab utraque tamen excipiendi sunt casus sequentes.

1. Si res sit odiosa. Cap. 25. int. & C. 29. de Decimis.
2. Est, si minus dedecet eum, cui majus conceditur, ut dedecet Præsidis Dignitatem quæ sunt Amanuentis, aliisve Inferioris Justitiæ Officialis.

XXXIV. Res vel substantia una & eadem diverso jure censerî non debet.

C. 10. de Decim. C. 22. de Privil.

REGULÆ RATIO: Alterutrum jus esset iniquum: Restringenda Regula ad rem sub eadem ratione consideratam. v. g. Jurisdicção in aliquo loco in genere spectata non potest ad unum pertinere ex præscriptione, ad alium verò ex alio jure; Jurisdicção verò in specie spectata Jure Communi ad me pertinere potest, ad te verò Jure præscriptionis v. g. Jurisdicção circa aliquos actus, quos jam à XL. annis exerces. Cui debet ager Decimas antiquas Jure Communi, eidem eodem Jure debet & novas; Jure Communi idem ager nequit esse Decimalis in unâ parte, & in aliâ non Decimalis, si eosdem fructus ferat in utraq; nec debere pro unâ parte eorundem fructuum duodecimam

& pro aliâ decimam quartam. Eadem persona non potest ab Ordinarii Jurisdicçãoe eximi, ratione Ordinis Regularis, cujus Membrum est; & eadem ratione in eodem Capite eidem subijci.

XXXV. Potest quilibet renunciare ei, quod pro se noscitur introducitur.

REGULÆ RATIO: Quilibet juris sui Dominus est, suum autem hoc est, quod pro se introducitur est; Restringenda ad casus in quibus Jus Privatum cum Publico non conjungitur; undè cum ad Bonum Publicum pertineat, ut quis antè Professionem per annum saltem probetur, non licet Novitio, nec Monasterio, annuæ probationi renunciare, etsi introducta sit in utriusque favorem.

Hinc Concilium Tridentinum, ex utilitate publicâ motum, talem renunciacionem improbens, irritam declarat Professionem, quæ antè expletam annuam probationem, emittitur. Sess. XXV. C. 15. eadem de causâ revocat licentiam aliâs concessam huic probationi renunciandi: hujus licentiæ meminit C. 16. de Regular.

XXXVI. Multa fieri prohibentur: quæ si facta fuerint obtinent firmitatem.

C. 16. de Regular. mox citato. Vide Reg. 13. supra relata & Conciliacionem utriusque.

REGULÆ RATIO. Multa sunt à Jure prohibita, quæ Actuum substantiam non tangunt, vel quæ ad majorem cautelam tantum vetita sunt.

XXXVII. Similem cum aliis Vitam suscipiens, similem debet in Legibus sentire Disciplinam.

C. 3. de Statu Monach.

REGULÆ RATIO: Turpis est Pars toti suo non conformis.

XXXVIII. Pro non dato habetur, quod ab eo datur, qui donare non potest.

C. 5. de Jur. Patro. C. 6. E. T. in 1. Collect.

REGULÆ RATIO: Est alia Regula proximè referenda. Quod enim de dato dicit, de facto dici potest, nempe pro non facto habendum, quod fit ab eo, qui facere non valet.

XXXIX. Nemo plus juris in alium transferre potest, quàm ipse habeat vel habere dignoscatur.

Vid. GONZALEM in Cap. 6. de Donat. inter Virum & Mul. n. 10. ex hæc Regulâ aliquos casus excipientem C. 11. de Jur. Patro. C. 6. de Donationib. C. 79. de Reg. Jur. in VI. L. 54. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Nemo dat quod non habet.

XL. Non præstat impedimentum quod de jure non valet.

C. 8. de Jur. Patro. C. 52. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO: Ut nihili nulla affectio, ita rei irritæ nullus effectus.

XLI. Beneficium consequi non debeo ex eo, cui tacitè renunciavi.

C. 19. de Censib.

REGULÆ RATIO: Hæc renunciacione jus meum amittit.

XLII. Remedia periculis graviora, ut falsa abjicienda sunt.

C. 7. de Celeb. Missar.

REGULÆ RATIO: Minus malum non est majori pellendum.

XLIII. Qui succedit in honore succedere debet in onere.

C. 7. de Immun. Eccl. C. 12. de Sent. Excom. in Collect. 4. C. 77. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO: Est ista VI. Regula, qui sentit commodum, sentire debet & incommodum.

XLIV. Frustrâ Legis implorat auxilium, qui in eam committit.

C. ult.

C. ult. de Immun. Eccl. C. 14. de Usuris.

REGULÆ RATIO; Qui talis est, Legis pœnam potius meretur, quam auxilium.

XLV. Non debet quis gaudere privilegio, quo se reddit indignum.

C. ult. de Immun. Eccl.

Eadem penè est ac *Quarta hujus Tituli*: Abutens enim permiffa sibi ex privilegio potestate, ista se reddit indignum; Dicimus penè, quia cum aliter possit aliquis se reddere indignum privilegio, nempe pravis moribus, quam concessa potestatis abusu, amplior ista est, quam illa.

XLVI. Omnis res per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur.

C. 1. de Reg. Jur. L. 35. 153. ff. de Reg. Jur.

Loquitur de obligationibus inter Homines, quæ mutuo consensu generantur, consensu mutuo dissolvuntur. In his omnibus vera est, præterquam in obligatione Matrimonii, quæ licet consensu contrahatur, consensu non dissolvitur, idque quia placuit Deo, ut esset indissolubilis. Ob parem rationem obligationes Hominum erga Deum, quales per vota fiunt, excipiendæ videntur à Regula, nam sunt indissolubiles, quoties servari possunt sine peccato; sed immerito, cum, si Deus consentiret, hæc obligatio mutuo Partium consensu dissolvi posset; Exceptio convenientior peteretur ex Votis Solemnibus, si de obligatione Votentium erga Monasteria, & istorum erga Voves, sermo esset; hæc etenim mutuo consensu contracta, eodem modo dissolvi nequit.

XLVII. Ecclesia non judicat de occultis.

C. 35. de Simon.

REGULÆ RATIO. Cogitationes meæ soli Deo & mihi notæ sunt, ideo Ecclesia de his judicare non potest.

XLVIII. Undè jus prodit, interpretatio quoque procedere debet.

Intelligenda de illâ, quæ vim obligandi habet, *C. 31. de Sent. Excom. C. 2. de Off. Ord. in VI. §. si verò.*

REGULÆ RATIO: Interpretatio, quæ facit jus, qualis est, de quâ hic agitur, ad alium, quam ad Juris Conditorum pertinere non potest.

XLIX. Nemini imputandum quod fit contra ipsius prohibitionem.

C. 17. de Homicid.

REGULÆ RATIO: Nemo peccat nisi volens, quod autem quis prohibet id non vult; malè ergo ei imputatur.

L. Nemo alteri Legem imponere debet, quam ipse observare negligit.

C. 22. de Præb.

LI. Quod quisque jus in alterum statuit, debet uti eodem, & pati Legem, quam tulit.

C. 6. de Confit.

UTRIUSQUE REGULÆ RATIO: Jungimus eas, quia sunt una quoad sensum: Vel enim Legem, quam alteri imponis, injustam putas, & imponere non debes vel justam, & debes observare, hæc attinet *v. 4. CAP. XXIII. MATTH.* Dicens de Phariseis, quod imponant onera gravia, quæ digito movere nolunt.

LII. Rem, quæ culpâ caret, in damnum vocari non convenit.

C. 2. de Const.

REGULÆ RATIO: Innocens non est puniendus.

LIII. Difficile est, ut bono peragantur exitu, quæ malo sunt inchoata principio.

C. 25. CAUS. I. Q. I. C. 5. DIST. 61.

Loquitur de ingressu ad dignitates; extendi potest ad ingressum in quemvis statum.

REGULÆ RATIO: Item de Aedificio Spirituali, quod de Materiali dicendum est, hoc autem quamdiu malo inicitur Fundamento, ruinæ proximum est: vitium Fundamenti emendandum est, ut firmum possit esse

ædificium, hæc autem emendatio difficilis est, nisi destruat ædificium & reficiatur fundamentum. In aedificio Spirituali emendatio fieri nequit, nisi penitentia, & regressu, si licitus sit, ut in vitiosa ad dignitatem Promotione; Sin verò, solâ penitentia. Adde quod ordinarium mali ingressus vitium, est vocationis defectus, sine quâ boni quidquam vix fieri potest.

LIV. Quod Sanctorum Patrum documento sancitum non est, superstitiosâ adinventione non est præsumendum.

Loquitur de purgatione vulgari Patrum Doctrinæ contraria, atque ad similia extenditur. *C. 20. CAUS. II. Q. 5.*

LV. Privilegium alicui concessum, non est ad alios extendendum.

C. 39. CAUS. XVI. Q. I. R. 58.

Eadem videtur cum 74. VI. Regulâ sic conceptâ: *Quod alicui gratiosè conceditur, non debet aliis trahi in exemplum.*

REGULÆ RATIO: Privilegium est Lex privata, quæ illos tantum tangit de quibus expressè loquitur.

LVI. Omne rarum plus appetitur.

C. 2. 4. DIST. XCIII.

Hinc videtur, cur Viri verè Pii ab omnibus appetantur; hoc, enim provenit ex hoc quod Pietas vera, sit quid rarum, hinc è contra quæ frequentiora negliguntur, vel reverenter minus tractantur; exempla habet in Missis, ubi frequentiores, & in Expositione Sacramenti, ubi itidem frequentior.

LVII. In uno eodemque Officio non esse debet dispar Professio:

C. 22. CAUS. XVI. QUÆST. VII.

Convenit cum Regulâ 37. istius Tituli. *C. 22. CAUS. XVI. QUÆST. VII.*

REGULÆ RATIO: Inter Homines disparis Professionis, facillimè gliscit discordia.

LVIII. Singulorum Privilegia Legem Communitatem facere non possunt.

C. 4. CAUS. XXVI. QUÆST. II.

REGULÆ RATIO: Privilegii finis est Bonum Privatum, Legis verò finis est Bonum Publicum & Commune, singulorum autem Privatum Bonum simul esse non potest cum Bono Communi, quod ex privatorum saltem quorumdam damnis semper exurgit; undè de quâlibet Lege dicitur, illam habere aliquid iniqui.

Affinis est huic Regulæ 28. VI. quæ sic concipitur: *Quæ à Jure Communi exorbitant, non sunt ad Consequentiâ trahenda.*

LIX. Non dicitur iteratum, quod nescitur esse factum.

C. 16. de Consec. DIST. I. C. 112. 113. de Conf. DIST. IV.

REGULÆ RATIO: Hoc in casu quod nescitur factum pro non facto habetur: agitur enim de iteratione Consecrationis, quæ non creditur facta, nisi probetur.

LX. Ubi majus periculum intenditur, ibi est procul dubio magis consulendum.

C. 3. de Elect. in VI.

REGULÆ RATIO: Pro rei exigentiâ consilium est adhibendum, res autem quo periculosior est, eò majus exigit consilium.

LXI. Non decet alicui officium esse damnosum.

C. 30. de Elect. in VI.

REGULÆ RATIO: Non debet quis damnum sustinere, undè meretur præmium; qui autem Officium suum implet, præmium hinc meretur.

LXII. Tempus non currit legitime impedito.

C. 35. de Elect. in VI. C. 3. de Off. Ord. in VI. §. quod si.

REGULÆ RATIO: Innocens non est puniendus, puniretur autem Innocens, si tempus contra legitime impeditum curreret: est enim Innocens, qui non agit, dum non potest, cum ad Impossibile nemo teneatur, punitur verò qui agendi jure propter hoc solum privatur.

LXIII. Ignorantia Facti, non Juris, excusat.
C. 13. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO: Jus sciri potest & debet; Factum autem non item; atqui Reus est, qui, quod scire potest & debet, non facit; non autem, qui, quod scire non potest, vel non debet, non facit.

In Moralibus, ac in Judiciis locum habet; cum hoc tamen discrimine, quod in Judiciis Juris Ignorantia nunquam excusat; quia ubi Lex sufficienter promulgata est, illam scivisse vel scire potuisse uniusquisque præsumitur, & ex præsumptione ibi judicatur; at in Moralibus, ex veritate judicandum, ideoque, cum contingit, ut quis Legem tum Divinam, tum Humanam, scire non potuerit, sua illum ignorantia excusat.

LXIV. Cum quis in alterius jus succedit, justam ignorantiam causam habere censetur.

C. 14. Ibid.

REGULÆ RATIO: Fieri potest, ut Successor Autoris sui titulos non habeat, undè donec pateat, eum titulos novisse, justè ignorare censetur.

LXV. Quod semel placuit, amplius displicere non potest.

In omni casu non est vera, nam 1. in Suffragiis vel Votis ferendis, licet antè finitam electionem à proprio recedere, & ad aliorum accedere. 2. Patronus Laicus variare potest in Præsentatione C. 21. Ibid.

In aliis vera est: Hujus discriminis ratio; Non est Homini permittenda voluntatis mutatio, nisi justa & gravis subit causa, qualis subest in Casibus, in quibus falsa est Regula, non occurrit verò in Casibus, in quibus vera est.

LXVI. Non debet aliquis alterius odio prægravari.

C. 22. Ibid.

REGULÆ RATIO: Insons pro Sonte puniendus non est.

LXVII. Sine culpâ, nisi subit causa, nullus est puniendus.

C. 23. Ibid.

Firmat hæc Regula præcedentem & exponit; nam casus, quem excipit, excipiendus est etiam in Regulâ præcedenti; quia publica utilitas exigere potest, ut Insons puniatur, sicut fit in Localibus Interdictis, vel quando Filii quibusdam honoribus privantur propter Paternum crimen; sunt tamen pœnæ, quæ nunquam Infonti imponi possunt, ut fusè probatum est de Excommunicatione Majori in *Tractatu de Censuris*.

LXVIII. Mora sua cuilibet est nociva.

C. 25. Ibid. L. 173. ff. de Reg. Jur.

Regulæ LXII. exceptionem continet; nam qui justo ligatur impedimento, & illud tollere negligit, in morâ est.

Locum habet non solum in Judiciis, sed etiam in Provisionibus ad Beneficia, in solvendis Censibus, aliisque rebus debitis.

REGULÆ RATIO: Omnis negligentia, præsertim si fit aliis onerosa, pœnam meretur.

LXIX. Scienti & consentienti non fit injuria, neque dolus.

C. 17. Ibid. L. 145. ff. de Reg. Jur.

Eadem est ac ista; *Volenti non fit injuria*. Restringenda ad Casus, in quibus liberè, & ad non injusta, consentitur. v. g. Scit Mulier Virum impotentem, liberè eum accepit in Maritum; non fit sibi injuria, nec dolus; sed si sciam te nullo ex justo titulo posse à me usuras accipere, & urgente necessitate, ad illas tibi solvendis consentiam, fit mihi injuria, quia coactus & nolens consentio, atque ad ea, quæ tibi prohibentur.

LXX. Eum, qui certus est, certiorari amplius non oportet.

C. 31. Ibid.

REGULÆ RATIO: Nihil inutile exigendum, nec faciendum.

LXXI. Mutare consilium quis non potest in alterius detrimentum.

C. 33. Ibid. l. 75. ff. de Reg. Jur.

Unam ex Rationibus Regulæ 65. in se continet; interdum enim, fit, ut, si quod semel placuit amplius displicere non possit, id ex eo proveniat, quod mutare quis consilium non potest in alterius detrimentum.

LXXII. Generi per Speciem derogatur.

C. 34. Ibid. L. 8. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO: Quoties Species est Generi contraria, qui vult Speciem, Generis mutationem velle necesse est.

LXXIII. Pro Possessore habetur, qui dolo desit possidere.

C. 36. Ibid. L. 131. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO: Habetur in n. 1. & 2. S. de Prohibitoris circa Mores Regulis & in 26. hujus tituli; Nam si malitiam Hominum non est indulgendum, si nemini dolus patrocinari debet, si decipientibus Jura non subveniunt, pro Possessore habendus, qui dolo desit possidere.

LXXIV. Utile non debet per inutile vitari.

C. 37. Ibid. L. 94. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO: Inutile habetur pro non posito.

LXXV. Imputandum non est ei, per quem non stat, si non faciat quod per eum fuerat faciendum.

C. 41. Ibid.

REGULÆ RATIO: habetur in 6. Regulâ de Reg. Jur. in VI. Si enim ad impossibile non teneor, non est mihi imputanda omisso, quam vitare non possum.

LXXVI. Qui tacet, consentire videtur.

C. 43. 44. Ibid.

LXXVII. Is qui tacet, non fatetur, sed nec negare videtur.

C. 44. Ibid. L. 142. ff. de Reg. Jur.

Duas has Regulas jungimus, quia ob apparentem contrarietatem simul explicandæ sunt, eas autem sic conciliare possumus. In re, super quâ respondere possum & debeo, si taceam, consentire videor: In re verò, super quâ respondere mihi non licet, ut in Secreto mihi credito, si taceam, nec fateor, nec nego.

Vel aliter; Silentium sufficit ad Consensum, non ad Confessionem; Cujus ratio esse videtur, Confessio respicit res majoris periculi, ac consequenter ponderis, nempe Criminales Accusationes; idcirco positivam requirit responsum. Hanc Conciliationem probat CANISIUS in has Regulas.

LXXVIII. Inspecimus in obscuris, quod est verisimilius, vel quod plerumque fieri consuevit.

C. 45. Ibid. L. 114. ff. de Reg. Jur.

Ad omnes Actus tam extra-Judiciales quàm Judiciales extenditur, nempe ad Leges, Statuta, Testamenta, Donationes, Contractus, Vocationes in Jus, varios in Jure Processus, Sententias, uno verbo omnes Actus, in quibus obscure habetur alicujus voluntas; tradit enim hujusmodi Voluntates interpretandi modum.

REGULÆ RATIO: Cum alterius voluntatem interpretor, quàm maximè possum, ad eam accedere debeo, hoc autem facio, cum sequor quod quibusvis pensatis, mihi verisimilius videtur, vel quod plerumque fieri consuevit. Utrumque ex ipsis terminis patet; Secundum firmari potest ex eo, quod non est sine causa præsumendus quis ab usu recessisse.

LXXIX. Is, qui in alterius jus succedit, eo jure quo ille, uti debebit.

C. 46. Ibid. L. 177. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO: Successor locum tenet Prædecessoris, illumque repræsentat.

LXXX. Præsumitur Ignorantia, ubi Scientia non probatur.

C. 47. Ibid. Firmat Regulam 64.

Videtur

Videtur contraria 17. hujus Tituli, qua quis ad Beneficium, ad quod scientia requiritur, idoneus præsumitur, nisi contrarium probetur, ideòque scientia præsumitur, nisi probetur ignorantia; attamen ei non adverstatur, quia præfens loquitur de ignorantia, qua excusat; II. de eà, qua inculpat: Prima autem præsumenda est, non Secunda: præsumendum est bonum, nisi probetur malum, nec est aliquis boni nominis possessio privandus sine iustà causà, qualis abest donec malus probetur.

Vid. CANISIUM in illam, qui ab ea excipit tres Casus, 1. Si factum sit publicum, 2. Si proprium Personæ. 3. Si ad officium ipsius pertineat.

LXXXI. Actus legitimi non recipiunt Conditionem, neque Diem.

Tales sunt inter alios hujus generis Emancipatio, Adoptio, Matrimonium, quæ ad Tempus, vel sub Conditione fieri nequeunt. C. 50. *ibid.* L. 77. ff. de Reg. Jur.

CANISIUS Actus legitimos vocari ait, vel quia à Lege introducti, vel quia formam à Lege habent, vel quia à Lege approbantur.

LXXXII. Qui sentit onus, sentire debet & commodum, ac è contrà

Regulà hâc firmantur Regulæ 18. & 435. hujus Tituli. C. 55. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Commodum est velut oneris merces, Incommodum verò est quasi Commodi remedium, ne noceat præservans, vel quasi istius pretium, quo emitur.

LXXXIII. In Re Communi potior est conditio prohibentis.

C. 56. *ibid.*

REGULÆ RATIO habetur in 29. *ejusd. Lib. & Tit.* si enim quod omnes tangit, ab omnibus approbari debet, in Re Communi potior esse debet conditio prohibentis. Hinc fit, ut Rei Communis alienationem unius contradictio impediatur.

LXXXIV. Contrà eum qui Legem dicere potuit apertius, Interpretatio est faciendâ.

C. 57. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Vel dolo Legem obscure sibi dixit, & tunc interpretandâ est contrà eum, ne sibi dolus patrocinetur: Vel negligentia, & tunc contrà eum interpretandâ, ut negligentia puniatur.

LXXXV. Cùm non stat per eum, ad quem pertinet, quominus conditio impleatur, haberi debet, ac si impleta fuisset.

C. 66. *ibid.* L. 160. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Ad impossibile nemo tenetur, conditio, quæ, quantum in me est, impleri non potest, mihi impossibilis est, ideòque ad eam non teneor. Adde quod conditio impossibilis habetur pro non posita, ac proinde non implendâ.

LXXXVI. Quod alicui suo nomine non licet, nec alieno licebit.

C. 67. *ibid. vid. Reg. 91.*

REGULÆ RATIO. Quod meo nomine mihi non licet, vel illicitum est, quia meipsum dedecet, vel quia indignus sum, ut id agam, vel quia mihi periculosum, hoc autem ob easdem causas alieno nomine illicitum esse debet v. g. Non licet Clerico negotiis secularibus se immiscere suo nomine, quia talia negotia eum, dedecent, nec alieno licebit. Non licet Excommunicato Jure Communi in Judicio agere suo nomine, quia ad id indignus judicatur, nec alieno licebit. Non licet Monacho vel Clerico suo nomine quemquam cum Muliere ad Baptismum præsentare, quia periculosum, nec alieno licebit.

LXXXVII. In alternatis Electoris est Electio, & sufficit alterum adimpleri.

CANISIUS in istam Regulam legit, *Debitoris, sed præferenda alia Lectio, quia, ut ipse agnoscit, Debitoris non semper est Electio, sed ad Creditorem quandòque pertinet.* C. 70. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Tunc datur optio, ista autem ei datur, qui in Regulâ *Electior* dicitur: si unum adimpleri non sufficeret, frustra daretur optio.

LXXXVIII. Factum legitime retractari non debet, licet casus eveniat, à quo inchoari non potuit.

C. 73. *ibid.* L. 85. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Multa sunt, quæ Actus, quibus accident, non irritant, quos tamen irritassent, si præcessissent.

V. G. Dementia superveniens vel Matrimonio, vel Voto Solemni, vel simili Rei, quæ plenam exigit libertatem, irrita non facit; fecisset tamen, si præcessisset. Idem dicendum de quovis alio Impedimento Matrimonii dirimente, si supervenerit.

LXXXIX. In Argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquandò sunt concessa.

C. 78. *ibid.* L. 162. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Ut res ab uno casu ad alium trahi possit, oportet, ut similis sit in causâ; unde concessa propter necessitatem, malè trahuntur extrâ necessitatem.

XC. Partem in Toto non est dubium contineri.

C. 80. *ibid.* L. 113. ff. de Reg. Jur. Regula ista plurimum aliarum Fundamentum est: Nam si cui majus conceditur, minus etiam concessum esse censetur, si cui licet quod plus est, utique licet quod est minus; si plus semper continet in se quod est minus; id nascitur ex eo, quod Pars in Toto continetur, minus verò sit Pars illius, quod plus vel majus illic dicitur. Regulæ enim tres relatæ de eadem re, vel de rebus ejusdem generis, vel speciei, in utràque parte loquantur, alioquin falsæ essent.

XCI. Cùm quid unâ viâ alicui prohibetur, ad id aliâ non debet admitti.

C. 84. *ibid.*

Eadem videtur ac LXXXVI. Tituli hujus; si enim, quod meo nomine mihi non licet, alieno liceret, ad id unâ viâ admitterer, quod mihi aliâ prohibetur.

XCII. Damnum, quod Quis suâ Culpâ sentit, sibi debet, non aliis imputare.

C. 86. *ibid.* L. 203. ff. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Qui vult Causam, vult etiam Effectum; cùm ergò hoc in casu damnum sit Culpæ Effectus, qui Culpam voluit; damnum etiam voluit.

XCIII. Certum est, quod committit in Legem, qui Legis Verba complectens contrà Legis nititur voluntatem.

Ideòque Penas incurrit à Lege latas, ut probat CANISIUS in hanc Regulam adductâ Constitutione, quâ illa continetur. C. 88. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Legis intentio est Pars præcipua Legis; est enim in eâ, quod Anima in Corpore Humano.

XCIV. Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur, quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum.

Clem. 1. §. Porro de Verb. Signif. Hinc facit. C. 2. de Transl. in quo habetur, *Nonnumquam intelligitur prohibitum, quod non invenitur concessum, & C. 5. de Usu & Autor. Pall.* in quo insinuat, quod quæ in quibusdam casibus permittuntur, in aliis prohiberi intelliguntur: Horum enim Canonum sensus est, quod, in his, quæ Jure Communi non pertinent, inhibetur quod non conceditur.

REGULÆ RATIO. Sicut generi per speciem derogatur, quum species est generi contraria, ita non derogatur, quandò non est contraria; prohibitio autem generalis, est aliquod genus, concessio specialis est aliqua species, quæ huic generi derogat in his, in quibus ipsi adverstatur. C. 5. de Sentent. Excom. non autem in aliis; subsistit enim genus quoad ea, in quibus generi non derogatur.

XCIV.

XCV. Severitati aliquid interdum detrahendum est; consideratis Locorum aut Temporum qualitatibus.

Ratio. Sunt Loca & Tempora, quibus obesse Severitas.

XCVI. Omnis Res, per quascumque Causas nascitur, per eandem dissolvitur.

C. 1. de Reg. Jur.

Refringenda Regula ad ea, quae dissolvi possunt, qualia sunt Contractus, Leges, Statuta, cujusvis boni Temporalis Possessio, aliae similes, quae Humanam sunt & pendent voluntate.

Extendi siquidem nequit ad res quae dissolvi non possunt, quales sunt Votum & Matrimonium.

XCVII. Distingue Tempora, & Scriptura concordabit.

Utilissima est ad concilianda loca non solum Scripturae, sed & Patrum, & Conciliorum, ex temporis diversitate contraria. *Cap. 19. CAUS. II. QUÆST. I.*

REGULÆ RATIO. Humanum Genus suas habet aetates, ut & quilibet homo, atqui non eadem omni aetati conveniunt.

XCVIII. Turpius ejicitur, quam non admittitur Hospes.

REGULÆ RATIO. Ex ejectione jure concluditur probata indignitas, quae ex non admissione immerito concluderetur.

Hinc, qui potest destituere potest & instituere. Si Parochi fit (ut esse videtur) Coadjutores Presbyteros dimittere, illius est ad Parochiae servitium illos assumere; Quocasu Vir potest Uxorem dimittere, eo potest illam non ducere, etsi illam ducere juraverit; Cujus est servum è domo ejicere, ejus est in domo illum recipere: Hinc etiam mature deliberandum circa electionem, ad Munia, praesertim Ecclesiastica.

XCIX. Bonus, vel malus rei usus illius naturam non mutat.

REGULÆ RATIO: Usus rei est ipsi extraneus, ideoque illam interius immutare non potest. *C. 9. CAUS. 14. QUÆST. V.*

Hinc, quae mala est, res non fit bona bono usu; nec, quae bona, mala fit malo usu: hinc mala non est Regia, vel Patria, vel Dominica Potestas, quia sunt, qui eam abutantur; nec bonum est Furtum, vel Tyrannica Usurpatio, quia sunt, qui his bene utantur.

C. Derogandum est Consuetudini & Constitutioni, quae absque peccato mortali non potest observari.

Eo enim casu irritae sunt, cum sint contrariae Juri Naturali *C. 20. de Praes. in VI.*

CI. Novis Morbis nova Antidota sunt praeparanda.

Vetera enim ad illos curandos inefficacia sunt. *C. 5. de Juram.*

CII. Cum quis astringitur aliquid facere cum alterius consilio, necesse habet consilium requirere, non tamen tenetur illud sequi.

C. 7. de Arbitr.

RATIO. Obligatio haec, ut potest contraria libertati, odiosa est, ideoque restringenda ad requisitionem consilii, nec extendenda ad executionem consilii dati: Excipiendi Casus, ubi consilium requirendum est de forma actus faciendi *C. 52. de Elect. GLOR. V. Expectatum GONZALEZ n. 4.*

CIII. Sunt multa, quae de Dei judicio Homines ignorant; quare fortasse quae vos laudatis, ille reprehendit; quae vos reprehenditis, ille laudabit. *C. 41. CAUS. XI. QUÆST. I.*

RATIO: Ex Corde exeunt bona malave opera, fonsque Deus est Cordium Scrutator.

CAPUT II.

De Particularibus Juris Regulis.

§. I.

Quae sint BENEFICIALES Juris Regulae?

Beneficium hic sumitur pro omni re, quae ad gratiam pertinet: cum autem inter illas res praecipua & communior sit Munus Ecclesiasticum, cui certa Ecclesiae redditus Portio in perpetuum annectitur, quodque ideò nomine Beneficii specialiter donatur, idcirco Regularum colligendarum major Pars Beneficium ita restrictè sumptum respicit, atque ab istis, ut à Nobilioribus, incipietur.

OBSERVATIO.

Non alia leguntur in Jure Canonico circa Beneficia, utroque mox dicto modo sumpta, Regulae, quam quae sequuntur.

I. Sanctuarium Dei non convenit jure haereditario possideri.

C. 5. de Institut. C. 15. de Decimis. C. 15. de Jure Patr.

REGULÆ RATIO est: Sacerdotium, tam pro Munio Ecclesiastico, quam pro jure Temporalis huic annexo sumptum, est donum Dei; non enim legitime habetur, nisi ex beneficio Dei, pro misericordiam suam vocantis, sine ulla Sanguinis acceptione.

II. Ad Beneficia praesumitur Quis idoneus, nisi contrarium ostendatur.

C. ult. de Praesumpt.

Haec Regula ab examine non eximit, quia necessarium est, ad ostendendum, Provisum non esse idoneum; ex Regulâ verò repellendus est Provisus, si idoneus ostendatur.

REGULÆ RATIO: De Providente & de Provisio bona est habenda opinio, donec justa contrarii subfita causa.

III. Qui servit Altari, vivere debet de Altari.

Cap. 16. de Praeb.

Regula haec, quae è DIVO PAULO desumitur, variis aliis Scripturae locis innitur. Sensus Regulæ non est, quòd qui servit Altari, de Altari vivere teneatur, sed quòd possit jure de eo vivere; sic enim interpretanda est vox haec, *debet*.

Affinis est Regula 31. inter Communes; si enim Operarius dignus est mercede sua, serviens Altari, de Altari vivere debet, cum merces danda sit ab eo, cui servitur.

IV. Indignum est, ut eis Ecclesia subveniat, qui in ea scandalum generant.

C. 2. Ne Clerici, nec Monachi.

REGULÆ RATIO: Dum tales nutrit Ecclesia, Hostes sibi multum noxios alit.

V. De rebus Ecclesiae Laicis non est attributa disponendi potestas, quia in eis manet obsequendi necessitas, non auctoritas imperandi.

C. 12. de Reb. Eccl. alien. C. 25. de Deci. C. 23. CAUS. XVI. QUÆST. VII. C. 10. de Conflit.

REGULÆ RATIO: Ecclesiae res, vel Spirituales, vel quasi Spirituales; ideoque illarum Dispositio non convenit, nisi iis, quibus competit Spiritualis Potestas, quales non sunt Laici.

VI. Non decipi Beneficio, sed juvari nos oportet.

C. Unic. de Commodato.

REGULÆ RATIO. Beneficium conceditur ut proficiat, non ut obfistat: obfisset autem si deciperet. Locum habet in Beneficiis strictè sumptis, dum datur Beneficium magni laboris & oneris, & exigui redditus.

VII. Quod

VII. Quod semel Deo consecratum, est ad Humanos usus non est transferendum.

C. 3. de Rer. Permut. C. 4. de Relig. Domib. C. 51. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO: Dùm res Deo consecrata usui Humano applicatur, dignitate dejicitur; ex pretiosâ fit vilis; ex Sacrà fit Profana.

VIII. Spiritualium cum Temporalibus permutatio reprobatur.

C. ult. de Rerum Permut.

REGULÆ RATIO: Hujusmodi permutatio est Simoniaca, cum Temporale tamquam pretium rei Spiritualis datur.

IX. Una Ecclesia unius debet esse Rectoris.

C. 3. de Jure. Patron.

REGULÆ RATIO: Alioquin Monstrofa est, duplex habens Caput.

X. In Beneficiis plenissima est Interpretatio adhibenda.

C. 22. de Privileg.

REGULÆ RATIO: Res est maximè favorabilis Beneficium.

XI. Beneficium Principis largissimè interpretandum est.

C. 16. de verb. Signif.

Sequitur è precedenti; si quod enim Beneficium plenissimè est interpretandum, maximè Principis Beneficium, quem amplissima decet benefaciendi voluntas.

XII. Vilibus & Indignis patere non debent Dignitatum Portæ.

C. 11. de Excess. Prael. C. 87. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO: Solum Dignitatis nomen Regulam justam esse demonstrat.

Ista Regula prout est in VI. ab illa, quæ relata est, in hoc uno differt, quod de Infamibus tantum loquatur.

XIII. Nullus est cogendus de suo facere Beneficium.

C. 4. CAUS. X. QUÆST. II.

REGULÆ RATIO: Liberalitatis est de suo facere Beneficium, liberalitatem autem decet esse liberam, ut res suo congruat nomini.

XIV. Cujus est Possessio, ejus fiat Institutio.

C. 1. CAUS. XVI. QUÆST. II.

REGULÆ RATIO: Sensus hic est, quod Institutio Rectoris alicujus rei, ad ejusdem rei Possessorem pertineat. Institutio hæc est quid minus Possessione; ideòque in illâ continetur: adde quod Possessoris interfit bonum in re suâ habere Rectorem, ac idcirco ad ipsum pertinere debeat istius Electio & Institutio. *Ibid.*

XV. Sacerdotes à nullo gravandi, sed ab omnibus honorandi sunt.

C. 28. CAUS. XVI. QUÆST. VII.

REGULÆ RATIO: Sacri sunt illius Ministri, qui à nullo offendendus, sed ab Omnibus honorandus est.

XVI. Non debet propriis cujusque usibus applicari, quod pro communi utilitate datum esse cognoscitur.

C. 2. CAUS. XVII. QUÆST. IV.

XVII. Ad Privatum non trahantur Commodium, quæ ad Bonum Commune sunt prefixa.

C. 3. CAUS. XXV. QUÆST. I.

Duas has Regulas jungimus, quia in terminis dumtaxat differunt. UTRIUSQUE RATIO: Dùm fit quod prohibent, Peculatis crimen quodammodo committitur; usurpatur enim Bonum Publicum.

Utraque potest inter has Regulas, ac etiam inter Communes, & inter Morales Prohibitivas collocari; Inter Communes, quia et si de rebus Ecclesiasticis loquantur, ad alias applicari possunt; Inter Morales Prohibitivas, quia quod prohibent ad Mores pertinet.

XVIII. Odiosa concessio restringenda potius, quam amplianda.

C. 5. de Rescrip. in VI.

XIX. In ambitiosis stricta fieri debet Interpretatio.

C. 1. de Fil. Presb. in VI. S. 1. C. 21. de Præb. Ibid. C. 3. de Off. Ordin. Ibid.

XX. Quod Juri Communi adversatur, tamquam odiosum restringendum.

C. 1. de Fil. Presb. in VI.

XXI. Statutum Pœnale restringi potius convenit, quam laxari, seu extendi.

C. 22. de Elect. in VI.

Quatuor has jungimus Regulas, quia idem earum est Argumentum, una ac eadem RATIO, Nempè quæ habetur in 15. VI. Regulâ, *Odia convenit restringi.*

XXII. Per Generalem concessionem, non censetur concessa, quæ non esset quis versimiliter in specie concessurus.

C. 3. de Off. Vic. in VI. C. 8. de Reg. Jur. in VI. C. 2. de Penit. Ibid.

REGULÆ RATIO: De concessione judicandum est ex Concedentis intentione; improbable autem est, quòd Quis concedere intendat in concessione generali, quæ versimiliter in specie non concederet.

XXIII. Gratia non perimitur morte Concedentis, licet nondum sit in ejus executione processum.

C. 9. de Off. & Pot. Jud. Del. in VI.

REGULÆ RATIO: Habetur in 16. VI. Regulâ, Beneficium Principis decet esse mansurum.

XXIV. Beneficium Ecclesiasticum non potest licitè sine Institutione Canonica obtineri.

C. 1. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO: Ut ad Beneficia necessaria est Vocatio Interior, sic & Vocatio Exterior, quæ nihil aliud est, quam Institutio Canonica.

XXV. Privilegium personale Personam sequitur, & cum eâ extinguitur.

C. 7. Ibid.

REGULÆ RATIO: Personæ inhæret, ideòque sequi illam debet, & cum eâ extingui.

XXVI. Indultum à Jure Beneficium non est alicui auferendum.

C. 17. Ibid.

REGULÆ RATIO: Debito Principi honori detrahitur, dum concessum ab eo Beneficium Lege suâ, aufertur.

Convenit nonnihil cum 16. VI. Regula; si enim decet, Principis Beneficium manere, nemini est illud auferendum; dicimus, *nonnihil*, quia differt ab illâ, nam 16. docet, durare debere Principis Beneficium quantum est ex parte Principis; 17. verò tradit durare debere, quantum est ex parte aliorum.

XXVII. Qui Prior est Tempore, Potior est Jure.

C. 54. Ibid.

Est hæc Regula ad alias res, quam ad Beneficia, extendatur, inter Beneficiales collocatur, quia Beneficia potissimum respicit, ideòque recensens res; in quibus locum habet, orditur à Beneficiis.

REGULÆ RATIO: Quoties Præventioni est Locus, qui prævenit, cæteris paribus, alteri est præferendus, qui autem prior est tempore, is est, qui prævenit.

XXVIII. Quod ob alicujus gratiam conceditur, non est in ejus dispensium retorquendum.

C. 61. Ibid.

REGULÆ RATIO: Contrà Justitiæ cuique suum tribuentis Præcepta, ac contrà gratiam Concedentis Intentionem est, ut Beneficium in Maleficium convertatur.

XXIX. Quod alicui gratiosè conceditur, non debet aliis trahi in exemplum.

C. 74. Ibid.

REGULÆ RATIO: In Præcedentibus sive Communi- bus, sive Particularibus continetur; nam si Odia sint restringenda, si Beneficium Personale Personam non transit, si Privilegium alicui concessum, non est ad alios extendendum.

extendendum oportet ut gratiose concessum, in exemplum non trahatur, cum illud sit odiosum, ac tamquam Privilegium Personale haberi possit.

XXX. Indignum est, & à Romanæ Ecclesiæ Consuetudine alienum, ut pro Spiritualibus facere quis homagium compellatur.

C. ult. de Reg. Jur.

Hujus Indignitatis RATIO. Homagium est honor Domino Temporalis exhibitus in recognitionem accepti ab eo Domini Temporalis; non sunt ergo Homagio Spiritualia subicienda, cum à nullo Domino Temporalis accipiantur, sed à solo Deo, cumque nobilius tractanda sint Temporalibus, quibus longè nobiliora sunt.

XXXI. Pro non dato habetur, quod ab illo datur, qui non potest de Jure donare.

C. 5. de Jure Patr.

REGULÆ RATIO. In quacumque re faciendâ major defectus non est, quam potestatis defectus.

XXXII. Ut Beneficia Ecclesiastica sine diminutione conferantur.

C. 1. l. 3. Decret. Tom. 12.

REGULÆ RATIO. Vel quod Collator demit sibi retinet aliundè indebitum, & Simoniam committit, quia istud est velut merces Collationis; vel aliis dat, quibus aliâ non debetur, & fit Sectio Beneficii prohibita à Concilio Turonensi. *C. 8. de Præb.*

Multò plures Regulæ circa Beneficia strictè sumpta colligi potuissent, sed istæ in Tractatu de Beneficiis hujusmodi congruentius collocabuntur.

§. II.

Quæ sint Judiciales Regulæ.

OBSERVATIO.

Non aliæ in Jure Canonico leguntur Regulæ Judiciales, quàm istæ.

I. Per Judicium Injuriis aditus patere non debet. *C. 28. de Rescript.*

Ad Mores trahi potest: est enim duplex injustitia, in judiciorum abusu, cum iste abusus sit injustitia, viaque sit ad aliam injustitiam.

REGULÆ RATIO. Institutum est judicium, ne fiant injuriæ; neve durent.

II. Speciale Mandatum derogat Generali.

C. 1. 14. de Rescript. C. 2. de Off. Leg.

Ad Rescripta extenditur, imò ad quamcumque Materiam, est enim inter Regulæ VI. amplioribus his concepta verbis: *Generi per Speciem derogatur.*

Hac in re singulare hoc habetur, quod Rescriptum v. g. posterius non derogat priori ejusdem speciei, nisi de priori mentionem faciat; Rescriptum verò Speciale derogat Generali, etsi de eo mentionem non faciat: Cujus discriminis Ratio hæc est: Rescriptum Speciale non destruit omninò Rescriptum Generale, sed ei tantum derogat in his, in quibus ei adversatur: Rescripta verò ejusdem speciei se invicem destruant, ita ut prius fiat per posterius inutile; præsumitur autem facile, quem voluisse suo Rescripto Generali in aliquâ re derogare; difficile autem creditur, voluisse quem Rescripto suum destruere; ideòque in 1. Casu non est necessaria expressa voluntatis mutata significatio, in 2. verò necessaria est.

III. Cui committitur Principale, committitur Accessorium.

Extenditur ad Beneficia, ut & ad judicia; Gratia enim committuntur, ut & judicia. *C. 1. 21. de Off. & Pot. Jud. Deleg.* veraque est Regula, sive Accessorium nascatur ex Principali, sive impediatur executionem istius, *GONZALEZ in C. 21. n. 2.*

Restringenda est ad Casus, in quibus Accessorium non est Deleganti specialiter reservatum; tunc enim de Ac-

cessorio faciendâ est mentio, alioquin non est commissum.

RATIO REGULÆ immediata est Regula XI. mediata verò habetur sub Regulâ X. ejusdem Tituli.

IV. Mandatum & Jurisdicção Delegata expirant, si Mandator vel Delegans, re adhuc integrâ, moriantur; secus, si re inceptâ.

C. 30. de Off. & Pot. Jud. Deleg.

Regula hæc restringenda est ad negotia quoad primam partem; Mandata enim Gratia non expirant morte Concedentis, etiam si res sit adhuc integrâ, sed durant, donec à Successore revocentur. *C. 9. de Off. & Pot. Jud. Deleg. in VI.*

Verisimilior REGULÆ RATIO est Litium odium.

V. Sententia à non suo Judice lata, non valet, nec facta coram illo Confessio.

C. 4. de Judiciis.

Extendâ hæc Regula ad omnem processum, & à foro exteriori ad forum interius.

REGULÆ RATIO. Necessariâ ad procedendum jurisdictione caret Judex non suus.

VI. Actor Rei forum sequi debet.

C. 5. 8. de For. Compet. Restringenda est ad Causas Personales; nam in Causis Realibus Rerum forum sequendum est, (si ita loqui fas sit.)

Evidens est hujus REGULÆ RATIO; Actor de Reo conqueritur; illum ergo debet convenire coram illo, qui in Reum jurisdictionem habet, ut istius autoritate, Actori præstet, quod debet; Judex autem Rei in illum habet jurisdictionem, non Judex Actoris.

A Justitiâ ad Charitatem extendi potest dicendo, Superiori deferendum eum, qui corrigendus est, sicut Reus coram suo Judice conveniendus.

VII. Actore non probante, Reus, etsi nihil præstiterit, causam obtinet.

C. 3. de Causâ Posses. propr. C. Unic. ut Eccles. Benef. sine dimin. confer. R. 21. Moral. Prohibit. R. 67. Comm.

Ad Mores extendi potest; hinc enim inferre possumus, neminem à nobis condemnandum, nisi probetur reus.

REGULÆ RATIO. deficiente probatione, remanet Reus, ut erat, antequam conveniretur.

VIII. Cum obscura sunt Partium Jura, contra Actorem judicari consuevit.

C. 6. de Fid. Instrum. C. 11. de Reg. Jur. in VI.

Regula hæc in 7. continetur; non enim obscura sunt Jura, nisi quia Actor insufficienter probat.

Octava ergo REGULÆ RATIO eadem est ac Septimæ: alia tamen addendâ est, Reum scilicet propter Possessionem contra Actorem prevalere, quia in dubio melior est conditio Possidentis.

Alia etiam adjici potest, nempe Reum non esse præsumendum Usurpatorem, vel injustum Detentorem, nisi talis probetur, quia præsumitur Quis bonus, nisi probetur malus.

Regula hæc non differt nisi in terminis ab 11. VI. Regulâ, *Cum obscura sunt Partium Jura, favendum est Reo, potius, quàm Actori.*

IX. In Manifestis & Notoriis Ordo Judicarius non est per omnia servandus:

Non est in usu apud Gallos. *C. 21. de Jurejur.*

REGULÆ RATIO. Ordo hic servatur, 1. Ut impediatur, ne quis alium vexet. 2. Ut Actor probare possit quod intendit, 3. Reusque seipsum defendere; In Manifestis autem Actor non eget probatione, nullamque habet Reus defensionem.

X. Si Principale non tenet, nec Accessorium. *C. 6. de Fide Instrum. C. 2. de Nov. Oper. Nunt.*

REGULÆ RATIO. Principale est Fundamentum Accessorii; ruente autem Fundamento, ruant oportet quæ ipsi inniuntur.

Addere potes, quòd Accessorium est velut Principalis Consequentia, sublato autem Principio, tollitur & Consequentia.

XI. Ac.

XI. Accessorium congruit sequi naturam Principalis.

C. 9. de Offi. Jud. Deleg. in VI. Eadem est hujus REGULÆ RATIO ac præcedentis.

XII. Actore impugnante, Reo defensionis copia non est deneganda.

(etiam Excommunicato.) *C. 5. de Except.*

REGULÆ RATIO. Nullus inauditus judicandus est.

XIII. Quod ad defensionis remedium sustinetur, ad impugnationis materiam extendendum non est.

C. 5. de Except. in fine.

REGULÆ RATIO. Sunt Gratia, quæ cuidam conveniunt ut Reo, quæ ei ut Actori non conveniunt; coacta enim est Defensio, libera verò Actio.

Ista Regula non recipitur apud Gallos, quoad Casum de quo agit; nempe Excommunicatum in Judicio agere non posse, etsi sibi permittatur seipsum defendere; nam in Galliâ Excommunicatus potest agere, ex eo fortè, quòd pleraque Actiones ad certum tempus sint limitatæ, quo elapso pereunt; vel quòd incongruum judicetur, ut Excommunicatio, quæ est pœna Spirituales & Ecclesiastica, ad effectus merè Temporales & Civiles extendatur; vel quòd frequentiores Excommunicationes essent.

XIV. Nulla valet absque bonâ fide Præscriptio.

C. ult. de Præscript. C. 2. de Reg. Jud. in VI.

Eadem est cum ista VI. Possessor malæ fidei nullo tempore præscribit.

REGULÆ RATIO. Longa cum malâ fide possessio non est nisi injusta rei alienæ detentio, eò culpabilior, quò diuturnior.

XV. Multa per patientiam tolerantur, quæ si deducta fuerint in Judicium, exigente justitiâ, non sunt toleranda.

C. 18. de Præb.

REGULÆ RATIO. Priùsqvam ad Judicium deducantur, ut Judici ignota habentur, ideòque sine scandalo ab illo dissimulari possunt: Postea publicè notum est ab eo illa non ignorari, undè si impunita dimittat, vel illa approbare censetur, vel ignaviæ insimulabitur.

XVI. Ibi Causa semper agi debet, ubi Crimen admissum est.

C. I. CAUS. III. QUÆST. VI. Servatur in Galliâ tam circa Clericos, quam circa Laicos.

REGULÆ RATIO. Faciliùs & certius judicatur Causa, ubi nata est.

XVII. Juramentum non est Iniquitatis vinculum.

C. I. de Consuetud. in VI. R. 13. Mor.

Hinc judicandum, juramentum justum non ligare.

REGULÆ RATIO. Juramentum iniquum irritum est. Hinc Regula 58. in VI. non est obligatorium contra bonos mores prælitum juramentum.

XVIII. Potior videtur conditio Occupantis.

Strictè sumpta spectat ad Judicia, in quibus Procurator diligentior in præsentandâ suâ Procuratore, alteri præfertur; latè sumpta ad quævis negotia *C. 6. de Procur. in 6.* de Procuratoribus pluribus in solidum commissis intelligenda: Excipè Casum, in quo addita est Clausula, si non omnes possent. *ibid.*

Eadem est ac ea quæ habetur in explicatione 8. hujus Tituli.

XIX. Sine possessione Præscriptio non procedit.

C. 3. de R. J. in VI.

REGULÆ RATIO. Possessio est unum è prærequisitis ad præscriptionem; quæ sunt Titulus coloratus, Possessio, quæ certò duret tempore, Bona Fides, reique Capacitas. *CABASSUT. Cap. 22. n. 7. l. 6.*

XX. Semel Malus, semper præsumitur Malus.

Cap. 8. ibid.

Regula videtur contraria Charitati, quæ non cogitat malum, sed non est; non enim Charitatis est malum

Tom. I.

non cogitare in omni casu, sed tantum, cum nullum subest fundamentum, quale subest in casu Regulæ; præterea non præsumitur hic Malus in omni mali genere, sed in eo tantum, in quo Malus inventus est, idque solum, ut impediatur ne simile malum perpetret; undè hæc præsumptio non obest; sed potius prodest ei, in quem cadit: undè verbo præsumptio, de quâ Regula, non est maligna, sed cauta, ut potè non nata ex pravâ malè judicandi consuetudine, aliove vicio, sed ex justo metu: hinc semel Perjurus semper Perjurus habetur, id est ob primum perjurium à jurando repellitur, eoque modo à mali juramenti periculo liberatur. *CANISIUS Præfat. in Regulas VI.* notat hanc à *BONIFACIO VIII.* deductam ex variis Casibus ac Textibus Juris, eosque recenset.

XXI. Ratum Quis habere non potest, quod ipse nomine non est gestum.

C. 9. ibid.

Loquitur Regula de ratihabitione propriâ, quâ Contractus vel Actus Judiciales me contingentes, ab alio meo nomine facti, sine meo Mandato, à me rati habentur.

Requirat Regula, ut ratihabitio hæc valeat, utri Actus pro me, seu meo nomine expressè facti sint, idque requirit, quia quod de re meâ, ab alio, suo, non meo nomine, fit, omninò irritum est, ideòque à me ratum seu firmum fieri non potest, quod verò de re meâ meo nomine, sed me non mandante fit, non est irritum, sed irritandum, si velim, ac proindè me consentiente ratum fieri potest.

Duplex est, Ratihabitio, quæ est impropria; altera, quâ Beneficii collatio, ad quam meus requiritur consensus, me infcio facta, à me rata habetur, vel tacitè vel expressè, tacitè, si de illâ non conquerar intrâ tempus mihi à Jure concessum; expressè, si verbo vel scripto me consentire, ut valeat, significem: altera, quâ res vi metue facta rata habetur. Utraque autem impropria est, quia 1. casu, Actus non fit nomine meo; 2. verò, Actus fit non ab alio, sed à me invito. Hinc ratiificatio hæc differt ab eâ, de quâ in Regula 21. & 22.

XXII. Ratihabitionem retrotrahi & Mandato non est dubium comparari.

C. 10. ibid.

Confirmat quod præcedens affirmat, nempe rem meo nomine gestam à me ratam haberi posse; si enim Ratihabitio Mandato comparatur, clarum est rem, me non mandante factam, sed meo nomine ratam à me haberi posse, quasi à me mandata esset.

REGULÆ RATIO. Ratihabitio facit, quod fecisset Mandatum, consensum enim desideratum præbet, quem Mandatum præbisset.

XXIII. Extrâ Territorium Jus Dicenti non paretur impunè.

C. 2. de Constit. in VI.

REGULÆ RATIO. Nullam habet Judex extrâ Territorium jurisdictionem.

XXIV. In Judiciis non est acceptio Personarum habenda.

C. 12. ibid.

REGULÆ RATIO. Ut justa sint Judicia, qualia esse debent, ponderanda sunt tantum Causarum momenta, sive rationes, quibus Causæ sunt bonæ vel meliores, vel malæ; Personarum autem qualitates non sunt rationes, quibus bonæ vel meliores efficiantur, vel malæ aut peiores.

XXV. Nullus pluribus uti defensionibus prohibetur.

C. 20. ibid.

REGULÆ RATIO. Res eadem potest ab uno eodemque pluribus titulis possideri, ac proindè pluribus modis defendi. *CANISIUS* hanc Regulam rectè explicat.

XXVI. Quod Quis mandato facit Judicis, do- lo facere non videtur.

Cujus RATIO hæc sequitur: *Cum habeat parere necesse.*

C. 24. ibid.

c

XXVII.

XXVII. Quæ à Judice fiunt, si ad ejus non spectant Officium, viribus non subsistunt.

C. 26. *ibid.*

REGULÆ RATIO; suum extrà Officium caret jurisdictione.

XXVIII. In obscuris, minimum est sequendum. De pœnis loqui videtur, præceptumque, ut minima à Judice decernatur, diu ambigitur, quam Lex vel Canon in casu, de quo agitur, præfinit. Sic intellecta eadem ferè est ac Regula 49. VI. In pœnis benign. &c. C. 30. *ibid.*

Et si Regula hæc Judicem potissimum respiciat, ad alios extendi potest.

REGULÆ RATIO. Dubia sunt in benigniorem partem interpretanda. *Canisius* hanc Regulam fusè explicat, probatque, illam locum habere nedùm in Judiciis, sed etiam in Contractibus, in Constitutionibus pœnalibus: idem dicendum de *Glossa*. Utroque loco confirmatur allata expositio, ipsiusque ratio: huc facit Regula 49. VI. quæ in ista continetur, ut pars in toto.

XXIX. Non licet Actori quod Reo licitum non existit.

C. 32. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Reus paris conditionis esse debet ac Actor, idcirco quæ licent isti, alii licere debent, sed non è contrà, ut probat *Canisius* in Regulam 20. VI.

XXX. Non debet Quis fructum consequi ex eo, quod nifus est impugnare.

Cap. 38. *ibid.* Locum habere videtur in Testamentis, Donationibus, Contractibus, Electionibus quibuscumque: quoad Contractus specialiter firmatur Regula 75. *ibid.* Frustrà sibi fidem quis postulat ab eo servari, cui fidem à se præstitam servare recusat.

REGULÆ RATIO. Quod à me impugnatur, quantum in me est, irritum est, ac proinde, ut irritum mei gratià habendum est, cum autem rei nullius nullus sit fructus, ex re à me impugnata fructum nullum consequi debeo; exceptiones quasdam hæc Regula patitur, quas *Canisius* notat in illam.

XXXI. In pœnis benignior est interpretatio faciendi.

C. 48. *ibid.* Eadem videtur cum 28. hujus Tit. ac proinde eadem illius RATIO.

XXXII. Non est in mora qui exceptione legitimè se tueri potest.

C. 60. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Exceptio illa debitum suspendit.

XXXIII. Exceptionem objiciens, non videtur de Adversarii intentione consistere.

C. 63. *ibid.*

REGULÆ RATIO habetur in 25. hujus Tit. si enim licet uti pluribus defensionibus, possum uti defensionis exceptione, quin Adversarii intentionem consistat; quia hæc utens defensione, aliis non renuntio.

XXXIV. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus.

C. 71. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Cui licet quod est plus, licet utique quod est minus; agere autem, est quid majus, quam excipere.

XXXV. Contractus ex conventionem Legem accipere dignoscuntur.

C. 85. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Contrahentes obligant se ad id, quod volunt: obligatio in Contractibus, est Lex Contrahentium. Mutuus Consensus in aliquid, quod sibi invicem placet, est Conventio; ac proinde Contractus ex Conventionem Legem accipiunt.

XXXVI. In ipso Causæ Criminalis initio, non est à Quæstionibus, id est tormentis, inchoandum. C. 6. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Injustè cruciatur, qui ex bonis conjecturis non judicatur Reus: hæc autem circumstantiæ initio processus criminalis sunt discutendæ: Nota quòd etsi hæc Regula falsò desumatur ex S. Gregorio, & contrà mentem illius sit, attamen vera est in se ob adductam rationem.

XXXVII. In minimis Causis, sicut in majoribus, appellationi est deferendum.

C. 11. de Appell.

RATIO. Appellatio, est defensio, quæ nulli est deneganda.

XXXVIII. Quoad ordinem judicarium, quod Jure Civili licet, Jure Canonico quoque licet, nili Juri Divino adverteretur, vel aliud Jus Canonikum præscribat.

Inferitur ex Cap. 2. de Causâ Possess.

REGULÆ RATIO. Judicarium ordinem desumpsit Jus Canonikum à Jure Civili.

XXXIX. Clericorum Causæ Jure Canonico decidendæ.

C. 9. de For. compet. cui jungenda Pars decisa, in quâ ponitur principium, ex quo contenta in citato Cap. prout apud GREGORIUM IX. habetur, decisio inferitur; Pars enim apud GREGORIUM relata est mera consequentia Partis decisæ, cum in illa decidatur, Causas Clericorum pecuniarias judicandas Jure Canonico, ex eo, quòd in Parte decisa dictum est, Clericis nihil commune esse cum Legibus publicis. C. 9. de Foro compet.

Hæc Regula non recipitur integra, nisi in Locis, in quibus Suprema Potestati placet, ut Clerici solo Jure Canonico regantur: in aliis recipitur tantum quoad Causas merè Ecclesiasticas, quarum decisio è Jure Canonico pendet: idcirco GONZALEZ notat n. 2. hanc Constitutionem esse localem.

XL. Forum Quis fortitur ratione delicti, contractus, domicilii, rei.

C. 20. de For. compet.

REGULÆ RATIO. Illorum quolibet subditus efficitur Judicum Locorum, in quibus illa sunt vel fiunt.

XLI. Negantis factum nulla est per rerum naturam probatio: Sed ex illius ad objecta responsione, de veritate vel de falsitate negati judicare licet.

C. 5. de Renuit.

XLII. Tanta est Judicis autoritas, ut pro ipso semper præsumi debeat, donec contrà ipsum aliquid legitimè probetur.

C. 11. de Prob. in quo CONCILIUM LATERANENSE IV. jubet, ut omnia Acta Judicialia conscribantur, ne Judex tali præsumptione abuteretur.

XLIII. Facientem & Consentientem par pœna constringit.

EX S. PAULO desumitur. Rom. X. v. 32. quoniam Qui talia agunt, digni sunt morte, non solum qui ea faciunt, sed qui consentiunt facientibus. C. 47. de Sent. Excom.

XLIV. Non vindicabis bis in idipsum.

NAHUM. I. C. 24.

XLV. Leviter Castigatus reverentiam exhibet Castiganti, asperitatis autem nimie Increpatio, nec correctionem recipit, nec salutem.

Conc. Bracchar. Tertium desumit ex quodam Sapientie. C. 8. Dist. XLV.

XLVI. Ut quod injustè fecit, ipse justè patiatur.

C. 11. CAU. II. QUÆST. I. C. 6. CAU. XXIV. QUÆST. III.

XLVII. Quatuor modis pervertitur Humanum Judicium, timore, cupiditate, odio, & amore.

ISIDOR. C. 78. CAUS. XI. QUÆST. III.

XLVIII. Causa semel affectata apud superius Tribunal, non potest, eo inconsulto, deinceps devolvi ad inferius Tribunal.

C. 19. de For. compet.

XLIX. Qui

XLIX. Qui prior appellat, prior agat.

C. 2. de Ordin. cognition. GONZALEZ in hoc cap. illam Regulam sic explicat, ut verus sensus sit, quòd is, qui appellat, est Actor in secundâ instantiâ coràm Judice ad quem, etsi Reus fuerit in primâ instantiâ coràm Judice à quo, eamque desumptam dicit ex L. Qui appellat. 29. ff. de Judiciis.

S. III.

De Moralibus Regulis.

Antequàm colligantur Regulæ Morales juxtâ divisionem superius memoratam, una Generalis præmittenda, quæ præ aliis omnibus est notanda ac retinenda; præscribit enim modos, quibus exorta circa Mores dubia decidenda sint, quòd ad Mores permaximè pertinet.

ARTICULUS I.

De Canonicis Morales Questiones decidendi Modis.

OBSERVATIO.

In Jure Canonico non alii leguntur modi, quibus Morales Questiones decidentur, quàm isti.

1. *Scriptura sacra. C. 3. DIST. XX.* ibi enim habetur, ad alia recurrendum, cùm casus decidi nequeant ex Scripturâ.

2. *Canones*, mox citandorum Textuum, quibus *Decretales Summorum Pontificum* annumerantur: in Priore enim legitur fidem inutiliter habere, qui Canones non recipit: in Posteriori, Canones vocantur Divina Scripta Græca, quia nondùm erant Canones Latini, qui ab Ecclesiâ Romanâ reciperentur. *C. 1. DIST. XX. C. 3. cit.*

3. *Sancti Patres. C. 3. cit.* in utroque expressè habetur: *Clementina 1. de Fide & Summâ Trinit.* quæ præfert opinionem, quæ docet in Baptismo infundi Infantibus Virtutes, ex eo quòd sit Sanctorum dictis magis consona.

4. *Sanctorum exempla. C. 3. cit.* hic modus in isto Capite exprimitur, quòd restringendum ad ea, quæ Legi Naturali vel Divinæ manifestò non adversantur.

5. *Concilia Generalia vel Particularia. C. 3. cit.* hic etiam *ibid.* exprimitur.

6. *Sedes Apostolica*, si à Conciliis Particularibus decidi nequeant. *C. 1. DIST. XX.*

Non obstat, quòd Canon 2. & Canon 3. citati inter Apocryphos à Criticis collocentur; hoc enim non fit propter id, quòd continent, sed ob Autoris illorum incertitudinem: præterea Canon 3. nihil habet, quòd non sit in Canone 1. quem omnes legitimum esse LEONIS IV. sætum agnoscunt, eo solo excepto, quòd de exemplis Sanctorum dictum est, quòdque confirmatur ab eodem Canone 1. Quòd enim dicit de Scriptis Patrum, extendere fas est ad eorum exempla, quæ non minoris ponderis ac autoritatis sunt, quàm illorum Scripta. *Can. 2.* de alio Decisionum fonte non loquitur quàm de Decretalibus, de quarum autoritate mentio ampla fit in *DIST. XIX.* quæ tota est in illâ probandâ. Ad hæc *Canon 3. DIST. XX.* de eadem sermonem facit, & recensens Pontifices Veteres, quorum Decretales reciperentur, incipit à Siricio, idèòque excludit ab hoc numero illas, quæ Antiquioribus suppositæ sunt.

In recensendis Fontibus, ex quibus Ethica Christiana haurienda est, juxtâ Juris Canonici præscriptum, ordinem autoritatis secuti sumus; idèòque 1. locum dedimus Scripturæ Sacræ, 2. Conciliis Generalibus, 3. Decretis Summorum Pontificum, 4. SS. Patribus, 5. Istorum exemplis, insinuavimusque, in Controversiis circa illam exortis, non esse recurrendum ad Summos Pontifices, nisi cùm à Conciliis Particularibus finiri non possunt, vel quia illorum Celebratio possibilis non est, vel quia non consentiunt in Decisione.

Ex notato ordine sequitur, quòd si SS. Patrum Dicta, vel Pontificum Decreta, adversentur vel Scripturæ, vel Conciliorum Generalium Definitionibus,

Tom. I.

Regulæ Decisionum esse nequeant: hoc agnoscit GRATIANUS *DIST. XIX. sub Can. 7.* excludens expressè ab his, quæ dixerat in favorem Sanctionum Pontificiarum, quascumque præceptis Evangelicis adversantes. Idem S. LEO confirmat in *Can. 2. DIST. XIV.*

Quòd mox observatum est ad Decisiones ab iisdem datas circa proposita eisdem dubia, hujus rei exemplum refertur attentione dignissimum in Commentario VAN ESPEN in *DIST. XX. Concilium Toletanum IV. an. 686.* cui præsidebat S. Julianus Confessionem 16. Capitulis constantem miserat ad *Benedictum II. Papam*; intellecto autem, quòd iste quatuor ex illis improbareret, biennio post congregatum fuit aliud Concilium, in quo cùm reperissent ista consona Dictis SS. Ambrosii, Augustini, Fulgentii, pronuntiarunt, standum esse his Dictis. Leges citatum exemplum, & concludes, quòd notata exceptio jure merito notanda est.

Clementina suprâ citata inter Regulæ vel Fontes Decisionum Moralium & aliarum ad Doctrinam spectantium, recensere videtur Theologorum Modernorum Sententias, cùm illas collocet inter momenta, quibus determinatur ad relatam opinionem alteri præferendam; sed id restringendum ad ea, de quibus nec Scriptura, nec Concilia, nec Summi Pontifices, nec SS. Patres quidquam clarè dixerunt, nec non ad ea, in quibus Moderni Theologi cum SS. Patribus consentiunt, vel de Theologis intelligendum, quorum Doctrina communiter recepta est, ut *Divi Thomæ*; aliorumve similium. Hæc Clementina facta est approbante Concilio Viennensi, an. 1311.

Quòd de SS. Patrum autoritate in Decisionibus hæctenus dictum est, confirmatur per *Cap. unicum de Fide & Summâ Trinit. in VI.* in quo deciditur ex consensu illorum, tùm Græcorum, tùm Latinorum, Spiritum Sanctum unâ Spirazione æternaliter procedere ex Patre & ex Filio: desumitur ex *Concilio Lugdunensi. I.* Idem Textus distinguit Doctores à Patribus, & *Glossa* in verba *Doctorum* ait, quòd illorum præcipuus est ordo in Ecclesiâ, illud probans per *C. 12. de Hæret. S. Sicut*, addit, quòd hoc nomine intelligendi sint Prædicatores & Prælati, ad id autem allegat *C. 1. DIST. XLIII.* Horum duplex genus, aliud Pontificum, aliud non Pontificum, ibi distinguitur à S. GREGORIO.

ARTICULUS II.

De Prohibitoriis circa Mores Regulis.

OBSERVATIO.

Prohibitoria circa Mores Regulæ hæc sunt.

I. Plus timeri solet quòd specialiter, quàm quòd generaliter inhibetur.

Clem. unic. de excess. Prælat. in fine.

II. Cùm quid prohibetur, prohibentur etiam omnia, quæ ex illo sequuntur.

R. 35. 80. de Reg. Jur. in VI.

III. Malitiis hominum non est indulgendum, *C. 23. de Rescript. C. 5. Qui accusant Matr. C. 27. de Priv.*

Hæc Regula Superiores præcipuè respicit; horum enim est Hominum malitias correctione, vel punitione, vel Lege coercere.

REGULÆ RATIO. Fiunt in dies peiores Homines, necorū malitiis obvietur: vix enim penâ in officio suo retinentur.

IV. Fraus & dolus nemini patrocinari debet.

C. 15. 16. de Rescript. R. 4.

Includitur in superiori, fraus enim & dolus sunt malitiæ, quibus non est indulgendum, ac quibus indulgeretur, si cuiquam patrocinari permitterentur. Contrâ

verborum æquivocationes trahi potest; fraus enim & dolus sunt actionum æquivocationes.

REGULÆ RATIO: Si secus fieret, quàm ferat Regula, ad fraudem & dolum aperiretur via maximè frequentanda.

V. Quæ vi metuve fiunt de Jure in irritum revocanda.

vel quod eodem recidit, *Qua vi metuve fiunt carere debent robore firmitatis. C. 4. De iis, qua vi.*

RATIO REGULÆ. Vis metusve libero officium consensui ad actum valorem jure merito desiderato.

Resfringenda ad vim metusve injusta; nam v. g. si quis metu justæ Depositionis, Beneficio renuntiat, renunciatio valet; vel si alius metu mortis meritæ, & à Judice præceptæ fœminam sibi in matrimonio jungat, matrimonium validum est.

VI. Nullus debet de malitiâ suâ commodum reportare.

C. 7. de Judiciis. C. 9. de Dolo & Contum. R. 2.

Ad quartam reducitur; est enim velut illius Ratio, cum dolus nemini debeat patrocinari, ne ex malitiâ commodum reportet.

REGULÆ RATIO. Indè remuneraretur, undè puniendus est.

VII. Contumax non esse debet melioris conditionis, quàm Obediens.

C. 9. de Dolo & Contum.

RATIO: Inobedientia amaretur, & obedientia odio haberetur.

VIII. Propter Scandalum vitandum, non est Veritas omittenda.

C. 3. de Reg. Jur. Intellige Veritatem præcepti, ut illa Regula concordet cum 25. ejusd. Tit.

REGULÆ RATIO. Sicut non sunt faciendæ mala prohibita, ut eveniant bona, ita nec omittendum bonum præceptum, ut vitentur mala.

IX. Quod ad defensionis subsidium est inventum, non debet ad deprecationis dispendium retorqueri.

C. 12. de Penis.

REGULÆ RATIO. Contrarium agens gratiâ abutitur, bonumque in malum convertit, utrumque autem injustum est.

X. Peccati venia non danda nisi Correcto.

C. 5. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO. Peccati venia non Correcto data, novæ culpæ occasio est. A foro exteriori ad interius extendenda est.

XI. Nemo potest ad impossibile obligari.

C. 6. ibid. defumitur ex Jure Naturali.

Ad illam reducitur 41. & 66. Regula, ut effectus ad causam.

REGULÆ RATIO. Injusta esset hujusmodi obligatio, cum impleri non possit.

XII. Non est sine culpâ Qui rei, quæ ad eum non pertinet, se immiscet.

C. 19. ibid.

Optima est contra Curiosos, nec non illos, qui artes, quas ignorant, exercent, vel sine mandato aliorum negotia gerunt.

REGULÆ RATIO. Ex ordine vel statu suo egreditur, qui id agit quod Jure Divino, imò & Naturali prohibetur; præterea rei alienæ se immiscens, negligens est suæ; cum enim sua quemque res satis illum occupet, qui alienæ se immiscet, suam negligere necesse est.

XIII. Cum quid prohibetur, prohibentur etiam omnia, quæ ex illo sequuntur.

C. 29. ibid. Vide R. 6. præcepti.

REGULÆ RATIO. In Principio Consequentia includuntur.

XIV. Locupletari non debet Quis cum alterius injuriâ, vel jacturâ.

C. 48. ibid.

Loquitur de jacturâ injustâ, ut inferre licet ex præcedenti voce, injuria, quæ injustum nocumentum significat.

REGULÆ RATIO: Qui cum injusto alterius damno locupletatur, furtis vel quasi furtis, res suas auget.

XV. Non est obligatorium contra bonos Mores præstitum juramentum.

C. 58. ibid. C. 3. de Jurejur. in 3. Collect. R. 18. infra.

REGULÆ RATIO. Inferioris Lex Superioris Legi contraria non ligat; promissorium autem juramentum, de quo Regula, est Lex privata sibi à Jurante imposita, undè, cum Homo sit infinitè inferior Deo, Lex illa Jurantem non ligat, si sit Legi Dei contraria, qualis est, quando contra bonos Mores juratur.

XVI. Dolo facit qui petit, quod restituere oportet eundem.

Intelligitur de restitutione ei, à quo petit, faciendâ; si enim restituendum esset alteri, justè peteretur, cum injusto Detentori res auferretur, ut Domino legitimo daretur. *C. 59. ibid.*

Regulæ Casus hic esse videtur: quamdam pecuniæ summam vero titulo Joanni debes, hanc à te peto tanquam potiori titulo, sed sicto mihi debitam, ut illa Joannem frustrer, tibi que servem; vel petens ultras, quas tibi restituere teneor, Creditores tuos debitis frustror. In utroque casu me dolose agere manifestum est, nec non ad restitutionem teneri erga illos, quibus dolus meus præjudicat.

XVII. Nemo ex consilio, dummodò non sit fraudulentum, obligatur.

C. 62. ibid.

Excipiendi videntur casus, in quibus ex justitiâ consilium bonum dare tenetur qui dat; quales sunt, Confessor circa Animæ Salutem, Medicus circa Corporis sanitatem, Advocatus circa lites; isti enim, si ex ignorantia, ex negligentia, aliâve culpâ malum præbent consilium, injustitiam committunt, cum ex officio, bona dare Consilia teneantur; undè videntur in eos, quibus per mala consilia nocent, obligari.

XVIII. In malis promissis fidem non expedit observari.

C. 69. C. ibid. 3. de Jurejur. in 3. Collect.

REGULÆ RATIO. Lex Deo contraria non est servanda, malum promissum est Lex Deo contraria, ac proinde non est servandum.

XIX. Qui contra jura mercatur, bonam fidem præsumitur non habere.

C. 92. ibid.

Excipiendi casus, in quibus Lex, quæ violatur, est merè pœnalis.

REGULÆ RATIO. Præsumptio, de quâ Regula, justa est ex eo, quòd alicujus culpæ Reus circa aliquam rem, alius non ab similibus Reus circa eandem non immeritò creditur, eodemque reus interpretatio *Canisii* in eandem.

XX. Bona fides non patitur, ut exactum semel, iterum exigatur.

C. 83. ibid.

Loquitur Regulâ de iteratâ exactione scienter factâ.

REGULÆ RATIO. Non potest Quis cum bonâ fide indebitum scienter exigere: exactum autem semel, indebitum est, ac proinde non potest iterum scienter exigi, sine malâ fide.

Ad pœnam extenditur, quæ bis eadem, de eodem delicto non iterato, exigi nequit sine malâ fide. *Canisius in hanc Regulam.*

XXI. Quidquid in sacris Deo rebus & in Episcopis injustè agitur, pro Sacriligio reputatur, quia Sacra sunt, & à quoquam violari non debent.

C. 7. de Reg. Jur.

REGULÆ

REGULÆ RATIO. Ex Epist. 2. *Stephano I.* suppositâ vulgò desumitur, relatâ integrâ apud LABBEUM. *Conc. to. 1. p. 732.* at ex variis locis Autorum longè posteriorum confecta est, ut patet ex citationibus marginalibus. Regula tamen indè deducta non ideò rejicienda, cum nihil nonnisi veri habeat & à GREGORIO IX. approbata sit.

XXII. Qui ex timore præceptum facit, aliter quàm debeat, facit, & ideò jam non facit.

C. 8. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Timor pœnæ temporalis, vel æternæ sensibilis, non excludit peccati voluntatem, idcirco, dum ex tali timore sit præceptum, cum voluntate non faciendi sit, ideòque æquè inutiliter & damnablem, ac si non fieret; idque, quia in vitandâ pœnâ, à jacturâ à Deo districtâ ultimus finis constituitur.

XXIII. Non est arguendus, nec impugnandus, cujus Crimen non deprehenditur.

C. 13. CAUS. VI. QUÆST. III.

REGULÆ RATIO. Correptio videtur tunc injusta, ideòque nociva.

XXIV. Periculosissimè admittitur hæc Compenratio, ut mali aliquid faciamus, ne alius gravius malum faciat.

C. 1. DIST. XIV.

REGULÆ RATIO. Temerariè, incautè & injustè exponimus Salutem nostram pro Salute alienâ: incerti enim sumus de veniâ pro peccato nostro obtinendâ; incerti etiam, an talis indiscreta Caritas Proximo proderit; dum enim impeditur peccatum exterius, peccatum interius non cavetur.

XXV. Etî Bonum, (*intelligo Bonum consilii non præcepti*) quondòque omittendum sit, malum numquàm est committendum.

C. 2. *de novi operis.*

REGULÆ RATIO. Bonum cessat quondòque esse Bonum, ratione circumstantiarum, sed nullæ sunt circumstantiæ, quæ efficere possint, ut quod in se malum est, de quo hic sermo, desinat esse malum.

XXVI. Ignoscendum Erranti ex simplicitate, non autem Pervivanti in errore cognito.

Cap. 8. DIST. VIII.

REGULÆ RATIO. Probabilis error (qualis qui ex simplicitate aliâve honestâ causâ oritur) excusat, non item alius.

XXVII. Non tanto pondere prohibenda licita, quæ non expediunt, quanto pondere prohibenda illicita.

C. 9. CAUS. XXVIII. QUÆST. I.

RATIO. Prius, minus malum, quàm posterius.

XXVIII. Qui scit se aliis præpositum, si ut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat illis importabile pondus imponere.

C. 14. CAUS. II. QUÆST. VI.

RATIO. Alteri ne feceris, quod tibi fieri non vis.

XXIX. Non est putandum in verbis Scripturarum, esse Evangelium, sed in sensu; non in superficie, sed in medullâ; non in sermonum foliis, sed in radice rationis.

C. 64. CAUS. I. QUÆST. I. Ex. S. Hieronymo.

REGULÆ RATIO. Littera occidit, Spiritus vivificat: verba sunt velut Corpus, vel cortex; sensus verò, sicut Anima vel succus.

XXX. Quod licet, sed non expedit, quale id, ex quo Hominibus Salutis impedimentum infertur, non est faciendum.

C. 9. CAUS. XXVIII. QUÆST. I.

REGULÆ RATIO. Licitum hoc casu sit illicitum ratione circumstantiæ, quâ efficitur non expediens.

XXXI. Jungendi non sunt, quibus studia & Vota sunt diversa.

Tom. I.

C. 22. CAUS. XVI. QUÆST. VII.

REGULÆ RATIO. Hujusmodi coherere & conjungi nequeunt.

XXXII. Ex eventu Facta æstimanda non sunt. C. 8. 9. 10. DIST. XLVII. Hinc non judicandum, quòd Pastor Gregem suum pro debito officio non curet, ex eo solo, quòd Grex malus sit.

REGULÆ & Exempli RATIO. In Moralibus, ut in Physicis, multa impediunt, ne res eventum congruum habeant.

XXXIII. Adversitas, quæ Bonis objicitur, probatio est Virtutis, non indicium Reprobationis.

C. 48. CAUS. VII. QUÆST. I.

Regula loquitur de Viris Justis, vel saltem de Pœnitentibus: desumitur ex S. GREGORIO eamque probat naufragio S. PAULI euntis in Italiam ad prædicandum, quod sic exprimit: *Quis enim nesciat, quàm prosperum fuit quod S. Paulus Apostolus prædicaturus ad Italiam veniebat, & tamen veniens naufragium pertulit, sed navis Cordis, in Maris fluctibus, integra stetit.* Malè ergo existimatur Malus, qui affligitur, si aliudmè Bonus habeatur.

XXXIV. Non spectandum, quid Quis dicat, sed quid agat.

C. 71. CAUS. XII. QUÆST. II.

REGULÆ RATIO. Plenus venter facilè de jejuniis disputat, idem dic de Divite, ergà paupertatem, de Sano, ergà morbos.

XXXV. Sapiens non est omnis, qui nocet.

C. 14. CAUS. VI. QUÆST. I.

REGULÆ RATIO. Initium Sapientiæ timor Domini.

ARTICULUS II.

De Permissoriis circa Mores Regulis

OBSERVATIO.

Non alia leguntur in Jure Canonico circa Mores Permissoria Regula, quàm ista.

I. Aliud est præcipere, aliud permittere; præcipimus quod placet: quod autem permitimus, nolentes permitimus.

C. 9. CAUS. XXXI. QUÆST. I.

RATIO. Præcipiens eligit, Permittens alienæ necessitati obedit.

II. Necessitas facit licitum, quod non est in Lege licitum.

C. 4. *de Reg. Jur.*

Refrigenda ad illa, quæ ex se mala non sunt, quæ non sunt Odium Dei, Perjurium, Mendacium, ista siquidem nullâ ex causâ licita sunt.

REGULÆ RATIO. In gravi, & urgente necessitate, de quâ Regula, obligare non intendit Legislator, nec potest intendere, quia plus prodest, vel minus obest non servata Lex, quàm prodesset, vel obesset servata.

III. Vim vi repellere omnes Leges omniaque Jura permittunt.

C. 3. *de Sent. Excom.*

REGULÆ RATIO. Quolibet Jure Homini licet seipsum conservare, ideòque & repellere, quæ huic conservationi adversantur.

Regula huic alibi additur *cum moderamine inculpata vitæ*; idque, quia vim vi Repellens sui defensionem intendere debet, nec aliam in repellendo vim adhibere, quàm quæ ad removendam præsentem injuriam, verè necessaria est. C. 2. 18. 19. *de Homicid.*

IV. Necessitas non habet Legem.

C. 11. *de Conf. DIST. I. C. 2. de Observ. Jejun.*

Eadem est ac I. nam sensus illius est, quòd Necessitas à Lege excuset, ac proindè, quòd licitum faciat quod in Lege illicitum est.

Refrigenda ergò est eodem modo, ac illa.

V. Frustrà quis sibi postulat fidem servari ab eo, cui fidem præstitam servare recusat.

C. 75. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Contrahentes paræ sunt conditionis ergà Contractum, undè, si alter fidem frangat, alteri frangere licet.

Vide *Canisum* in hanc Regulam.

VI. De Manifestis, quæ non possunt bono animo fieri, nobis permittitur judicare.

C. 2. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Judicium hujusmodi non lædit Proximum.

VII. Illa nonnunquam sinenda sunt, quæ, si cæteris constet integritas, nocere sola non valent.

C. 3. CAUS. I. QUÆST. VII. R. 33. *Præcept.* Ad Abusum circà Disciplinam, qui sine scandalo tolli non possunt, Regulam hanc accommodare licet; dùm enim Fides & Mores sunt integra, abusus isti non nocent.

REGULÆ RATIO. Si ad vitandos Saluti non nocivos abusus excitetur scandalum, morbo pejus remedium adhibetur, vel leviore laborans morbo ægrotus, graviore & mortali exponitur.

VIII. Aliud est Dei jubentis, aliudve Superioris Imperium, aliud Conservi secundum misericordiam Charitatis, quæ à Deo est illi inspirata, fidele consilium. Consilio si uti nolueris, minùs boni adipisceris, sed nil mali perpetrabis: sed si Domini præcepto, aliudve Superioris, non obedis, peccas.

C. 3. CAUS. XIV. QUÆST. I.

REGULÆ RATIO. Consilium est de de meliori Bono, Præceptum verò de Bono necessàrio.

IX. Non omne licitum expedit, sed tunc tantum, quandò ex illo nullum inferitur Salutis impedimentum.

C. 9. CAUS. XXVIII. QUÆST. I.

REGULÆ RATIO. Incommodum ex re in felicità nascens, illam pro accidente circumstantia illicitam facit. Hac Regula desummi videtur ex 1. ad CORINT. C. VI. v. 12. 13. C. X. v. 20. & 21. *Omnia mihi licent, sed omnia non expediunt.*

X. Utilius Scandalum nasci permittitur, quàm Veritas relinquatur.

C. 3. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Minus Malum præferendum majori.

ARTICULUS. III.

De Præceptoris circà Mores Regulis.

OBSERVATIO.

Non alia leguntur in Jure Canonico Præceptoria circà Mores Regula, quàm istæ.

I. **C**UM quid præcipitur, omnia, quæ ex illo sequuntur, præcipiuntur.

Colligitur è C. 39. de Reg. Jur. in VI. R. 11. *Prohibit.*

REGULÆ RATIO. Consequentias Principium continet.

II. Plus timeri solet quod specialiter injungitur, quàm quod generaliter imperatur.

C. 6. de Hereticis huc pertinet R. 6.

III. In dubiis semitam debemus eligere tutiorem.

Vocatur hęc semita tutior, quæ à peccato certò removet, minùs tuta quæ peccati periculo exponit. C. 12. 18. de Hom. vel Clem. 1. de verb. signif. C. 3. de Sponsalib. C. 4. De Pœnit. DIST. VII.

REGULÆ RATIO. Nullum Malum est peccato comparandum, idcirco cuilibet nos exponere debemus, ut peccatum vitemus.

IV. Non remittitur peccatum, nisi restituatur ablatum.

C. 5. de Usur. C. 4. de Reg. Jur. in VI.

REGULÆ RATIO. Injusta rei alienæ detentio, qualis sit, dùm quod restitui potest, non restituitur, mortale peccatum est. Peccatum autem mortale remitti non potest, alio non remisso, ideò omne peccatum retinetur, dùm injustè aliena res detinetur.

V. Qui gravius excedit, gravius est puniendus.

C. 12. de Hæret. C. ult. de Exces. Præl.

Clara est REGULÆ RATIO. Commetienda enim est Pœna cum Culpâ.

VI. Quantò Quis melior est, tantò in Sacris Officiis obeundis aptior est, idcirco aliis præferendus.

C. 26. CAUS. XVI. QUÆST. I.

REGULÆ RATIO. Præcipua Dispositio ad Sacra Officia est Morum probitas.

VII. Non tantum attendenda sunt quæ fiunt, quantum quo animo fiunt.

C. 1. CAUS. XV. QUÆST. VI.

REGULÆ RATIO. In Moralibus Bonum, & Malum præcipue pendet ex intentione, ut patet MATTH. C. VI. v. 22. 23.

VIII. Dubia circà Proximi mores sunt in meliorem partem interpretanda.

C. 2. de Reg. Jur.

REGULÆ RATIO. Charitas exigit, ut præsumatur bonus qui non probatur malus. Adde quòd Proximus non manifestè malus, est in possessione boni nominis, ideòque in dubio pro eo judicandum.

IX. Defeat Peccator, quia offendens in uno, factus est omnium Reus.

C. 9. *ibid.*

Loquitur Regula de omni peccati mortalis Reo, eumque flere jubet, tanquam, omnium peccatorum conscium; idque, quia ergà Cæli amissionem & Charitatis violationem, quolibet mortali peccato finis quasi Rei omnium Peccatorum: quodlibet enim Charitatis vinculum rumpit, Cælumque claudit æquè ac cuncta simul, adeò ut qui unum tantum committit, non minùs Charitate privetur, Cæloque, si in eo decedat, quàm qui omnia simul commisit.

X. Non potest esse Pastoris excusatio, si Lupus comedit, & Pastor nescit.

C. 10. *ibid.*

REGULÆ RATIO. Super Gregem debet vigilare Pastor, ne ulla Ovis ipsius Curæ commissa pereat.

XI. In Officiis Charitatis primo loco illis tenemur obnoxii, à quibus Beneficia accepisse cognoscimus.

C. 7. de Testam.

REGULÆ RATIO. Undè exeunt flumina huc revertuntur.

XII. Deo Servientibus Beneficium negare non convenit.

C. 12. CAUS. XI. QUÆST. I.

REGULÆ RATIO. Omni petenti, da: multò ergò magis id justo utilique labore Merentibus applicandum.

XIII. Veritatis est Regula, ut nihil facias tui commendandi gratiâ, quò alius minor fiat, neque si quid Boni habeas, ad deformationem alterius & vituperationem exerceas.

C. 13. CAUS. XI. QUÆST. III.

REGULÆ RATIO. Proximum sicut teipsum diligere teneris.

XIV. Ad rectè judicandum de rerum pretereuntium usu, attendendum quid Locis, Temporibus, Personis conveniat.

C. 1. DIST. XLI. in quo leguntur exempla convenientissima, sicut etiam in C. 2. 3. 4. 5. *ejusd.* DIST.

REGU-

REGULÆ RATIO. His circumstantiis, ut & finis circumstantiâ, bonus vel malus fit istarum rerum usus.

XV. Non decet alii te fecisse, quod ab alio fieri tibi nolles.

C. 13. de Majorit. Simile quid habetur. C. 2. de mutuis Petition. C. 37. de Excom. l. 5.

REGULÆ RATIO. Christi autoritas.

XVI. Plus est Deo, quam Homini deferendum. C. 37. de Excomm. l. 5.

REGULÆ RATIO. Spiritus Sancti impetro testimonium *Aff. IV. v. 19. Aff. V. v. 29.*

XVII. Non satis est bene velle, sed etiam benefacere oportet, nec satis est iterum benefacere, nisi id ex eo bono fonte, hoc est ex bonâ voluntate proficiatur.

C. 14. D. 86. R. 19.

XVIII. Benefacere nemo potest, nisi elegerit, nisi amaverit, quod est in liberâ voluntate.

C. 33. CAUS. XXIII. QUÆST. V.

REGULARUM XVII. & XVIII. RATIO. Sicut Cupiditas est omnium Malorum radix, sic Caritas fons est omnis Boni.

XIX. Nisi fiat quod Bonum est, à Malo abstinere non sufficit.

Clem. 3. de penis. l. 5. C. 18. CAUS. XXII. QUÆST. V.

REGULÆ RATIO. Bonum fac & declina à Malo.

XX. Ad veritatem vitæ pertinet, ut id quod exterius agitur, interiorem mentis dispositionem & habitum repræsentet.

Clem. 1. de verb. signif. R. 16.

REGULÆ RATIO. Alias exterior actio est mendacium, simulatio & hypocrisis.

XXI. Attendere non debemus solum quid factum sit, sed potius quid faciendum.

C. 27. de Elect.

REGULÆ RATIO. Exemplis Lex est præferenda.

XXII. Non solum quod Malum esse dignoscitur, sed & omne, quod speciem habet Mali à veris Perfectis specialiter vitandum est.

Clem. 1. de verb. signif.

REGULÆ RATIO. Perfecti sunt cæterorum specula, quæ omni carere debent maculâ, etiam apparenti.

XXIII. Operari nunquam licet contra Conscientiam, quæ certa judicatur.

Qualis de qua C. 44. de Excomm. C. 13. de Restit. Spoliat. C. 35. de Simon. C. unic. de Scrutinio.

Hinc, potius sustinenda sunt Ecclesiæ Censuræ, quam quod certò scimus à Deo nobis prohibitum, jubente Ecclesiâ ex errore Facti, faciamus.

REGULÆ RATIO. Conscientia hujusmodi est proxima actionum nostrarum Regula.

XXIV. Conscientia levis, vel temerariæ credulitatis, præcipue ad sui Pastoris consilium explodi debet.

C. 44. de Excom. Extravag. 1. de verb. signif. Joann. XXII.

XXV. Ortum ex scrupulo, peccandi periculum non evades, nisi deponas errorem.

C. 35. de Sim.

REGULÆ XXIV. RATIO. Manente causâ manet effectus, quandiu autem manet error, manet peccandi periculum, quod ex illo oritur.

REGULÆ XXV. RATIO. Constitutus est à Deo Pastor ut ducat, ideòque consulti in dubio Pastoris consilia sequenda sunt.

XXVI. Manente circa actionem faciendam dubio, ab eâ est abstinendum.

C. 24. de Rescript. C. 2. de Secund. Nupt.

REGULÆ RATIO. Ad hoc, ut mihi agere liceat, oportet, ut moraliter certus sim de actionis meæ Bonitate.

XXVII. Cum plures sunt circa eandem rem opiniones, probabilior sequenda est.

Probabilior autem est, quæ meliori nititur ratione, quæve Doctorum tam Antiquorum, quam Modernorum Theologiæ conformior. *Clem. 1. de Sum. Tri. §. 3. C. 4. de Feriis §. 1.*

REGULÆ RATIO. Opinio hæc ad veritatem, quæ sequenda est, propius accedit.

XXVIII. Communis utilitas, Privata est præferenda.

C. 18. de Regularib.

REGULÆ RATIO. Majus bonum minori prædiligendum est.

XXIX. Superiori magis curandum est, ut Leges ferventur, quam ut constituantur.

C. Unic. de Regular. in VI. §. Utr.

REGULÆ RATIO. Legum Conditor circa illarum observationem negligens, peccandi materiam plurimis subministrat.

XXX. Quisquis præceptis non obtemperat, justis vel non evidenter injustis, Reus est, & Debitor poenæ.

C. 3. CAUS. XIV. QUÆST. I.

REGULÆ RATIO. Peccati stipendium poena.

XXXI. Exigit Perverforum audacia, ut non solâ prohibitione contenti sint Superiores, sed etiam delinquentibus poenam imponant.

C. 2. de Censib. in VI.

REGULÆ RATIO. Dignum est, ut quos Dei timor à Malo non revocat, saltem coerceat severitas Disciplina.

XXXII. Rectorum negligentia, dum spem impunitatis permittit, multam nutrire pestilentiam confuevit in Subditis.

C. 7. de Elect. §. ult. Extravag. Joann. XXII. de penis. C. 2. D. 62.

XXXIII. Quod dicit Apostolus, dimittendum Conjugem potius, quam Christum. hoc de Parentibus, de Filiis, de Fratribus est dicendum.

C. 7. CAUS. XXVIII. QUÆST. I.

REGULÆ RATIO. Qui non odit Patrem suum, aut Matrem suam, non est in Deum dignus, ait *Christus* MATT. C. X.

XXXIV. Quod neque contra Fidem, neque contra bonos Mores injungitur, indifferenter est habendum & pro eorum, inter quos vivitur, Societate est servandum.

C. 11. DIST. XII. §. 2. ex S. Augustino R. 6. permiss.

REGULÆ RATIO. quoad secundam partem, Monstrum est Membrum, quod suo non convenit Corpori.

Quoad primam, quod Fidei vel Moribus bonis non adversatur, non est malum, ideòque quidquid Superior circa hujusmodi res præcipiat, servandum.

Hinc cum quisque subdatur Ecclesiæ, in quâ degit, eo modo agere debet, quo Ecclesiam istam agere viderit, S. Augustinus id probat ex S. Ambrosii Decisione, proprium suum exemplum allegantis. §. 1.

XXXV. Afflicto non est addenda afflictio.

C. 2. CAUS. VII. QUÆST. I. C. 5. de Cler. agrot. *ibid.*

RATIO REGULÆ. Miseriæ miserandum.

XXXVI. Diversitatem Corporum sequitur diversitas Animorum, ideòque non sunt omnes Animi eodem modo regendi, curandive; sicut nec Corpora eodem modo sunt alenda, curandave.

C. 5. de Concess. Preb.

REGULÆ RATIO. Qui hanc non servant Regulam se ridendos æque præbent, ac Sutores, qui eundem cuius pedem calcem assuerent.

XXXVII. Bene judicandum de iis, qui agnoscunt culpam, ubi non est culpa.

C. 4. D. 5. C. 2. de observ. jejun.

REGULÆ RATIO. Bonarum Mentium est suas ibi culpas agnoscere, ubi culpa non est. Conscientiæ quoque

timoratae quodcumque in viâ Dei apparet devium expaveſcunt. *E. C. 4. §. Sancta. Clem. 1. de verb. ſignif.*

XXXVIII. Sanctius eſt paucos Bonos habere, quàm multos Malos.

C. 14. de etat. & qual.

Hinc, Qui præeſt, Subditorum probitati, quàm multitudini magis attendat.

REGULÆ RATIO. Si Cæcus Cæcum ducat, ambo in foveam cadunt; ut à Bonis bonum ſperandum, ſic à Malis malum timendum; Arbor bona bonos fructus facit, Arbor mala malos. *MATT. C. VII.*

XXXIX. Eo quis corpiendus eſt modo, quo peccavit, clàm, ſi clàm; palàm, ſi palàm peccavit. *C. 19. Cauſ. II. Quæſt. I.*

REGULÆ RATIO. Alioquin injuſta vel vana correctio: injuſta, ſi publicè arguatur privata culpa: vana, ſi clàm corrigatur delictum publicum, natum enim ex delicto ſcandalum non auferitur.

XL. Benè loquendo inimicitia extinguenda (*ad-dendum*) & beneficiendo.

C. 88. CAUS. XI. QUÆST. III.

REGULÆ RATIO. Malefactis & Maledictis inimicitia generantur; atqui contrarium contrario curatur.

XLI. Integritas Præſidentium, Salus eſt Subditorum, totiùs Familiæ ſtatus & ordo nutat, ſi quod requiritur in Corpore, non inveniatur in Capite.

C. 5. DIST. LI.

REGULÆ RATIO. Quod à Prælatis agitur, facile trahitur à Subditis in exemplum *C. 7. de voto &c.*

XLII. Cùm duo occurrunt peccandi pericula, majori minus præferendum eſt.

C. 4. 7. CAUS. XXII. QUÆST. IV. C. 1. 2. 20. DIST. XIII.

Hinc, ſi quæ Mulier falſò exiſtmet, vitam ſibi vel Familiæ ſervandam furto vel adulterio, furtum adulterio præferat. Si quis juramentum illicitum ſervandum putans, perjurio vel homicidio exponatur, quod ex his peccatis ſibi minus videtur, eligat. Nul-lus autem in ſimilibus caſibus eſſe poteſt, niſi ex ignorantia vincibili, quæ ideò à peccato non excuſat. Exemplum iſtud eſt in *Can. 1. 2. cit.* In 2. verò ſunt alia, quæ ad rem optimè faciunt.

REGULÆ RATIO. Quò majus eſt periculum, eò majus eſt malum, ideòque magis vitandum.

XLIII. Injuſta Juſti maledictio, ut præmium eſt habenda.

C. 890. CAUS. XI. QUÆST. III.

REGULÆ RATIO. Prodeſt patienter ferenti, præbet ſiquidem merendi materiam, ideòque præmium recipiendi.

XLIV. Alienum poſſidere videtur qui partis non utitur, vel malè utitur.

C. 11. CAUS. XIV. QUÆST. IV.

REGULÆ RATIO. Rebus ſuis Bonus utitur, & benè utitur; alieno autem uti non audent: Malum verò permittit Deus alieno abuti, & neceſſario illius uſu interdum ex avaritiâ abſtinere, idque in penam peccati, quo alienum retinet.

XLV. Sana Ratio Exemplis eſt anteponenda. *C. 11. d. 9. Eadem eſt ac 20. hujus Tituli.*

REGULÆ RATIO evidens eſt; Exempla ſiquidem ſanæ Rationi contraria, prava ſunt, proindeque non ſequenda.

XLVI. In Dubiis & Obscuris ſequendum eſt, quod nec Præceptis Evangelicis, nec SS. Patrum Decretis contrarium eſt.

C. 2. DIST. IV.

Dubitatur v. gr. an omne Mutuum eſſe debeat gratuitum; fundamentum dubii eſt, vel numerus, vel autoritas Doctorem, vel rationum pondus, quibus offendi-tur ex unâ parte, ſolum Charitatis Mutuum gratis dandum, & ex aliâ, id omni Mutuo con-

venire: in hoc dubio non eſt ſequenda prima opinio, utpotè contraria Præcepto Evangelico, *Dare nil indè ſperantes*, quod abſolutum & generale eſt, ac SS. Patrum Decretis, quæ in hoc inter Mutua non diſtinguunt.

Quod in Regulâ dictum eſt de SS. Patrum Decretis, ad ea reſtringendum eſt, quæ Sacrorum Librorum Decretis adverſari non videntur.

REGULÆ RATIO. Scripturæ autoritas potior eſt, quàm cujuſvis aliùs.

XLVII. Non eſt à reâ viâ recedendum propter Perditorum convitia.

C. 10. DIST. XLVII.

REGULÆ RATIO. Qui vult Hominibus placere Malis, Chriſti Servus eſſe nequit. *ibid.*

XLVIII. Inferioris Culpa imputanda Superiori, qui, cùm poſſit, illam non impedit.

C. 1. 3. DIST. LXXXVI.

REGULÆ RATIO. Facientis culpam procul dubio habet qui, quod poteſt corrigere, negligit emendare. *ibid.*

XLIX. Ex rerum uſu judicandum non eſt, an bonæ, malæve ſint.

Vid. 99. Regul. Commun. C. 9. CAUS. XIV. QUÆST. V.

REGULÆ RATIO. Poteſt quis re malâ benè, bonâ malè uti.

L. Cum Honoris augmento, cura Sollicitudinis crefcere debet, ut veſtium cultui actionis ornamenta convenient.

C. 9. DIST. C.

REGULÆ RATIO. Honor eſt laboris ſtimulus, ſicut & merces.

LI. Rationis ordo exigit, ut, qui ſibi vult, ab alio juſtitiam exhiberi, ei non debeat, quod juſtum eſt, denegare.

C. 3. de mutuis petitionib. in 2. Colleſt.

REGULÆ RATIO. Diliges Proximum ſicut te ipſum; qui Proximo negat, quod ab eo exigit, exemplo ſuo ad denegandum movet.

C A P U T I I I.

Quæſtiones circâ ipſas Juris Canonici Regulas.

Circâ has Regulas, iſta duo tractanda ſuperſunt,

1. *Quæ ſit illarum connexio cum reliquo Jure Canonico.* 2. *Quæ ſit illarum connexio cum Jure Naturali:* Utrumque autem paucis expediatur.

Ad 1. ergò dicendum, 1. ipſas Juris Canonici Regulas nullam habere connexionem cum illâ hujus Juris Parte, quæ Fidei Dogma tangit; qualis eſt quæ de Fide Catholica, Summâ Trinitate, & de Sacramentis tractat; nulla eſt ſiquidem iſtarum Regularum, quæ Fidem reſpiciat, undè ſit, ut ferè nullam etiam habeant connexionem cum illâ Juris Parte, quæ Mores ſpectat, quatenùs Fide reguntur, qualis eſt quæ circâ Sacramenta, ſimiliaque ſupernaturalia, præcepta tradit. Reſtringitur poſterior Pars hujus obſervationis propter iſtas Regulas. 1. Malæ fidei Poſſeſſor numquam præſcribit. 2. Non dimittitur peccatum, niſi reſtituatur ablatum. 3. Venia non datur niſi Correcto: hæ enim Regulæ, aliæve ſimiles contingunt Mores, prout Fide reguntur, cùm 1. definitum ſit à Concilio Generali Lateranenſi IV. *C. ult. de Præſcript. & deductum ſit ex Divo Paulo dicente: Quod non eſt ex fide, ſeu conſcientiâ, peccatum eſt.* Duoque alia ſunt Axiomata Sacramentum Pœnitentiæ proximè reſpicientia.

2. Iſtas Regulas connexionem maximam habere cum illa Juris Parte, quæ circâ Diſciplinam verſatur, Moresque, prout Ratione reguntur, quæque aliis omnibus longè major eſt. Omnes etenim, paucis exceptis, directè pertinent, ad Judicia, ad Beneficia,

ad

ad Contractus, aliaque similia, circa quæ Disciplina occupatur, nec non & Morum, prout Ratione reguntur, Scientia.

3. Disciplinales Regulas benè multas ad Mores converti posse, ac proinde plurimas Juris Canonici Regulas, hoc in sensu, seu indirectè, Mores respicere, ac consequenter confusam, vel remotam cum Canonibus Moralibus connexionem habere.

4. Memorata tria patere ex facta superius cunctarum Juris Canonici Regularum Collectione in Quatuor divisâ Titulos; nam nulla inter eas circa Fidem, saltem expressa, reperitur: circa Mores autem ad plus 30. cæteræ verò sunt Disciplinales & 170. excedunt: inter istas autem occurrunt plurimæ, quæ ad Mores extendi possunt, ut sub istarum singulis notatum est.

Quoad Connexionem ipsam Juris Canonici Regularum cum Jure Naturali, duplici ex parte illam patere dicendum est; nam 1. indubitatum est, illas esse justas: alioquin, cum sint reliqui Juris Canonici vel Principia vel Consequentiæ, reliquum Jus Canonicum injustum esset. Si autem justæ sunt, Juri Naturali, primo Justitiæ creato Fonti, conformes sint oportet.

2. Ratio cuilibet subjuncta illam cum Jure Naturali connecti demonstrat, quælibet siquidem non aliunde, quam ab isto Jure desumitur: Legat & conferat qui dubitabit.

His Quæstionibus adjiciendæ duæ non minùs utiles; nempe 1. *Quomodo utendum sit his Regulis in decidendo?* Ut autem sentiat hujus Quæstionis utilitas, sciendum est à Regulis quibuscumque nonnullos casus excipi, ideòque, antequàm Quis utatur, inspicere debet, an casus decidendus per Regulas ab illis excipiatur, eo neglecto periculosa & nonnumquam perniciofa Decisio; Sicut ULPIANUS intelligendus, dum dicit *Quòd periculosa sit in Jure Definitio, parùmque sit, ut non subverti possit*: hujus enim rei causa est hæc Regulis utentis negligentia: Sic quoque CURIUS interpretandus, dum asserit *ex Regulis levia & perniciofa argumenta deduci*, probatque exemplis desumptis ex inconsideratione casuum exceptorum: id enim demonstrat per exempla allata, cum petuntur ex casibus à Jure expressè exceptis. Hinc duò inferuntur: Primum, quòd multum interfit Quæstionis propositæ Decisio; Alterum, quòd cujusvis abusus Regularum cavendi ratio melior nulla sit, quam quæ indicata est in hac observatione, nimirum, ne Regulæ ultrà casus in illis præcipuè comprehensos extendantur, quod necessarium quoque est in usu cujuslibet Axiomatis, Aphorismi, Sententiæ, Legis, aliùsve rei similis. Videtis CANISIUM in *Regulis 6. Præfationem, Chassanei Paratula in Cap. ult. Decretalium, & Cabassutium cap. postremo L. 6. Theoria & Praxis.*

Quæstio ultima, *Quid sentiendum de Commentariis circa Regulas Juris Canonici, quanam aliis præferenda?* LANGLET in *Indice præcipuorum Canonistarum & judicio circa illorum Opera, & Editionum collectionem. n. 10.* meminit decem Commentariorum de Regulis Juris Canonici, præfertque aliis illa, quæ à MUXELLANO, PEKTO, & CANISIO edita sunt. De 1. autem dicit, quòd pro meliori habeatur, quòdque cognosci possit quanti valeat ex eo, quòd CAROLUS MOLINÆUS in illud Notas fecerit. De 2. quòd magni fiat, sed agatur de re, circa quam non multa legenda; De 3. quòd maximo in pretio sit. Initio hujus numeri loquens de Commentario in folio JOAN. BAPT. NICOLAI in Regulas utriusque Juris, notat hæc in re sufficere breviores sed præcisas Notas, quibus Spiritus Regulæ declaretur cum variis casibus in eâ comprehensis. Viam hanc secuti sumus in Collectione, quam damus, quam inchoavimus anno 1700. ideòque 15. annis antè citatum Indicem, qui editus est an. 1715. Exstat autem hic Index ad calcem Tomi *Comment. in Libertates* eo anno typis recuso.

CAPUT IV.

Conciliatio plurimorum Canonum, quorum Alii sunt inter Regulas Juris sub hoc Titulo collectas in fine Collectionis GREGORII IX. & Collectionis BONIFACII VIII. Ceteri verò pro Regulis habentur, cum plurimis Canonibus alterutrius generis, qui illis adversari videntur.

Collectis omnibus Regulis Juris, quæ passim vagantur per Universum Juris Corpus, illis in varias series distributis, additis Exceptionibus earundem, exposito vario, quem exhibere possunt intellectu, probatisque ac firmatis nostris expositionibus, necessarium etiam ad absolvendum perficiendumque hoc Opus duximus illas inter se conferre, atque eas conciliare, quæ speciem aliquam oppositionis gerunt, idque pariter exequi circa plures Regulas post hæc nostram Collectionem detectas, quæ simili conciliatione indigere nobis visæ sunt, nec non illud Argumentum hæc transferre: hæc rejectio nobis facultatem dabit tantum expatiandi quantum occasio postulabit, nec cogemur interrumpere connexionem, quam Regulæ collectæ inter se habent. Secus autem crebris Digressionibus opus fuisset, propter difficultates, quæ solvi nequeunt, nisi multi Canones invicem conferantur, undè Collectio Regularum in prolixum Commentarium desisset, prodissetque quod ab Operis consilio abhorreat, in quo intendimus jungere atque ordinare quod in variis locis Juris dispersum atque permixtum est. Semel enim confectâ Collectione, facilius est annotare quid Regulæ contrarium habeant, sive Regulæ ejusdem seriei invicem, sive Regulæ singularum cum cæteris omnibus conferendo: adeòque necessaria est hæc Collatio, ut alia non suppetat via cognoscendi penitus quousque Canones invicem opponantur; plura hujus rei in decursu hujus Tractatus exempla offendemus.

Licet maxima Pars Regularum Juris Canonici desumpta sit è Jure Civili, ut patet ex laudationibus adjectis, & multò luculentius ex Commentario Canisii in Regulas Sexti, non intendimus Canonicas Regulas cum Civilibus conferre, illasque harum ope exponere: Regulas Canonicas cum Regulis Canonicis tantum conciliare nitimur, nullâ Juris Civiles habitâ ratione, speramusque fore, ut auxilio illo non indigeamus ad componendos (ut aliàs factum fuit) inter se Canones, eamque Methodum aggredi eò magis oportet, quòd Canones, qui suas dispositiones mutuuntur è Legibus Civilibus, eas sæpè temperant, præsertim quoties illud æquitas suadet, quo nihil est justius ubi Autores Canonum utramque Potestatem, Spiritualem ac Temporalem, confociant in Regionibus, ad quarum Regimen illos condunt; exceptis iis casibus temperatio Legum Civilium per Canones nullam vim fortitur absque autoritate Principis, nisi Leges illæ Legi Naturali vel Divinæ adversentur, tum enim Ecclesia declarat tantummodò oportunitatem illam, simulque obligationem Deo potius, quam Homini bus parendi. *C. 20. de Præscript.*

Si hunc casum exemeris; Ratio, quæ Leges Civiles à Canonibus temperari approbat, hoc, si de Rebus merè Temporalibus agatur, improbat, alia quippè non est nisi reddendum esse Deo, quæ Dei sunt & quæ sunt Cæsaris, Cæsari. Porrò hæc Ratio Ecclesiam adstringit ad nihil curandum præter Res Spirituales, quas suscepit, & dimittendas Principi Res Temporales, ad quarum administrationem ipse constitutus est.

Cæterum Regula Juris nos impulit, ut tentaremus eas quæ sibi videntur adversari invicem componere, quæ extat *C. 29. de Elect. in VI. BONIFACIUS VIII.* qui sæpè illam adhibet, supponit; illam esse Principium certissimum, cui constanter inharendum est eamque velut Fundamentum suæ Definitionis proponit, *Cum expediat Jura Juribus concordare*; & quidem Legum Latores, Novarum aut Veterum Compositores, singulariter attendunt, ne aliquid dissonum irrepat, & suam hæc in re vigilantiam prædicant, ut

testan-

testantur *Præfationes JUSTINIANI, GREGORII IX. & BONIFACII VIII.* Plurimi etiam Auctores extrinsecus, & quotidie exurgunt, qui Leges, sive Civiles, sive Ecclesiasticas, conciliare student: Tales sunt generatim Glossatores, atque Interpretes Legum, qui Textui exponendo admoveere satagunt omnes, qui dissidere videntur, suisque Responsionibus tollere nituntur repugnantia objectæ speciem: imò quædam habemus Opera speciatim ad concordiam discordantium Canonum elaborata, ut *Decretum Gratiani*, & quædam ad Leges Legibus conciliandas, sub Titulo Antinomiarum, quæ sunt Legum oppositiones, vel contrarietates.

Igitur, si generatim multum expediat, ut mox probavimus, Jura Juribus concordare, quanti erit momenti conciliatio eorum, quæ præcipuum in Jure dignitatem sibi vindicant, Regularum scilicet, quæ ejus sunt, ut ita dicam, Principia vel insigniores Consecutiones.

Nos veritatis hujus probè conscios, simulque fidenter sperantes auxilium ejus, qui nostri laboris finis est & columen, Nos, inquam, à proposito neque Operis magnitudo, neque infelicis exitus periculum, aut timor nequaquam avocant.

SECTIO I.

Utrum effectus vulgaris Legis Prohibitivæ sit, irritum facere actum sibi contrarium.

EXordium faciemus à Regulis hanc Quæstionem spectantibus, quibus digniores nullas novimus, quarum oppositio tolli debeat, atque ad concordiam adduci. Illæ quippè pertinent ad Leges prohibitivas numero infinitas, atque earum dissonantia manifesta apparet.

Ea autem dissonantia duplex est; Prior in eo constat, quòd juxta Regulam 64. de R. J. in VI. *Quæ contra jus sunt, pro infectis utique haberi debent*, porro, hæc elocutio disertè significat nullitatem ipso facto, quia simillima est huic, *pro Suspendis, pro Excommunicatis haberi debent*, quæ, ut probatum fuit in Tractatu de Censuris, una est earum, quæ denotant Censuram ipso facto incurrendam.

Juxta hanc Regulam. C. 2. de Testib. & attest. conceptis verbis definit, ea quæ contra Leges fiunt, nullam vim habere, *Necessè est, ut quod contra Legem cautum est, non habeat firmitatem*: Caput hoc desumptum est à Sancto Gregorio, qui loquitur de testimoniis dictis adversus dispositionem Novellæ, quæ nullitatis pœnam disertè non sancit; at nihilominus asserit Gregorius, nullas esse attestaciones ejusmodi, illudque ex eo conficit, quòd, prohibente Lege, dictæ sunt.

Ex adverso C. 10. DIST. X. à JOANNE VIII. desumptus docet, illud, quod contra Leges fit, irritum non esse, sed dignum esse, quod rescindatur, *Quod contra Leges accipitur, per Leges dissolvi meretur*: quod congruit Regulæ, *Qui concessã abutitur potestate, illam meretur amittere*.

Ejusdem sunt conditionis illi Textus, atque ii, qui nonnullos Actus aut Contractus rescissioni obnoxios reddunt, qui annotati & collecti fuere in *Tractatu de Contractibus*, idemque obtinere debent, atque illi qui Censuras minantur, jubendo, ut illis feriantur quorundam facinorum Rei, (*plures laudati sunt in Tractatu de Censuris*) sicut enim Actus valent, donec rescindantur, ita Facinora impunita sunt, donec Judex Censuram in Reos tulerit.

Posterior discordantia est inter Textus jam laudatos ex una parte, & Regulam Cap. 16. de Regularib. *laudatam* ex alterâ, scilicet *Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obviunt firmitatem*. INNOCENTIUS III. hanc Regulam adhibet ad Professionem Religiosam absque probatione annuâ emissam, undè, quoniam Concilium Tridentinum ejusmodi Professionem nullam

esse voluit, prohibitioni suæ pœnam nullitatis adjecit, C. 15. Sess. XXV. de Regular. eaque agendi ratione infinuavit, Legem prohibitivam non importare nullitatem Actuum sibi contrariorum, nisi pœna nullitatis disertè sanciat.

Qui conferet hanc Regulam cum laudatis supra Regulis, fatebitur, hanc illis videri è Diametro oppositam: posterior enim significat, multos esse Casus, in quibus Actus prohibente Lege confecti, neque irriti sunt, neque rescissioni obnoxii; superiores autem liquidò affirmant, illos Actus esse nullos, vel rescissione dignos.

Actuum variorum plurimæ species in Corpore Juris occurrunt, quorum alii sunt irriti, quia Legibus adversantur; alii, non obstante illa oppositione, stabiles sunt; utriusque casus Argumenta exhibita sunt in *Tractatu de Matrimonio*: ibi commemoravimus Leges Prohibitivas, quæ irritas faciunt Nuptias, in quibus negliguntur, atque impedimenta inde orta ideò vocantur dirimentia: plures etiam aibi attigimus Prohibitivas Leges, quarum violatio Matrimonium illicitum reddit tantum, & quæ vocantur impedimenta merè prohibitiva; denominatio, quæ ostendit, saltem circa Matrimonium, Legem prohibitivam irritantem non esse, nisi pœnam nullitatis adjiciat prohibitioni. Similes exhibuimus probationes in *Tractatu de Beneficiis*, ubi plures attulimus species casuum, in quibus Provisiones nullæ sunt, atque aliorum, in quibus illicitæ sunt tantum, sive per Præsentationem & Institutionem, sive per Electionem, sive per Collationem perfectæ fuerint. *Tractatus etiam de Sacramentis*, plures ejusmodi casus suppeditat, nam multos casus exposuimus, in quibus nulla ea sunt, itemque multos, in quibus illicitè dumtaxat conferuntur. Similes habentur in *Tractatibus de Contractibus, de Judiciis*, ubi observavimus, non omnium Solemnitatum, à Jure requisitarum in Contractibus, omissionem esse irritantem; sed, nonnullis hunc effectum parientibus, reliquis hoc effectu carere, sed, si neglectæ fuerint, Actus illicitos tantum facere. Quod diximus de Contractuum Solemnitatibus, ad Solemnitates Judiciorum producendum est, quarum alia si negligantur, irritum fit judicium; cæteræ autem ad Judicii validitatem non requiruntur, sed ad pleniorum Actuum securitatem.

TRACTATUS de Votis, sive Religionis, sive Vulgaribus, similes continet probationes, sicut *Tractatus de Jurejurando Decalogi expositioni insertus*: Nam v. g. omnes illi Actus, aut Contractus, aut Sacramenta, vel Vota, vel Juramenta è malâ intentione procedunt, sunt illicita, nec tamen nulla. Idem dicendum est de *Tractatu, de Vi, Metu aut Seductione*, ubi annotavimus sex esse Actuum species ob aliquod ex illis vitium irritas, cæteras esse solum rescissioni obnoxias: Item ibi egimus de Simonia, casus observavimus, in quibus Actus propter Simoniam irriti sunt, & nonnullos, in quibus sunt tantum illiciti.

Inter tot ac tam varias Actuum species, qui illiciti sunt, nec tamen irriti, nullus est, qui Legi cuidam Prohibitivæ non adversetur, ideò enim sunt illiciti, quia prohibiti. Plurimum igitur abest, ut mera prohibitio Actuum, eos irritos faciat, quibus violatur; quin sequitur, nullitatem, eorum qui sunt irriti, aliundè proficisci, quàm ex merâ prohibitione, omnes enim sunt vetiti, sed undè oritur? Aliam non agnoscimus causam, quàm elocutionem, quæ nullitatem, aut per se ipsam importat, aut ex Consuetudine inducit.

Tùm Locutio per se ipsam nullitatem importat, cum nullitatem Actus disertè declarat, v. g. hæc, *Quod secus factum fuerit, irritum esto, vel pro nullo habeatur, aut vi careat, vel stabilitate*. Tunc verò Locutio nullitatem ex Consuetudine inducit, cum solitum est eam instar priorum intelligi: sic intelliguntur hæc verba, *non possit, directa ad Personam, cui actus interdicitur, v. g. nubere, donare, testari, non possit*. Sic etiam intelliguntur illa, *confiteri non potest*: in prohibitione actus adhibita, cujus luculentum exemplum habemus in Cap. 1. de Sent. & Re Judic. quod dicit *Sententiam adver*

adversus Leges, aut Canones latam consistere non posse, & in Lege 2. ff. de Ritu Nupt. Nuptiæ consistere nonpossunt, nisi consentiant: &c. Eundem etiam intellectum habere debent verba, quæ circumscribunt potestatem agendi; argumento est *Can. 3. de Panit. in VI.* Voluntas igitur Legislatoris, per verba congrua perspicue declarata, est causa, quæ Actus à Lege prohibitos irritos, facit, non prohibitio mera.

Itaque ad conciliandas laudatas superius Regulas, quarum alix docent id, quod fit contra Legem, pro infecto habendum esse, alix verò docent plures Actus consistere, non obstante quæ eos prohibet Lege; Intelligentæ sunt hæc de Lege, cujus verba nullitatem non sapiunt, illæ autem de Lege, cujus verba nullitatem important, vel expressis verbis, vel æquipollentibus.

Adversus hanc interpretationem *Objici* non potest, nisi Regulas, quæ pro infectis habent ea, quæ sunt contra Leges, verbis generalibus uti, atque distinguendum non esse quod Lex non distinguit, aut excipiendum quod non excipit; *Sed Respondemus*, ut distinctioni, vel exceptioni locus sit, non requiri, ut sit in Lege, quæ prohibet, sed satis, si reperiatur in aliis Legibus, quia Univerfum Juris Corpus, velut Lex, spectandum est, undè nata est hæc formula, Lex sive Jus hoc præcipit, sive hoc vetat. Itaque sensus hujus Adagii, non esse distinguendum, ubi Lex non distinguit, aut non excipiendum, ubi non excipit, est, nullam distinctionem sive exceptionem admittendam esse, quæ non innitatur alicui eorum Legum ex quibus coalescit Lex seu Corpus Legum, ac probabile est ideò in *R. 64. de R. J. in VI.* usurpari verbum generale, *Jus*, prout significat *Corpus Juris*, ut in his locutionibus de *Jure non subsistit, Jure cautum, casibus in Jure expressis* vel à *Jure permissis*.

Sic intelligendum est quod legitur *Can. 2. XXXV. Quæst. VI. & Cap. 3. Qui Matrimonium accusare possunt, Quod contra interdictum & ordinem Ecclesiæ factum est, ratum non haberi, tamquam inordinatum tam Divina quam Humane Legis auctoritas proclamat*, illud esset falsum & erroneum, quia circa Matrimonium, de quo illic agitur, plures sunt Ecclesiæ prohibitiones, quæ sibi contrarios Actus non faciunt irritos.

Quod de nullitate ipsius Facti diximus, producendum est ad nullitatem Sententiæ ferendæ, quæ locum habere non debet, nisi in casibus expressis, sic intelligendus est *Canon 10. Dist. X.* Idem debet esse judicium de penâ nullitatis, ac de cæteris, quibus non est locus nisi in casibus discretè conceptis, atque eo, quo concipiuntur, modo, scilicet ipso Facto, vel per Sententiam Judicis, ut probatum fusiùs fuit in *Traçtatu de Censuris*, ubi congesimus omnes Casus Censuræ à Jure expressos, & discevimus eos, in quibus ipso Facto incurritur, ab iis, in quibus Censuræ sunt ferendæ tantùm vi Sententiæ. Quod autem dicitur de hoc genere pœnarum, ad cæteras est producendum propter eandem rationem, scilicet odium pœnarum, quod non secus ac reliqua odia restringendum est, & proindè illæ non sunt admittendæ nisi in Casibus, in quibus Legislator manifestam voluntatem suam fecit.

Frustrâ *Objiceretur*, nullum fore effectum Legis merè prohibitiæ, si Actum sibi contrarium irritum non faciat, ac proindè illam esse inutilem: quoniam duplex est effectus illius Legis; Prior est adstringere Subditos ad non faciendum id, quod vetat, Posterior est Contemptores obnoxios facere pœnæ, quæ ferri debet à Magistratu ad vindictam contumeliarum Legibus inustarum præposito: atque ob hanc rationem, Leges merè affirmatiæ neque effectu neque utilitate carent. Prior Legum effectus est obligatio; Posterior est subiectio pœnæ, quæ ex neglectâ obligatione nascitur, quia pœnam merentur, qui suum non implent Officium.

Quod hucusque diximus ad probandum prohibi-

tionem actuum eos non facere irritos, confirmari potest observatione satis congruâ atque obviâ; scilicet, si Lex merè prohibitiua irritos faceret Actus contrarios, inutile fuisset adicere nullitatem pluribus Legibus prohibitiuis, sicut inutile esset jungere Censuram quibusdam Legibus Ecclesiasticis, si omnes Leges Censuræ subicerent eo ipso, quod sunt Leges Ecclesiasticae. Sanè dici nequit, ideò nullitatem adjectam esse quibusdam Legibus prohibitiuis, ad monendum, illas hanc vim ab ipsâ prohibitionem fortiri; nam si fuisset mens Legislatoris indicare effectum Legis prohibitiuæ per oppositionem nullitatis in quibusdam Legibus, illam dilucide aperire debuisset, ne ad contrariam Sententiam moveret, quòd illa nullitas abest à quibusdam Legibus Negatiuis.

Adjiciendi sunt ad Canones laudatos occasione *Reg. 64. in VI. C. 1. de Sent. & Re Judic. & Can. 12. CAUS. XXV. QUÆST. II.*

SECTIO II.

Utrum nullus sit Casus, in quo Juris Ignorantia excusationem afferat, & Ignorantia Facti non afferat?

Regula 13. de *R. J. in VI.* collata cum *Cap. 9. de Cler. Excomm. minist. Cap. 2. de Constitut. in VI. C. 40. de Prab. C. 9. de Procuratoribus in VI.* Quæstioni propositæ locum fecit, sic enim concipitur, *Ignorantia Facti, non Juris excusat.* Generalis est absque ullâ restrictione, aut exceptione hæc Regula.

C. 2. de Const. in VI. incipit ex 2. parte Regulæ, casum quo Subditi præter suam voluntatem ignorant præcepta Superiorum; Equidem BONIFACIUS VIII. hanc exceptionem proponit quasi dispensatiuè, ut *Animarum periculis obvietur, Sententiis per quorumcumque Ordinariorum Statuta prolatis ligari nolumus Ignorantes, dum tamen eorum ignorantia non sit crassa aut supina.* Sed verisimile est, Pontificem scripsisse *nolumus*, pro *declaramus*, declaramus, Subditos non teneri Statutis Ordinariorum, quæ præter suam voluntatem ignoraverunt: ille enim Pontifex peritior erat, ut nescierit, ignorantiam invincibilem excusare à Jure Positivo, atque illam, quæ est præter voluntatem, esse invincibilem, & proindè eos, qui in hac ignorantia jacent, non indigere, ut dispensetur cum eis à Lege, quæ eos non adstringit.

C. 9. de Clero Excomm. minist. de Ignorantia Facti agens declarat, illam non excusare, nisi sit involuntaria: definit, illos, qui Sacra Munera obeunt non ultrò ignorantes se esse suspensos, non cadere in Irregularitatem, quam subirent, si voluntaria esset eorum ignorantia, ut significant hæc verba *crassa & supina*, vel si sit *Conscientia Erronea*; quod intelligendum est de errore spontaneo seu vincibili.

Posteriora duo Capita VI. quæ laudata sunt agunt de quibusdam Factis, quorum ignorantia non prodest, licet invincibilis sit; *Prius* est illud quo datis successivè ad idem Beneficium duabus Gratiis Expectatiuis, Pontifex priorem revocavit, vel posteriori inseruit Clausulam *Antefferri* cum Decreto irritante, inscio Expectante, atque Ordinario; Nihilominus Collatio priori Mandatario facta, nulla est, quamvis ille atque Ordinarius Facta ignoraverint: atque hoc est enorme Privilegium Expectatiuarum quæ erant ejusdem generis. *Posterior* spectat ad Procuratorem specialem constitutum ad in eundem Matrimonium, qui illud ex personâ Constituentis celebrat, revocata jam procuratione, Matrimonium est nullum, etsi revocatio à Procuratore ignorata fuerit.

Illam est oppositio, quæ tolli debet. Regula eversa videtur per Textus, quibuscum collata fuit, qui demonstrant casus, in quibus Ignorantia Facti non prodest, & alios, in quibus Ignorantia Juris excusat: Regula autem generaliter definit, hanc non excusare, sed illam: Sed facile conciliantur Canones dicendo, casus laudatos esse exceptiones Regulæ, illique in cæteris esse locum, quod sufficit ad illam restaurandam, cum vix aliqua sit absque exceptione Regula.

Glossa in Cap. 2. de Const. in VI. quod mox laudavimus, innitens eo, quod ibi agitur de Statutis Ordinariorum, quæ Jus peculiare uniuscujusque Dioceseos continent, de Jure singulari intelligit, quod ibi dicitur, Ignorantiam non voluntariam excusare ab illo Jure; atque inde concludit, aliud obtinere circa Decreta Juris Communis, quod extrâ culpam ignorari posse à nemine contendit. Satis accurata non videtur hæc consequentia; nam, si fieri potest, ut Diocesanus invincibiliter ignoret Statuta suæ Dioceseos Jure Communi longè breviora, quidni fiet, ut eodem modo ignoret aliquam partem Juris Communis tam longè latèque diffusi? Sanè Ignorantia Juris Communis ex iisdem causis nasci potest, atque Ignorantia Juris singularis, scilicet ex educatione in Regionibus illius Juris insolentibus, ex morbis diuturnis, qui obstant eruditioni, ex assiduis occupationibus, quæ prælectionibus, id est promulgationi Legum, tum Generalium, tum Specialium, interesse non sinunt.

Silemus de Reg. 14. *ibid.* declarante Successorem in jus alienum censi ignorari, ac merito rerum à Prædecessore gestarum, quia non est opposita Reg. XIII. de quâ agimus. Sufficit observare illam præbere exemplum, in quo excusat Ignorantia Facti, & sic confirmare Primam Partem Reg. XIII.

Quod attinet ad exceptiones petitas è Cap. 9. de Cler. Excomm. ministr. & ex C. 2. de Constitut. in VI. illæ subintelliguntur in Regulâ. Hinc enim Ignorantia Factorum injusta non excusat à peccato, spontanea autem Ignorantia injusta est, quoties de rebus scitu necessariis agitur, inde Ignorantia Juris non voluntaria caret culpâ, atque à peccato excusat.

Quoad Cap. 9. de Procur. in VI. necessaria fuit illa definitio, ut occurreretur consecutionibus acerbius Nuptiarum perfecti consensû expertium.

Denique postrema Regula ex Cap. 40. de Præb. in VI. fundatur in plenitudine Potestatis, quâ in rebus Beneficialibus tunc fruebantur Pontifices, quæ plenitudini Justitiæ non satis cohæret. Caput illud est BONIFACII VIII. exeunte Saeculo XIII.

Ignorantia Juris nasci potest ex obscuritate aut ambiguitate Legis, in cujus expositione dissident Interpretes, itâ ut genuinus sensus invincibiliter ignoretur: ejusmodi Lex, cum careat perspicuitate, quæ legitur essentialis esse, obligatoria esse non videtur. V. FAGNANUM Cap. 13. de Constit. n. 34.

SECTIO III.

Utrum Præsules, qui jus condendi Leges habent, reneantur observare, atque observari curare, Leges suorum Prædecessorum, cum eas consistere Ecclesie utilitas postulat.

Regula, *Par in Parem non habet imperium*, Præsules ab hoc vinculo solvere videtur. C. 20. de Elect. eadem est species hujus, Prædecessor Successoribus præjudicium asserre non potest, pari imò eadem potestate functuris, *ibid.* nam ad astringendas personas necessaria est autoritas in ipsas & nulla ligatur, quin ei fiat præjudicium.

Aliundè Ratio Legis est superior tum ejus Conditori, tum ejus Successoribus; ipsa enim est Leges sancienda Causa; undè Can. 2. DIST. IX. S. 151.

DORUS dicit, Legislatores agnoscere debere semetipsos teneri ad observandas Leges, quas tulere, atque in animum inducere se, nisi eas observent, significaturos, eas non sibi videri æquas, aut contemptui eas suo objecturos exemplo. Ratio autem Legis est utilitas communis juxta Can. 2. DIST. IV. in quo idem Autor, enumeratâ inter condiciones Legis utilitate, docet eam non esse privatam ipsius Conditoris, sed communem Civium utilitatem: *Nullo privato commodo, sed pro communi Civium autoritate conscripta.* Id ipsum supponit INNOCENTIUS IV. C. 2. de Privileg. in VI. dum affert rationem Legis, quam condit, *Ad commune commodum & profectum aliorum intendentes.* Itaque quamdiu Publica utilitas requirit, ut vigeat Lex, non licet Successori eam antiquare, vel eam ipse non observando, sed à cæteris impunè violari sinendo.

Indè proficiscitur illud S. LEONIS. C. 3. CAUS. XXV. QUÆST. I. *Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nulla commutatione varientur, nec ad privatam trahantur commodum, quæ sunt ad bonum commune profixa:* Hæc Sententia supponit Legem tamdiu vigere debere, quamdiu aliquid ad publicam utilitatem confert. De his Legibus intelligendus est Can. 1. *ibid.* in quo dicit *Gelasius* Sedem Primam præ cæteris exequi debere uniuscujusque Synodi Constitutum, quod Universalis Ecclesie probavit assensus.

Idem sit judicium de Can. 7. *ibid.* in quo dicit *Zozimus* autoritatem Sedis Apostolicæ nihil contrâ Statuta Patrum condere posse, aliquid-ve immutare, atque apud se inconvulsis radicibus vivere Antiquitatem, cui Decreta Patrum sanxere reverentiam. Non secus est de omnibus Canonibus, qui Decreta Sedis Apostolicæ, Divinis Constitutionibus consociando, dicunt illa temerare fas non esse; Can. 4. *ibid.*

Perindè est de his S. GREGORII verbis, *Justitiæ ac Rationis ordo suadet, ut qui sua à Successoribus cupit Mandata servari, Decefforis sui procul dubio voluntatem ac Decreta custodiat.* C. 15. *ibid.*

Sic etiam intelligendi sunt Can. 2. & 5. CAUS. XXV. QUÆST. II. in quibus ait S. LEO *Ad suum tendere reatum, si Paternarum Regula Sanctionum juxta Privilegia ac Jura Ecclesiarum, se consentiente vel negligente, violentur.*

Idem sit de Can. 7. *ibid.* in quo docet S. GREGORIUS, *Institutionis Pontificalis Decreta perpetuâ stabilitate & sine aliquâ refragatione esse servanda, nimisque asperum esse & præcipue bonis Sacerdotum moribus inimicum niti quempiam quæ bene sunt ordinata rescindere, & Exemplo suo docere cæteros sua quandòque post se Constituta dissolvere:* Perindè est de Can. 10. & 12. *ibid.* *Sibi se injuriam facere, si Majorum Statuta infringeret, atque Ecclesiasticæ moderationi esse omnino conveniens, quæ ordinata fuerint vel rationabiliter decisa, nullâ in posterum refragatione turbari.*

Denique idem Pontifex exponit quod dictum est de obligatione Successorum ad servanda tum per se, tum per cæteros, Decefforum Decreta Can. 19. *ibid.* distinguendo justâ & utilia ab iniquis & inutilibus; *Decefforum Statuta, sicut legitima & justa Successorem custodire convenit, itâ debet etiam malè facta corrigere.*

Quamdiu durat communis utilitas, justæ sunt Constitutiones; si exoleverit, exolecit pariter æquitas Constitutionum; juxta C. 1. de R. J. *Per quascumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur:* propter commune bonum justæ sunt Leges, igitur oppositâ viâ fiunt injustæ. V. GONZALEM in hanc Regulam, ubi multa affert exempla, quæ hanc nostram accommodationem confirmant, scilicet rem aliquam per rem contrariam destrui.

Quamdiu igitur viget utilitas Legum à Decefforibus latarum, tandiù eas custodire teneantur Successores, atque observandas curare; quamvis eorum Majores nullam habuerint in eos autoritatem: illa enim obligatio non oritur ex autoritate Decefforis in Successorem, verùm ex autoritate rationis Legum justarum

justarum, quæ astringit omnes, qui ad condendas Leges sunt præpositi, eosque cogit ad eas conservandas, quæ jam conditæ sunt, modò commune bonum requirât, ut vigeant illæ, sicut jubet, ut illæ, rebus in contrarium versis, antiquentur; Dignitas cum oneribus suis, perindè ac cum suis honoribus in Successorem transit. *Rationi congruit, ut succedat in onere, qui substituitur in honore R. 77. de R. J. in VI. quæ innititur R. 55. Qui sentit onus sentire debet commodum, & è contrâ.*

Regulæ duæ ex C. 20. de Elect. desumptæ, non spectant ad obligationem servandarum Decessoris Legum, & curandi ut serventur; verùm ad facultatem dispensandi ab eis, ut indicat id, quod immediatè antecedit, scilicet *Per Constitutionem factam à Prædecessore non admittitur Successori dispensandi facultas.* Regulæ sequentes sunt rationes illius Definitionis, & justæ sunt; nam Successor non potest, nisi à Superiori spoliari dispensandi facultate, quæ suæ Dignitati cohaeret, in cuius jura omnia succedit, sicut in ipsammet Dignitatem.

Itaque Regulæ illæ non adversantur Canonibus, quibuscum collatæ sunt, nam hi hætenùs probant, Successorem teneri ad exequendum, atque servari curandum Leges Majorum, quamdiù id commune bonum postulat, atque necessitatem hanc esse unum ex oneribus Dignitatis in quæ succedit, sicut in ipsam Dignitatem. Regulæ autem, quæ oppositionem redolebant, non agunt nisi de facultate dispensandi, quâ Successor spoliari nequit, nisi per auctoritatem suæ antecessentem.

Hic discutendi non est locus, utrùm dispensandi facultas Episcopis adempta fuerit per reservationem ad Pontificem, atque an C. 4. de Consec. Præb. hanc reservationem probet per hæc verba INNOCENTII III. ejus Dignitatem commendantia, *Qui secundum plenitudinem Potestatis de Jure possumus supra Jus dispensare?* Sufficiet remittere ad Regulæ circa facultatem dispensandi insertas *Tractatui de Jurisdictione Ecclesiasticâ*, atque hic obiter observare, 1. ibi agi de prohibitione promittendi vel conferendi Beneficia antè vacationem, quæ tanti est momenti, ut necessaria sit ad dispensandum plenitudo Potestatis, ac proindè nihil indè concludi posse ad reliquas Dispensationes.

2. Ultramontanos ex his verbis, *suprà Jus dispensare*, elicere, Pontificem esse Juri Positivo Superiorem, atque cum hac Prærogativâ solus fruatur, eum solùm posse dispensare, prout voluerit, circa Beneficia, quorum ipse Dominus est: verùm Illi prævè utuntur verbo *suprà* illic apposito pro *circâ*, quia Pontifex nihil aliud dicere studet, nisi sibi dari jus facultatem dispensandi à Jure etiam in gravioribus casibus.

3. Prætenfam illam Superioritatem in Jus annihilari per Decreta Pontificum mox laudata, qui se subditos agnoscent Canonibus conditis, sive à suis in Sede Apostolicâ Majoribus, sive ab Autoribus Synodis.

4. Probatum fuisse Pontificem, ubi conferebatur cum Ecclesiâ Universali & Conciliis Generalibus, Pontificem, inquam, ipsis esse subditum, ac proindè Decretis ex eorum Auctoritate prodeuntibus. *V. Tract. de Pontif.*

SECTIO IV.

Quâ Ratione conciliandi sunt Textus, qui Jus Canonicum cum Divino Jure confundunt, atque illi, qui utrumque dilucide fecernunt.

Prioris generis Textus sunt 1. II, qui loquentes de Constitutione Studiorum Juris Divini & Juris Humani Romæ, declarant per Jus Divinum designari Jus Canonicum & Jus Civile per Jus Humanum. *Tom. I.*

num. Talis est C. 2. de Privil. in VI. *Providemus quòd ibidem de cetero regatur & vigeat Studium Juris Divini & Humani*, Canonici videlicet & Civilis.

2. Illi, qui Canones Spiritui Sancto, perindè ac Sacram Scripturam adscribunt; Tales sunt præ cæteris C. 5. CAUS. XXV. QUÆST. I. qui asserit Violatores Canonum blasphemare Spiritum Sanctum, cujus nutu & gratiâ Sancti Canones editi sunt: & C. 5. CAUS. XXV. QUÆST. II. in quo S. LEO de Nicænis Canonibus agens, eos Spiritu Dei conditos nuncupat. *Secundùm SS. Patrum Canones Spiritu Dei conditos*: Tales sunt Canones Conciliorum, quæ se in Spiritu Sancto congregata esse asserunt, ut Constantiense, Basileense, Tridentinum.

3. Illi, qui Quatuor priores Synodos Generales, atque eadem viæ cæteras Oecumenicas adaquant Sancto Evangelio C. 2. DIST. XV. in quo dicit S. GREGORIUS, se sicut Sancti Evangelii Quatuor Libros, sic Quatuor Concilia suscipere ac venerari.

4. Illi, qui Leges Canonicas inter Leges Divinas collocant, ut *sex priores Can. DIST. X. à Gratiano laudati*, ut probet Constitutiones Principum obsequi Constitutionibus Ecclesiasticis. Primus desumptus à NICOLAO I. Legem Divinam inter Constitutiones Ecclesiasticas complectitur; nam, ut probet Lege Imperatorum non in omnibus Ecclesiasticis controversiis utendum esse, dicit, *cas Evangelicæ ac Canonice Sanctioni aliquoties obviare*: Item, *Legem Imperatorum non esse supra Legem Dei, sed subius*; atque *Imperiali Judicio non posse Ecclesiastica Jura dissolvitum* laudat duo testimonia suorum Prædecessorum, qui Legibus Imperialibus Ecclesiasticas Leges anteposuerunt, primum est INNOCENTII I. qui dicit, *Divisis Imperiali Judicio Provinciis, ut Duæ Metropoles fiant, Ecclesiam Dei non commutare Honores, aut Divisiones perpetui*: alterum est à GREGORIO, Si, inquit, *Religionis causâ Conjugia debere dissolvi dicantur, sciendum est, quia, etsi hoc Lex Humana concessit, Lex tamen Divina prohibuit*: Denique sic concludit NICOLAUS: *Eccle. quemadmodum Imperiali Judicio non possunt Ecclesiastica Jura dissolvi, sed qualiter quod Lex Humana constituit, Lex Divina prohibuit.* Porro prohibitio dividendi Metropolim Ecclesiasticam, quandò Princeps Provinciam in duas dividit, est Constitutio merè Ecclesiastica aut Canonica; altera, quâ Religionis causâ dissolvi Matrimonium consummatum prohibetur, est Divina & Canonica simul; Canon ille desumptus est ex *Epistola ad Episcopos secus Convicinum congregatos directâ.*

In 2. Canone SYMMACHUS in VI. Synodo Romanâ, regnante THEODORICO dicit, *Non licet Imperatori . . . aliquid contrâ Divina Mandata præsumere, nec quidquam, quod Evangelicis, Prophetiis, aut Apostolicis Regulis obviet, agere.* Consilium GRATIANI postulat, ut illæ Regulæ inter Leges Canonicas habeantur.

In 3. Canone FELIX multis modis declarat in *Causis Dei* (seu Causis Ecclesiasticis) Regiam voluntatem Sacerdotibus Christi subdendam esse, non præferendam. *Et. Ne, dum mensura Cælestis Dispositionis exceditur, eatur in contumeliam Disponentis.*

Canon 4. asserit Constitutiones contrâ Canones & Decreta Præfulum Romanorum, vel Bonos Mores, nullius esse momenti.

Canone 5. laudatus jam NICOLAUS ad MICHAËLEM scribens dicit, *Imperium vestrum suis Publica Reî quotidianis administrationibus debet esse contentum, non usurpare quæ Sacerdotibus Dei solùm conveniunt.*

Canone 6. S. GREGORIUS Nazianzenus Tribunalibus Ecclesiasticis Sæcularia conferens dicit, *Hæc tantùm ab illis superari, quantum Spiritu Caro, Cælestibus Terræna, Divinis Humana.*

His Canonibus addendus Can. 4. DIST. XXV. QUÆST. I. in quo significat HILARIUS Papa, se sibi tantùm

tantum videri ad servanda Sedis Apostolicæ Decreta, quantum ad Divinas Constitutiones adstrictum, & Can. 2. DIST. XII. qui dicit, *Canones consuetudini prævalere*. Quod est una è Juris Divini prærogativis; idem fert C. 2. DIST. XI.

Atque illi sunt Textus, qui Jus Canonicum cum Jure Divino permiscere videntur; Hi autem utrumque egregie fecerunt.

Tales sunt, 1. Omnes, qui docent, Canones antiquari posse per contrariam Consuetudinem; id expresse asserit. C. 11. de *Consuet.* Illud elicitur ex omnibus Canonibus, qui de Canonicâ Præscriptione loquuntur, quorum præcipui sunt in CAUS. XVI. QUÆST. III. & IV. quæ spectat ad Definitiones Canonum, quibus his Canonibus derogatur.

2. Illi, qui docent in Scripturis Sacris, quæ Jus Divinum continent, nihil exhiberi, quod iniquum aut non verum sit, secus esse autem de Scriptis Patrum, è quibus multi Canones eruti sunt; & de quibuscumque privatis Scriptis concepta sunt S. Augustini verba. C. 3. 4. 5. 6. 7. 8. 9. 10. DIST. IX.

3. Illi, qui significant, Legem Divinam esse immutabilem, atque dispensationi non subditam, Leges autem Canonicas esse mutationi ac dispensationi obnoxias. v. DIST. IV. V. VI. IX. XI. XII. Quod enim ibi dicitur de Consuetudine, potest accommodari Legibus merè Canonicis, quoniam de Consuetudine Ecclesiasticâ potest intelligi, quæ habet vim Legis Canonicæ, sicut Consuetudines inutiles, aut Juri Naturali vel Divino adversantes, servari non debent, sed utrique cedere, ita & Leges inutiles, vel contrariæ Bonis Moribus, Rationi, Veritati, quæ verba sunt Juri Divino vel Naturali synonyma: Multi Canones collecti sunt in *Tractatu de Constitutionibus*, qui ostendunt, Constitutiones Ecclesiasticas esse mutationi obnoxias, & multi in *Tractatu de Dispensationibus*, qui ostendunt, in illis esse dispensationi locum.

4. Illi, qui ostendunt Legem Divinam esse ubique eandem, secus esse de Canonibus, qui varii sunt pro variis Temporibus, & Locis, in *toto Jure passim*.

5. Illi, qui infideles Legibus Divinis subjiciunt, atque eos à Legibus Canonicis immunes declarant. C. 4. de *Consang.* C. 8. de *Divort.*

Atque hi sunt præcipui Textus posterioris generis cum Superioribus componendi. Quod facile fiet, si meminimus eorum, quæ dicta sunt initio Prolegomenorum, scilicet esse Canones, qui Divini Juris circa Fidem aut Mores executionem curant: illi autem ad Jus Divinum, quod interpretantur, aut promulgant, aut jubent servari, pertinent; quæ dignitas præcipue convenit Canonibus Conciliorum Generalium, quorum Definitiones Juris Divini prærogativas fortiuntur, cum sint infallibiles, immutabiles, atque dispensationem excludant: Horum Canonum ratione, Jus Canonicum, vocatur Jus Divinum in 1. Textu, laudatur & confunditur eum eodem Jure in cæteris Textibus prioris generis.

Cæteri Canones Divino Juri adjiciunt, quasdam Institutiones ad Disciplinam pertinentes, quarum infinitus est numerus. De his Canonibus intelligendi sunt Textus, qui distinguunt Jus Canonicum à Jure Divino.

Æquissima est autem illa distinctio; nam Jus Canonicum sic spectatum, omnibus Humani Juris vitis est obnoxium; nec refert de Canonibus generatim dici, illos esse à Spiritu Sancto conditos; hoc enim idè dicitur, quia sunt ut plurimum Canones in Comitibus, quibus ejus auxilium majus aut minus pro eorum ratione promissum fuit: undè oritur discrimen inductum inter Definitiones Conciliorum Generalium debito modo coactorum, atque habitorum, & cæteros Canones, Prioribus infallibilitatem adscribens. Auxilia Spiritus Sancti, prout opus est, dividuntur, eo autem majori in Conciliis opus est, quo gravior est Canonum Materies. Hæc ope, quota quanta sit, Canones reverentiam merentur, sed illi, qui merè Dis-

ciplinam spectant, non sunt evecti supra Legum Humanarum conditionem, sed varii sunt pro variâ Personarum, Temporum, & Locorum ratione, ac pro variâ eorum, quibus constituuntur, indigentia variabiles.

Secundùm opinionem eorum, qui putant reservationem Casuarum Majorum pertinere ad Pontificem ex Institutione Divinâ, sicut ejus Primatum, inter Canones Juri Divino pares adscribendi sunt illi, qui de hac reservatione agunt: hoc sensu INNOCENTIUS III. C. 2. de *Translat.* dicit ex Institutione Divinâ, non ex Humanâ Constitutione, Spiritualis Conjugii Episcopi cum Ecclesiâ dissolutionem per translationem, demissionem, aut depositionem, Sedi Apostolicæ reservari. Putavit enim, nonnullos Canones, qui Pontifici adscribunt facultatem hujus dissolutionis, eam spectavisse velut consecutionem ejus Divini Primatus. FAGNANUS in C. 8. de *Consang.* n. 13. alios asserit Textus ad probandum, Jus Canonicum, Divinum vocari, & Juris Divini nomine comprehendendi.

SECTIO V.

Utrum sit aliqua species Actûs, qui, cum nullus esset initio; tractu temporis possit convalescere: vel qui validus initio, per subsequens factum invalidus fiat: Denique utrum CAP. XII. de Regular. probet alterutram conciliationem ejus Textûs cum R. XVIII. & LXXIII. de REG. JUR. in VI.

PRimum distinguendi sunt Actus nulli, ab Actibus annullabilibus.

Actus nulli, sunt ii, qui prorsus effectu carent, putâ Actus Absoluti sine legitimâ potestate confecti, vel omisis solemnitatibus essentialibus v. g. Actus Collationis & Præsentationis ab iis facti, qui nec titulo, nec possessione, nec quasi possessione jvantur; Actus celebrationis Matrimonii sine Testibus requisitis, atque ab alio, quàm legitimo Ministro.

Actus annullabiles, sunt ii, quorum effectus pendulus est, partim ob defectum consensus alicujus personæ, & qui rati sunt aut irriti per factum posterius: Rati, si gravatæ Partes non querantur intrâ legitimum tempus. Irriti, si Partes læsæ querantur. Tales sunt Electiones, ad quas aliqui Electores non sunt vocati, quæ effectu carent, si eorum aliquis, queratur intrâ tres menses ad Electionem datos, & vim fortiuntur, si nemo intrâ illud tempus queratur. Tales sunt Collationes ab Ordinario factæ in præjudicium Patroni, vel Collatoris Inferioris; nam si hi non querantur intrâ sex menses, valent Collationes, quæ fierent irritæ, si intrâ tempus præstitutum querantur Personæ læsæ.

Non agimus hæc de Actibus annullabilibus, de quibus convenit, eos per factum posterius ratos aut irritos fieri posse. De Ratis aut Irritis ab initio Actibus loquimur, & Queritur. *Utrum illi ex post facto vim suam amittere, & hi vim, quam non habebant, nancisci valeant?*

Circâ hanc Quæstionem duæ sunt Juris Regulæ, quæ absolute negant, utrumque fieri posse, scilicet XVIII. & LXXIII. de *Reg. Jur. in VI.* Prior est, *Non firmatur tractu temporis, Quod de Jure ab initio non subsistit*. Posterior sic concipitur. *Factum legitime retractari non debet, licet casus postea eveniat, à quo inchoari non potuit*. Hæ Regulæ in sensu opposito acceptæ, alia in alterâ continentur; id enim postulat ratio contrariorum: nam, si Actus irritus tractu temporis convalescere non potest, Actus ratus ex post facto dissolvi non debet, vel, si factum posterius Actui, qui ratus fuit, nocere nequit, neque etiam prodesse debet ei, qui ab initio fuit irritus. Hæc posterior Regula restringenda est ad Actus absolute indissolubiles, putâ Matrimonium consummatum; Consum-

matum, inquam, quoniam non consummatum per Professionem Religiosam legitime factam dissolvi potest.

Quoad actus dissolubiles, illi procul dubio legitime possunt retractari propter factum posterius, quamvis rite perfecti fuerint, quorum exemplum vulgare sunt Sponsalia, quae iuste solvuntur per casus subsequentes, quae, si praevissent, ipsa fuissent, irrita. Itaque Regula Posterior minus patet, quam altera, cum exceptiones quasdam patiantur, haec Prior autem nullas; nam exempla, quae afferuntur ad probandum, actus nullos ob defectum consensu, convalescere, posse per consensum subsequentem, pertinent ad actus annullabiles, vel si spectent actus irritos, non congruunt; numquam enim actus ob defectum consensu nulli, convalescunt per subsequentem consensum, sed reparatur nullitas actus irriti, validum actum substituendo.

Remotis jam omnibus, quae caliginem offundere possent Conciliationi, quam quarimus; afferenda est Summa Cap. 12. de *Convers. Conjugatorum*, quod adversari videtur expositis Regulis. Cum à *Celestino III.* quaesitum foret, utrum Mulier, quae putans, Virum suum esse defunctum, habitum Religionis sumpserat, & regresso Viro, e Monasterio exierat, eo mortuo teneretur in Religionem redire, Respondet ille, illam Professione sua, quod suum erat, obstrinxisse, & proinde semetipsam obligavisse in tempus, quo libera esset; unde concludit eam redire debere, quia in eum casum pervenit, in quo votum efficax emitte poterat. Respondemus, quod licet votum ejus non tenerit usquequaque, eateus tamen fuit obligatorium quatenus se poterat obligare; promisit enim invadendo Monasterium, se non exacturam carnis debitum, quod erat in potestate ipsius, redire vero ad Saeculum in ejus potestate non erat, sed in potestate Mariti, & ideo quantum ad ipsam tenuit votum, quod post viri obitum tenere non desit, cum ad eum Casum, à quo poterat efficax habere principium, pervenisse noscatur.

Hic Textus adversari videtur Regulæ XVIII. in eo quod dicit, actum, qui ab initio non constitit, tractu temporis convaluisse, & Regulæ LXXIII. in eo, quod supponit, actum nullum, si pervenerit in eum casum, quo fuisset efficax, inde trahere vim, quae caruit. Regula autem in sensu contrario accepta docet, eventu subsequente actum non fieri ratum, licet ab eo casu potuerit inchoari.

Sed oppositio est tantum in terminis, nam 1. Pontifex loquitur de actu irriti ex una parte, ex altera ratio; Regula autem XVIII. loquitur de actu absolute nullo. 2. Vult tantum, ut illud, quod firmum est, subsistat; dum ejus effectus partim suspenditur propter obstaculum absolutam executionem impediens, eoque sublato obstaculo actus effectum suum plenissime fortiat, sed difficile intellectu quomodo idem actus partim nullus, partim validus esse possit: hinc ratur; hinc irritus; irritus respectu ejus, cui injuste nocet; efficax respectu ejus, à quo profectus est: videtur enim, quod perinde atque in Rebus Moralibus unicus defectus sufficit ad vitiandam actionem, ita obtinere debet in ceteris quibuscumque rebus. Itaque postea significat Pontifex in rigore suam Definitionem difficultate non carere; nam praemisso, se judicare, salubrius fore illi Mulieri, si redeat in Monasterium, adjicit, eam tamen ad id compelli non debere. *Consultius itaque ducimus, ut vanitatibus Saeculi derelictis, ad Monasterium redeat; ubi bona ducta intentione Professionem fecit: si vero ad hoc induci non potuerit, invitam ipsam credimus non cogendam.* GONZALES in hoc Caput contra objicit Epistolam *Petri Blefensis*, qui credit Professionem esse nullam, & proinde illam rursus nubere posse post obitum Viri, & solutio, quam affert, Textui adversatur, & notae praecedenti, in qua agnoscit Professionem esse validam saltem quoad Continentiam servandam post obitum Mariti, quod non cohaeret,

Tom. I.

cum vix concipi valeat, quomodo idem actus possit esse partim nullus; partim validus: adde, quod perinde est de hoc Casu, ac de illo, quo Mulier credens Virum obiisse, alteri nupsit, postea vero errore detecto, ad Virum priorem rediit, quaeque isto verè mortuo, ad posteriorem reverti nullatenus obligatur.

SECTIO. VI.

Quare in quibusdam Argumentis illicitum haberi debet, Quod expresse non permittitur, & in aliis, licitum videri debet, Quod diserte non interdicitur, & Quenam sint illa Argumenta.

Regula Posterior extat in Cap. 29. de *Sent. Excom.* his verbis, *Quia tamen Conditor Canonum Absolutionem ejus sibi specialiter non retinuit, eo ipso concessisse videtur facultatem aliis relaxandi, agit de Excommunicatione per Canones sancitâ, & dicit, Absolutionem Censurâ, quae specialiter non reservatur Auctori Canonis, ceteris concedi.* Quoniam agitur de Absolutione Censurarum, Quidam Auctores inde concludunt, eam Sententiam esse Absolutioni peculiaris, nec attendunt huic Argumento accommodari potuisse Regulam Generalem, ut solent specialibus Casibus applicari Generalia Principia.

Alia Sententia reperitur in C. 2. de *Translat.* ubi ait INNOCENTIUS III. esse quosdam casus, in quibus vetitum censi debet id, quod non est diserte permittum. *Nonnunquam intelligitur prohibitum quod non invenitur concessum.* (S. 2. praesertim eum.) Agit de facultate, quam habet Metropolitanus, ad cogendum Suffraganeum, ut Dignitati renunciet, si Consecrationem suam fieri quinque Mensibus neglexerit, supponensque Canones, qui hanc facultatem tribuunt Metropolitanis, ei potestatem Suffraganeos transferendi non dedisse, concludit, eam illi non pertinere, suamque Conclusionem duabus confirmat rationibus, quarum Posterior ea est, quam retulimus.

Elicitur etiam eadem Sententia ex Cap. 5. de *Usu & Autor. Pallii* & similibus, quae docent, Metropolitanum uti non posse Pallio, nisi diebus expresse concessis; necnon ex Cap. 15. de *Tempor. Ordin.* in quo INNOCENTIUS dicit, Metropolitanum mandare non potuisse Suffraganeo suo, ut uno & eodem die Virum eundem ad tres Ordines Sacros promoveret, cum illi hujusmodi Dispensatio à Canone minimè sit permittita.

Eadem reperitur. 1. in omnibus Textibus, qui laudant Regulam, *Quod non est Sanctorum Patrum Decreto sancitum, non est superstitiosus adinventionibus praesumendum.* Ejus generis sunt cit. C. 2. de *Translat. & Can. 26. CAUS. II. QUÆST. V. à STEPHANO V.* de sumptus, ubi legitur *Documento pro Decreto*: Ex illis etiam Textibus est Cap. 6. de *Heret. in VI.* in quibus id, quod licitum est in uno Casu, prohibetur in ceteris, ille est casus Dispensationis limitatae, quae in gratiam Fidei conceditur.

Atque illi sunt Textus oppositas Sententias continentes, qui conciliari debent. Quenam sint Argumenta, in quibus unaquaque locum habeat, indicabit Conciliatio; sed antea observandum est, utramque spectare facultatem faciendi res nonnullas, quarum aliae Jurisdictionem requirunt, aliae vero non requirunt. Potestas Jurisdictionis, est Ordinaria, vel Delegata: Ordinaria certa negotiorum genera spectat, eaque universim complectitur; Delegata in certis negotiis circumscribitur: Potestas Ordinaria acquiritur per Dignitatem, cui illa cohaeret, vel per Mandatum Generale Ordinarii: Potestas Delegata acquiritur per Mandatum Speciale. Potestas Ordinaria potest restringi per Reservationes in gratiam Superioris factas, vel per Privilegia, quae aliis aliquam dant ipsius partem, vel per Consuetudinem, aut Praescriptionem.

d 2

Ordina-

Ordinarius potest quodcumque ipsi non adimit Reservatio, Privilegium, Consuetudo, aut Præscriptio: unde fit, ut qui de aliquâ potestate, litem movet Ordinario, tenetur probare, illam sibi ex aliquo honorum Titulo pertinere, & donec id præstiterit præsumitur pro Ordinario, qui interim frui debet ac in fruitione manuteneri.

Si Potestas Ordinarii ei partim restituta fuerit per derogationem factam ipsius limitationibus, quoad hanc restitutionem nil potest præter id, quod illi conceditur aut restituitur; plura hujus rei habemus exempla in Derogationibus à Tridentino factis, Reservationibus, & Exemptionibus quoad certa Capita. Ordinarius nihil recuperat præter potestatem, quæ ipsi per derogationem redditur; atque in hac re pro Delegato habetur.

Itaque Posterior Sententia ad Ordinarium spectat, Prior verò ad Delegatum, & eos omnes, qui pro Delegatis haberi possunt; tales sunt Procuratores à l certa negotia, Arbitri ad quasdam lites electi; Delegatio, Procuratio & Compromissum definiunt circa Potestatem illarum Personarum, quòd id, quod illis non datur, eis interdicitur. Confessarius, cui certi casus reservati conceduntur, nihil potest ultra casus concessos: ejusdem conditionis sunt Pœnitentarii, atque ipsi etiam Vicarii, quibus Episcopus non nisi quòsdam è casibus sibi reservatis mandavit, alios personæ suæ retinendo.

Quoad res, quæ Jurisdictionem non requirunt; Qui eas Jure communi possident, possunt quod sibi non interdicitur: Ceteri nihil possunt, præter id, quod eis conceditur. v. g. Curati possunt percipere omnes Decimas, quarum perceptio ipsis non prohibetur; quia Decimæ Jure communi Curatis debita sunt; Ceteri qui eas, ex Privilegio percipiunt aut Consuetudine, aut Præscriptione, nihil percipiunt præter id, quod ex iis Titulis, acquisitum est.

SECTIO VII.

Quis consensus Textuum, qui dicunt, „Laicos etiam pios non esse in Ecclesiâ, nisi obediendi; non imperandi gratiâ: eosque nullam accepisse Potestatem in Personas & Bona Ecclesiastica, cum eis, qui docent Principibus commissam esse Ecclesiæ Curam, cujus rationem, si eam neglexerint, Deo sunt reddituri?

Exordiemur à commemoratione Textuum, de quibus agitur. Præcipui Prioris generis sunt Cap. 10. de Constitut. Cap. ult. de Reb. Eccl. alien. & Can. I. DIST. XCVI. Primus Tertio innititur, & quoad Argumentum nostrum ait INNOCENTIUS III. *Attendentes, quòd Laicis etiam Religiosis super Ecclesiis & Ecclesiasticis Personis nulla sit attributa Potestas, quos obsequendi manet necessitas, non autoritas imperandi, à quibus si quid proprio motu statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam respiciat commodum & favorem, nullius firmitatis existit, nisi ab Ecclesiâ fuerit approbatum:* Quod deinceps probat per Decretum Concilii Romani, sub SYMMACHO, quod reprobavit Statutum BASILII Præfetti Prætorio, & Vices agentis ODOACRI Italiæ Regis, de non alienandis Prædiis Rusticis, vel Urbanis, Ministeriis, & Ornamentis Ecclesiarum, hæc potissimâ ratione, quòd non fuit autoritate Romani Pontificis roboratum.

Factum in hoc Textu laudatum legitur C. 7. DIST. XCVI. in quo refertur Constitutio BASILII, & Decretum CONCILII, quòd illam legi iussit, atque ob multas rationes improbat: illius duo erant Capita, primum circa Electionem Pontificis versabatur, eamque fieri vetabat, nisi vocatus esset, ut turbis occur-

reret Præfectus; hæc prohibitio Patribus ingrata fuit, qui timebant, ne Laici electionem præripere, ut indicant hæc verba CRESCONII unius ex illis Episcopis: *Prætermisiss Personis Religiosis, quibus maxime cura est de tanto Pontifice, Electionem Laici in suam redigerent potestatem.* Notandum est, BASILIUM exponere in Præfatione se admonitione *Beatissimi viri SIMPLICII* hoc Statutum fecisse: Quadam M. S. ferunt *Symmachum* pro *Simplicio*; cum Symmachus de hac Constitutione queratur, credibile est, *Basilium* loqui de *Simplicio*.

Caput alterum spectat prohibitionem alienationis, de qua locuti sumus, atque inter pœnas, quæ ibi proponuntur, est Anathema; quod absurdum visum est, Laicum hominem Censuras in Ordinem Ecclesiasticum dictare; sed hæc potissima non fuit ratio à Patribus allata, sed Pontificem Romanum, ad quem præcipue attinebat hoc Decretum, ejus participem non fuisse. Ultima Ratio fuit, ne subsisteret illa Scriptura ad Ecclesiæ Commodum vergens, in eo quòd irritabat, quæcumque fierent in Ecclesiæ præjudicium, atque Emptorem ac Venditorem ad restitutionem omnis causæ cogebat; ne, inquam remaneret exemplum præsumendi quibuslibet Laicis quamvis Religiosis vel Potentibus quolibet modo aliquid decernere de Ecclesiasticis Facultatibus.

Verba INNOCENTII III. *Quos manet necessitas obsequendi, non autoritas imperandi,* desumpta sunt ex sententiâ Mediolanensis Episcopi relatâ in hoc Can. 1. DIST. XCVI.

Hi Textus videntur inniti *R. LI. de R. J. in VI.* quæ fert: *Semel Deo dictatum, non est ad Usus Humanos ulterius transferendum;* fortasse visum est, quòd sicut Consecratio Bonorum Ecclesiæ, ea à Sæculari Commercio subducit, ita illa Autoritati Sæculari subtrahit.

Posterioris generis Textus sunt in CAUS. XXIII. QUÆST. V. C. 20. 21. 22. 26. CANON. XX. sic loquitur de Principibus: *Cognoscant Principes Sæculi, Deo debere rationem reddere, propter Ecclesiâ, quam à Christo tuendam suscipiunt: tùm subicit, nam sive angeatur Pax & Disciplina Ecclesiæ per Fideles Principes, sive solvatur, ille ab eis rationem exiget, qui eorum Potestati suam Ecclesiâ credidit.* Canon hic à S. ISIDORO HISPALENSIS desumptus est. Canon 21. Sic concipitur: *Res Humanae aliter tute esse non possunt, nisi, quæ ad Divinam Confessionem pertinent, & Regia & Sacerdotalis defendat Autoritas.* Hic Canon est S. LEONIS ad Pulcheriam Augustam. CONCILIUM TURONENSE III. anni 813. dicit in Can. 22. laudato. *Quos oportet per Sæcularis Potentiæ Disciplinam à tam pravâ consuetudine coerceri, qui per Salutifera Sacerdotum Monita noluerunt revocari.* JOANNES VIII. in 26. ait, *Administratores Sæcularium Dignitatum, qui ad Ecclesiarum tuitionem, Pupillarum, ac Viduarum protectionem constituti sunt, quoties ab Episcopis & Ecclesiasticis Viris conventi fuerint, eorum querimonias attentius audiant & secundum quod necessitas expetierit, diligenti studio corrigant: quòd si Dei timorem præ oculis non habentes, negligere post Secundam & Tertiam admonitionem inventi fuerint, omni se noverint Communionem usque ad condignam satisfactionem privatos.*

Illi sunt Textus, qui superius allatis videntur adversari; nam si Principibus Ecclesiæ tuitio, protectio, cura, commissa est, oportet ut Leges ad hoc necessarias condere possint; itaque si Bona Ecclesiæ malè administrantur, vel absque justâ causâ alienentur, si Viri Ecclesiastici pessimo agendi more Ecclesiâ exagitant, oportet, ut Principes possint præcipere quod tollendis his malis est idoneum; si autem illa mala tollere possunt, quidni etiam illis obviare possint? Hi Textus supponunt, Principes tuitionem Ecclesiæ nihilominus suscepisse, quam Orphanorum, Pupillarum, Viduarum, aliarumve Personarum miserabilium, in quarum subsidium Leges condere possunt, tam ad propulsanda immin-

nentia illis mala, quàm ea, quæ jam patiuntur. Si Principes rationem Deo sunt reddituri propter divisiones, aliasve Ecclesiæ perturbationes, quibus meriti neglexerunt, oportet, eos habere jus illis providendi per Leges, quas efficaces fore arbitrabuntur.

Cùm prioribus adversari videantur hi Textus, alio modo componi non posse videntur, & hæc oppositio tolli, quàm dicendo, priores de Principibus Supremis non loqui, quibus Ecclesiam suam commendavit Christus, siquidem *Basilium* supremam Potestatem non habebat; vel si de illis Principibus agunt, eorum Definitio restringenda est ad casus, in quibus Principes conderent Leges, inconsultâ Ecclesiâ, circa negotia, in quibus eam audiri necessarium est.

Et hæc sunt quæ aptiora duxerimus ad Conciliationem Textum, de quibus agitur.

SECTIO VIII.

Utrum possit conciliari Regula, Idem de similibus ferendum Judicium, cum Textibus, qui dicunt Odiâ esse restringenda?

Laudata Regula refertur ab INNOCENTIO III. in cap. 2. de *Translat.* velut Principium certum, quo probat, Canones, qui soli Pontifici adscribunt translationem Episcoporum Consecratorum, habere locum in Episcopis Electis, maximè in Confirmatis; observatque vinculum, quo Episcopus Consecratus Ecclesiæ suæ jungitur, non esse strictius eo, quod Episcopum Electum tantum eidem Ecclesiæ connectit, imò idem posse dici vinculum. *Licet usque ad tempora ista Quod cautum fuerat de Episcopis, expressum non fuerat de Electis, propter expressam tamen similitudinem, vel identitatem prorsus nemini poterat videri dubium subtiliter inventi, cum idem Judicium de similibus sit habendum.*

Regula hæc usurpatur in reservatione translationis Episcoporum Electorum ad Pontificem ejusve Sedem, & videtur contraria Textibus, quibuscum hæc comparatur; hæc enim reservatio translationis Episcoporum ad Pontificem, videtur odiosa, cum non sit alterius conditionis, quàm cæteræ reservationes, illæ autem inter odia collocantur; quia per eas restringitur Potestas ordinaria, quæ favorabilis est.

Textus conferendi sunt 1. REG. XV. de R. J. in VI. *Odiâ restringi convenit.* 2. REG. XXX. *ibid.* In *Obscuris minimum est sequendum.* 3. REG. XLIX. In *pænis benignior est interpretatio facienda.* 4. Cap. 18. de *Sent. Excom.* in VI. quod dicit *Irregularitatem admittendam non esse nisi in Casibus expressis.* 5. Cap. 1. & 2. de *Filiis Presb.* in VI. quæ docent *restringendas esse dispensationes velut res odiosas.* Idem est de omnibus Textibus qui docent, *Privilegia in præjudicium alicujus concessa, restringenda esse ad casus expressos in Privilegio.* Idem esse debet de omnibus Textibus, quibus probatum fuit in *Tractatu de Censuris & Irregularitate*, ratiocinationem à pari in neutro Argumento admitti, & quod amplius est, nec ratiocinium à majori.

Illâ repugnantia speciosa saltem jam patefactâ, ad eam tollendam supponendum est, Pontificem putavisse, Reservationem translationis ad Sedem Apostolicam, esse Prærogativam ipsi à Jure Communi tributam, eamque spectavisse ut genuinam consecutionem Primatus, qui à Jure Communi nascitur: hæc opinione imbutus judicavit, eam reservationem esse cum favore accipiendam, itaque cum favore ampliari æquum sit, juxta Regulam *favores convenit ampliari*, oportuit in causâ, de qua loquebatur, à casu expresso in jure, protendere ad casum non expressum, facultatem Sedi Apostolicæ adscriptam; persuasum igitur habens Pontifex translationem Episcoporum Consecratorum ad se pertinere, idque à Canonibus expressè definiti, conclusit, illam reservationem etiam Episcopos solum Electos comprehendere, quia in rebus favorabilibus idem

Tom. I.

de similibus ferendum judicium. Consequentia hæc non peccat, si vera sint illius Principia; sed aliud erit in sententia eorum, qui putant reservationem translationis Episcoporum ad Pontificem, à Jure merè Canonico profectam esse, eamque nondum satis attente INNOCENTII III. fuisse roboratam; nam ex illâ opinione sequitur, jus Episcopos transferendi pertinere ex Jure Communi ad Synodum Provinciam, vel ad Metropolitanos, qui illo usi sunt, X. aut XI. prioribus Ecclesiæ Sæculis, ut probat Thomassinus. *Lib. I. singularum trium Priorum Partium sui Operis DE DISCIPLINA.*

Ex Privilegio per Canones Pontificibus concessio, nata est hæc reservatio & juxta hoc inter odia potest illa numerari, & proinde ratiocinium à pari circa eam potest non admitti, sed stare licet juri expresso. Nulla est igitur repugnantia, nisi juxta hanc sententiam Pontifici improbatam, qui secundum suam opinionem ratiocinium à pari usurpavit, in reservatione translationis Episcoporum in gratiam suæ Sedis: prædicta ergo ejus accommodatio juxta ejus principia intelligenda est.

Purgari potest illa accommodatio, supponendo, illud Privilegium Juri fuisse insertum, atque ejusmodi Privilegia Juris Communis esse Partem, & propter hanc rationem cum favore esse accipienda, sicut ipsum Jus Commune: tale est Privilegium Carnem comedendi Die Natali Domini, licet Abstinentiæ Die contingat: fortè opportuniùs dici potest, INNOCENTII III. tempore, Jure Communi solum Pontificem Episcopos transtulisse.

SECTIO IX.

Multi Canones definiunt, standum esse Posterioribus, si hi cum Prioribus pugnent; Unus occurrit, qui dicit in illo casu standum esse antiquiori; Quâ viâ conciliare potest hic cum cæteris?

Hic postremus Canon est C. II. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. §. 1. desumptus ex Præfatione Libri de summo bono ad Episcopum Massonem inscripti, qui sic concipitur, *Quotiescùmque in gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius sententia magis teneatur cujus antiquior aut potior extat autoritas.* Si vetustior autoritas est præferenda, falsum ergo, novitios Canones esse anterioribus anteponendos.

Faciliùs intelligetur illa repugnantia speciosa saltem relatis Textibus posterioris generis, quos subjicio.

GRATIANUS DIST. XXIX. cap. 1. & 2. pro principio asserit, componendos esse Canones contrarios ex tempore, quo confecti sunt, & laudat duos Canones, qui hoc disertè docent. Unus est S. ISIDORI HISPALENSIS, alter S. GREGORII. Porro conciliatio ex tempore quæsitâ, fit potissimum dicendo, posteriorem vincere priorem, ut probant Textus expressi Cap. 1. de *Cognitione Spirituali*: ALEXANDER III. repertis Canonibus pugnantibus circa Quæstionem, utrum Cognatio Spirituality complectatur Liberos post compaternitatem natos, aliis dicentibus, eos comprehendere, aliis, non comprehendere; definit, standum esse Posterioribus. *Licet primus Canon exinde editus natos post compaternitatem ad invicem copulari prohibeat, alter tamen Canon Posterior editus primum corrigere, tum relatâ dispositione hujus Canonis concludit, Unde nobis videtur, ut secundum Posteriorem observari debeat.*

Cap. 1. de *Constit.* in VI. disertius loquitur in ipsa Argumenti sede, nam duo Constitutionum genera distinguuntur, quarum aliæ continent Jus Commune, aliæ Jus Singulare & Speciale. v. g. Statuta quorundam Collegiorum, ac statuitur, quod ubi Summus Pontifex Constitutionem novam condit veteri

d 3

con.

contrariam, ille primam per sequentem revocat, et si ejus mentionem non fecerit. Licet Romanus Pontifex, qui Jura omnia in Scrinio pectoris sui censetur habere, Constitutionem condendo posteriorem, Priorem, quamvis de ipsa mentionem non faciat, revocare noscatur.... Quae sequuntur spectant Jus singulare, cui se derogare negat Pontifex, nisi illud specialiter commemoret, & rationem hujus discriminis afferens, ait, *se hujus Juris singularis, cum sit Facti & in Facto consistat, esse probabiliter ignarum, quod de Jure communi dii nequit, quod ipse condidit & in Scrinio pectoris gestat.*

Adversus hos Textus objici non possunt C. 28. de Rescript. & C. 3. de Capel. Monach. quae praeter oppositionem, requirunt etiam derogationem expressam Constitutioni anteriori; nam de Constitutionibus Posterioribus, quae Prioribus contrariae sunt, non agitur; verum de Gratiis, quae obviant Conciliis Generalibus, quibus tantam reverentiam exhibere nonnulli Pontifices, ut testarentur, se nolle illis derogare, nisi per expressam mentionem: atque ille mos hodie invaluit, ut probat specialis mentio, quae fit Conciliorum Generalium in Clausula Derogatoria Juri cuiusque contrario Gratiis, quae conceduntur; quinimò aliquid specialius exigunt, circa Tridentinum, cui per hanc Clausulam Generalem derogari nolunt.

FAGNANUS in Cap. 28. & GONZALES in Cap. 3. laudatam Quaestionem discutunt, an, ut Constitutio contraria anteriorem emendet, necesse sit id expressè caveri? & contendunt, hanc cautionem non esse necessariam, sed sufficere solum oppositionem. FAGNANUS *ibid.* n. 37. sibi objicit Textum allatum à S. ISIDORO acceptum, & respondet, illum esse intelligendum non de autoritate, quae nascitur ex Vetustate, sed de eâ, quae oritur ex Dignitate; ita ut ejus sensus sit, in casu discordiae inter Decreta duorum Conciliorum, praefenda esse Conciliorum Majorum Decreta Statutis Synodorum Minorum, nimirum arbitratus est ille Autor haec verba, *antiquior aut potior*, hic esse Synonima, illa accersit ex Can. 28. DIST. I. qui prolixior est Can. II. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. Sed Paragraphus, qui ad rem facit similis est, excepto quòd in hoc 28. Can. legitur, *aut antiquior aut potior*, abest autem prius *aut*, à altero Canone. Sed etiam si Autor Textus putavisset Decretum Concilii Veterioris esse praefendum Decreto Concilii Recentioris, ejus opinio levioris esset momenti; nam *Epistola S. Isidori ad Massonem* procul dubio supposititia est; nam 1. laxamenta, quae approbat, Doctrina illius Autoris adversantur; 2. nec nisi mediante IX. Saeculo prodire.

Itaque, vel abjiciendus est hic Textus, vel ut autoritatis nullius, vel componendus cum cæteris, eum per illos exponendo, quod æquum est, quia Textus obscuri per Textus apertos sunt exponendi.

Quod diximus supra, Constitutionem Posterio-rem Anteriori derogare, quando ipsi adversantur, restringendum est ad Capita, in quibus illae sunt oppositae; cætera vigere debent, ut disertè docet, C. 41. de Elect. in VI. restringendo C. 4. *ibid.* ad Appellationes Extrajudiciales, circa quas aliquid immutavit in Jure antiquo in materia Electionum & definiendo Jus vetus subsistere circa cæteras Appellationes. Ratio est, quia emendatio Juris odiosa res est, & proinde locum non habet, nisi in Casibus expressis.

SECTIO X.

Conciliatio Textuum, qui significant Canones obligare statim, atque promulgati sunt; cum iis qui insnuant, alicujus temporis lapsum ad id requiri.

QUAMVIS Observationes GRATIANI non sint Textus Juris, multumque abfit, ut illae vim atque autoritatem eorum Textuum fortiantur; quaedam tamen

hanc dignitatem adeptæ sunt per approbationem generalem: ex hoc numero videtur esse §. *Leges insinuantur* DIST. IV. *Leges insinuantur, cum promulgantur, Moribus autem utentium firmantur*, qui intelligendus est de Legibus susceptis, saltem per silentium Partium, quas spectant, nam illae, quae rejiciuntur, ut minus congruae, Moribus utentium non sunt confirmatae.

C. 1. de Postul. supponit, Leges obligare statim atque solemniter promulgatae sunt, desumptum illud est ab INNOCENTIO III. qui reprobatur postulationem Episcopi Altissiodorensis in Archiepiscopum Senonensem, quia ille non servaverat interdictum, quod Regno erat illatum, quamvis solemniter promulgatum, *Cum Cardinalis idem Sententiam Interdicti presentibus multis Archiepiscopis & Episcopis solemniter ac publice promulgavit*, & ad purgandam suam recusationem & obviamdum excusationi Episcopi, dicentis, eam Sententiam sibi significatam non fuisse, adjicit INNOCENTIUS, quòd *nec sit necessarium, cum Constitutio solemniter editur aut publice promulgatur, ipsius notitiam singulorum auribus per speciale Mandatum, vel Litteras inculcare, sed id solum sufficit, ut ad ejus observantiam teneatur, quòd noverit eam solemniter editam ac publice promulgatam.*

C. 13. de Penit. significat, Legem obligare statim, atque promulgata est, nam declarat poenam sancitam in Medicos qui neglexerint monere ægros, ut Sacramenta suscipiant, incurri statim, atque Constitutio per Prælatos Locorum fuerit publicata.

Idem insinuat Clem. 2. de Hæret. his verbis, *Statuimus nullis ex nunc*, quae indicant, Concilium Vienne- nense voluisse Decretum suum effectum suum fortiri statim, atque solemniter promulgatum fuisse.

Quoad Textus, qui insnuant, Legem non parere obligationem, nisi certo tempore, à die Promulgationis elapso, duo occurrunt in Tit. *ne Clerici vel Monachi*, tertius scilicet & ultimus; *Primus à Concilio Turonensi* desumptus est, an. 1163. qui excommunicat Monachos, qui sub specie utilitatis suorum Fratrum, aliorum-ve, è Monasterio exeunt, ut Medicinam aut Mundanas Leges legant, nisi ad Claustrum suum intra duorum Mensum spatium redierint.

Posterior est Honorii III. qui illam Constitutionem extendit ad Archidiaconos, Plebanos, Decanos, Præpositos, Cantores, & alios Clericos Personatus habentes, nec non Presbyteros, nisi ab his intra spatium prædictum destiterint.

Cap. 49. de Sent. Excom. excommunicat eos, qui de cætero servari fecerint Statuta edita, & Consuetudines introductas contra Ecclesiae Libertatem, nisi ea de Capitalibus suis, intra duos Menses, post hujusmodi Publicationem Sententiae fecerint amoveri. Hoc Caput est ejusdem Honorii III. ad Episcopum Bononiensem.

Ad Conciliationem horum Textuum, Observandum est, 1. Quasdam actiones per Canones præcipi, quae statim post Promulgationem fieri nequeunt, quales sunt illae, de quibus agunt tres Posterioris generis Textus: nam qui è Monasterio exierant, ut Medicinam legerent, aut Mundanas Leges, aliquo tempore indigebant, ut redirent, atque res ad iter suum necessarias compararent. Idem cogitandum est de Beneficiariis, qui Locum sui Beneficii ex eadem causa deseruerant. Idem dicendum de iis, quibus jubetur delere Statuta Libertati Ecclesiasticae contraria, illud fieri nequit præter deliberationem cum Collegio & ejus consensum, quae circumstantiae tempus requirunt & tractationem aliquam.

2. Aliquando atrocitas poenae postulat negligentiam insignem, ne poena sit gravior delicto, negligentia autem non fit insignis, nisi post aliquod tempus: hæc mens est CONCILII TRIDENTINI. Cap. 2. SESS. VII. quod certum tempus præfigit ad executionem Decreti lati in eos, qui tunc plura Beneficia incompatibilia possidebant.

3. Promulgatio non fiebat in fingulis Parochiis, fed tantum in Sede Legislatoris, Pontificis, Metropolitanani & Epifcopi, vel in Loco Concilii; tumque longo tempore indigebant Remotiores à Loco promulgationis, ut ejus notitiam haberent. Hinc Prus IV. in Diplomate: menfis Augufti an. 1564. dato ad declarandum, ex quo tempore Decreta Tridentina circa Difciplinam obligarent, declarat, illa obligare cœpiffe tribus ab eorum promulgatione Menfibus.

4. Idem Pontifex ibidem affert in rationem fuæ Definitionis, quòd ex Jure Communi Constitutiones novæ non obligant, nifi poft aliquod tempus, *Jure etiam Communi fancitum, ut Constitutiones novæ vim, nonnifi poft certum tempus, obtineant.*

5. Juxta illud Jus CONCILII TRIDENTINI C. I. Sess. XXIV. de Reform. Matrim. jubet, Decretum fuum in Matrimonia Clandeftina non habere vim, nifi poft Menfem à Promulgatione in Parœciis factâ; Decernit infuper, ut hujusmodi Decretum in unâquâque Parochiâ fuum robur poft triginta dies habere incipiat à die primæ Publicationis in eadem factâ. Caput idem concedit illis, qui cafu vitæto erant implicati, Menfem, fcilicet intrâ, quem prohibitioni parerent.

6. Cap. 1. De Concef. Præb. in VI. fupponit, ac pro certo proponit, Legem non obligare, nifi, quando pervenit ad notitiam eorum, pro quibus condita eft, vel poft tempus ad hanc notitiam neceffarium. *Lex feu Constitutio nullo astringit, nifi, poftquam ad notitiam pervenerit eorumdem, aut nifi poft tempus, intrâ quod ignorare minimè debuiffent.*

7. JOANNES XXII. Cap. 1. de Præb. inter ejus Constitutiones, ad executionem fuæ Definitionis adverfùs pluralitatem Beneficiorum incompatibilium, per Dispensationem Sedis Apoftolicæ impetratorum, atque poffefforum, dat Menfem numerandum à tempore notitiæ, quod de notitiâ præfumptâ intelligendum eft, intrâ menfem à tempore notitiæ numerandam.

8. Quoniam inter laudatos Canones, alii unum, alii duos, nonnulli tres Menfes concedunt, patet hinc, illius temporis Definitionem pendere à Legislatoris voluntate, juxta circumftantias Locorum, Temporum, & Perfonarum, ordinatâ: ex eadem voluntate pendet determinatio, utrùm Lex ftatim poft fufficientem Promulgationem obtinebit, an intrâ certum tempus datum, ad faciendam Legislatori fupplices admonitiones, atque impetrandum ejus confenfum ad inobfervationem, ad ejuſdem diffeiminandam inter omnes Subditos Legis notitiam.

Ex omnibus his Obfervationibus fequitur, inter Textus propofitos tamquam pugnantes, nullam eſſe difcordiam, fed diverfitatem meram, quam induxit varietas Circumftantiarum, Locorum, & Temporum: ejuſdem ſunt conditionis illi Textus, cujus illi, de quibus loquitur C. 7. De iis, quæ ſunt à Prælatiſ, Autoritates præmiſſæ, licet diverſe ſint, non tamen adverſe.

Sequitur etiam, illud difcrimen non verſari circa Caput præcipuum, verùm circa Circumftantias, quæ nihil ex eo mutant: Caput illud eſt, Legem non poſſe, nec debere vim habere, nifi poſtquam potuit, & debuit ſufficienter innotefcere; nam, ut ſuprà oſtendimus, Tit. 2. Ignorantia invincibilis Juris excuſat ab obſervatione ejus Decretorum; illa autem provenire poteſt tam ex inſufficienti Promulgatione, quam ex impedimentis, quæ Promulgationem notam fieri prohibuerunt.

Hic monendum duximus, eſſe Leges, quæ jubent, iterari promulgationem ſtatim temporibus, eamque iterationem alium habere finem, quam primam, de qua hucusque egimus; hæc enim fit, ut prima detur Legis notitia, ut poſſit obligare ac ſervari: iteratur autem Promulgatio, certis temporibus, ut Legis gravitas inſinuetur per curam renovandi ejus memoriam, aut ad movendos ad eam ſervandam Subditos, vel ad faciendam monitionem generalem Cenſuræ, alteriufve pœnæ, quæ per eam fancitur: Prioris ge-

neris eſt Decretum CONCILII TRIDENTINI C. I. Sess. XXIV. de Reform. Matrim. Poſterioris eſt C. 1. de Locato Conduſto, quod fert Excommunicationem in Tranſgreſſores C. 39. de Simon.

SECTIO XI.

An Textus, qui dicunt in Legibus novitates eſſe pernicioſas, adverſentur iis, qui docent ſemper licere novas Leges condere.

Pontifex HONORIUS III. C. 9. de Conſuetudine, certum eſſe ſignificat, novitates in Legibus ſæpè ſæpiùs difcordiam parere, illudque inducere videtur ex eo, quòd mediocris non fit autoritas uſus antiqui, *Cum Conſuetudinis, uſusque longevi non ſit levis autoritas & plerumque difcordiam pariant novitates.*

BENEDICTUS II. C. 1. de Privil. EXTRAVAG. COMMUN. illud adhibens principium adverſus Leges novas, illud corroborat per obſervationem proſus congruam caſibus, in quibus adverſantur uſui veteri, cujus æquitas probata eſt, & cujus mutationem non requirit utilitas manifeſta, ſcilicet, amorem rei, quæ diutiùs viſa eſt juſta, difficilem facere commutationem Legis antiquæ cum novâ, cujus utilitas non eſt manifeſta. *Plerumque pariunt novitates difcordiam, præſertim cum ab eo, quod diù æquum viſum fuit, per novam Constitutionem receditur, nec quare recedatur, evidens utilitas, vel alia cauſa ſubeſt.*

INNOCENTIUS I. longè antea vituperaverat novitatem in Legibus, verùm aliâ de cauſâ, ſcilicet propter contumeliam Eccleſiæ Superioris, cujus deſeritur uſus, ut illi præferatur mos per autoritatem Inferiorem introductus: illud ſignificat Can. 11. DIST. XI. deſumptus ex ejus Reſponſione ad Decentium Epifcopum Eugubinum, qui illum conſuluerat circa quofdam Uſus nonnullarum Eccleſiarum, Eccleſiæ Romanæ, à quâ Religionem acceperant, Ritibus adverſos. *Si qui à Romana Eccleſia Conſuetudine errant, aut commoneas, aut nobis indicare non differas, ut ſcire valeamus, Qui ſint, qui aut novitates inducunt, aut alteriùs Eccleſiæ, quam Romanæ Eccleſiæ, exiſtiant Conſuetudinem eſſe ſervandam.*

His Textibus adverſari videntur. 1. Can. 2. DIST. VIII. in quo S. Auguſtinus obſervat, Jus Poſitivum à Jure Naturali in eo diſcrepare, quòd hoc non ſubjacet novitati, illud verò illi fit obnoxium, non ſolum ex parte Dei, qui Leges Humanis Moribus adverſas condere poteſt, verùm etiam ex parte Principum, qui illæſis Societatis Regulis poſſunt præcipere, quod neque ipſi, neque eorum Deceſſores præceperant, illiſque obtemperandum eſſe, ne peccetur in generale Societatis pactum Regibus obſequendi. *Si enim Regi licet in Civitate, cui regnat, aliquid jubere, quod neque antè illum Quisquam, nec ipſe, unquam juſſerat, & non contra Societatem obtemperatur, imò contra Societatem non obtemperatur; generale quippè pactum eſt Societatis obedire Legibus. Licet igitur Principi Leges novas condere, tenenturque ejus Subditi illis, non obſtante novitate, obſequi.*

Idem videtur de Can. 6. CAU. XXV. QUÆST. I. in quo URBANUS II. cum retuliſſet, Quofdam dicere, ſemper licuiſſe Pontifici Leges novas condere, eorumque ſententiam approbaſſet, duos caſus excipit, Scripturæ Sacræ ſcilicet, & Definitionum Conciliorum Generalium, à quibus divertere non poteſt Pontifex, quin cadat in errorem; Per hanc exceptionem ſignificat in quocumque alio Argumento, poſſe juberi aliud, quam præceptum fuerat, prohiberi, quod erat licitum, permitti, quod erat vitæto.

Quod de Principe dictum eſt, ac de Pontifice, dici debet de omni Prælate, cum Seculari, tum Eccleſiaſtico, qui Constitutiones condere poteſt. Poſſunt illi novas condere Leges, ſivè circa illam rem jam factæ fuiſſent quædam, ſivè nullæ: in utrâ-

que circumstantiâ Leges novæ turbas & discordiam parere possunt; Quæ adversantur Legibus antiquis circâ eandem rem, hunc effectum parere possunt, per obligationem, quam imponunt vincendi moris Legum Veterum: Quæ sunt in materiâ novâ, & Legibus experite, idem procurabunt, tollendo veterem libertatem.

Quomodo igitur componi possunt Textus, qui docent, in Legibus non esse innovandum, atque à novitate avocant per metum inducendæ discordiæ, cum illis, qui docent, licitum esse, ac semper fuisse, novas Leges condere, tam in rebus, quæ Legibus carebant, quàm in eis, quæ in Legibus erant ordinatæ; cum uterque casus sit Divisionibus obnoxius?

Huic apparenti discordiæ Respondemus, Leges novas non ritè fieri, nisi cum urgens Ecclesiæ vel Reipublicæ necessitas, aut utilitas evidens eas requirunt: atque in illis circumstantiis majoris Boni cupido minus negligere cogit; Bonum commune vincit omne privatum Bonum, & facilè subitur periculum minoris Mali ad vitandum majus: Equidem fit aliqua vis, dum à Jure Veteri, quod Consuetudo jucundum fecerat, & à Libertate, quæ fruebatur antea, avellimur: nullæ sunt igitur in his casibus discordiæ causæ, utilitas Legis illi obsequium parit; Vice versâ, si Lex in Legislatoris commodum vergat, si ille sui solius utilitatem quærat, si aliis jugum grave imponat ad suum lucrum, Subditi vix parent, seipsosque macerare debent ad vincendam suam repugnantiam, indè nascitur dissidium ex oppositione studiorum; Subditi bonum suum quærunt in publicâ utilitate inclusum, Præpositi suum aucupantur à communi longè alienum.

Confirmari potest ex Cap. 8. de Consang. quod dictum est ad conciliationem allatorum Textuum; desumptum est illud à LATERANENSI IV. Docet Præfatio, occurrere casus, in quibus mutatio Legum necessaria est, atque ejus generis esse 1. Cum cessat causa, quæ primas Leges induxerat: 2. Cum id postulat urgens Reipublicæ necessitas: 3. Cum id suadet atque inducit evidens utilitas: Non debet reprehensibile judicari, si secundum varietatem Temporum Statuta quando variantur Humana, præsertim, cum urgens necessitas, vel evidens utilitas idem exposcunt. Jam dixerat S. ISIDORUS, Legem Tempori congruere debere. C. 2. Dist. IV. Loco, Temporique conveniens, quod eò magis est necessarium, quod experientia docet res, certo tempore utiles, in alio tempore perniciosas evadere: id fufius demonstratum est hujus Textus occasione in Traditione circâ Sacramentum Matrimonii: indè fit, ut Concilium, postquam probavit mutationem, quæ fit in Legibus Humanis, per exemplum mutationis, quam fecit Deus in Legibus Veteris Testamenti, & dixit, quædam genera Affinitatum afferre implicationes, & perniciosas Animabus, illa abrogat ex principio, quod cessante causâ, scilicet utilitate, cessare debet effectus; nimirum vinculum Legis. Hinc observare juvat, distingui posse in Legibus duplex utilitatis genus, nempe eam, quæ communis est omnibus Legibus, de quâ mox egimus, & illam, quæ unicuique Legi peculiaris est, ejusque finis & causa proxima: tale est in Lege Matrimonia propter Cognationem irritante, commodum dilatandæ Caritatis cogendo Cognatos, qui satis invicem familiares existimabantur, ad jungendas Affinitates cum aliis, quibuscum nullam specialem necessitudinem habebant: sed, cum amor inter Cognatos remotiores refrexit, æquum fuit illis permittere invicem conjugari, ad renovandam necessitudinem penè extinctam: Studiis imminutis, neglecta fuerat conservatio probationum Affinitatum ejusmodi, undè contingebat, ut plures inter se Matrimonium inirent in gradu vetito, quod plura incommoda pariebat, sive ergâ Temporalia, sive ergâ Spiritualia; nam post

diuturnam Consuetudinem & multorum Liberorum susceptionem, Cognationis probationes reperiebantur, quæ inserviebant, ad faciendum dissidium, & explendas novas cupiditates. Nonnulli, licet eis innotuisset aliquod impedimentum, cohabitare perseverabant ut Vir & Uxor, atque in crimine vitam sæpè usque ad mortem ducebant: indè urgens necessitas atque evidens utilitas abrogandi gradus remotos Consanguinitatis, & genera Affinitatis parùm placita.

Non difficile foret colligere magnum numerum Canonum, qui verant aliquid immutare in Legibus, præter necessitatem vel utilitatem Ecclesiæ. Tales sunt præcipuè qui dispensationes prohibent, his casibus exceptis, qui referuntur in Tractatu de Dispensationibus, inserto Tractatu de Jurisdictione Ecclesiastica. Plures etiam ejus generis occurrunt. CAUS. VII. QUÆST. I.

Ex omnibus Textibus prioris generis, nullus est, qui absolutè dicat, Novitates in Legibus esse perniciosas; insigniores insinuant tantum, id sæpius accidere; itaque supponunt illi, quosdam esse casus condendis novis Legibus opportunos, aliàs damnavissent omnes Leges Positivas singularum Provinciarum circâ singula Argumenta, & proindè omnes Constitutiones novarum Censurarum, novarum Irregularitatum, novorum Impedimentorum Matrimonii, novarum Solemnitatum in Judiciis, novorum Generum Appellationis, quoniam abrogatio Legum per Consuetudinem novum Jus introductio, illud scilicet, quod antè illas Leges observabatur; Quot sunt Textus, qui hanc abrogationem approbant, si ritè fiat, tot suppetunt Argumenta, Canones non improbare novitatem, quotiens illa est necessaria.

SECTIO XII.

VARIIS MODIS COMPONENTI I. Textus qui unicum Casum excipiunt à Regulâ dicente, Legem futuris providere, cum Textibus, qui plures casus excipiunt. 2. Textus, qui puniunt actiones nondum vetitas, cum Textibus, qui illam punitionem videntur damnare.

HÆ duæ Oppositionum species hîc junguntur, quia sunt connexæ in iisdem Textibus, ut demonstrabitur, postquam illi relati erunt.

Plures Textus ab illâ Regulâ excipiunt casum unicum, quo Lex expressè præteritum complectitur in suâ Dispositione: Tales sunt Cap. 2. & 13. de Constitut. Prius à S. GREGORIO, Posteriùs à GREGORIO IX. desumptum est: utrumque refert Regulam, Posteriùs Exceptionem commemorat. Cum statuisset S. GREGORIUS, ut si Judæi Servos Christianos emissent, tenerentur illos Christianis vendere intrâ Quadragesimam dies, declarat ille suam Constitutionem non comprehendere Judæos, qui tales ab anno habebant Servos, itaque illi non eos amiserant propter neglectam eorum venditionem intrâ Quadragesimam dies, sed eis licebat eos alienare, quia Lex futuris tantum providet, præcipuè circâ penam, cum iniquum sit punire Innocentes. Quotiens novum quid statuit, ita solet futuris formam imponere, ut dispensat præterita non commendet, ne detrimentum antè prohibitionem possint Ignorantes incurrere, quod eos postmodum dignum est vetitos suscinere. Afferimus hunc Textum, quoniam Primus est in Jure Canonico, qui Regulam propositam continet, præterea ille confirmat quod diximus suprâ, Ignorantiam invincibilem Legis excusare, & Legem non adstringere, nisi ubi potuit & debuit sciri. V. Partem reserctam ad expositionem Constitutionis.

GREGORIUS IX. in Posteriore Textu, exponens Constitutionem, quam fecerat circâ Professionem Clericorum in Sacris constitutorum super Minores Clericos, quamvis hi antè illos fuissent recepti (quæ

refertur

refertur C. 15. de Majorit. & Obed.) declarat, illam non comprehendere eos, qui antè suam Constitutionem fuerant recepti, & rationem affert, quòd Lex futuris provideat, non prateritis, nisi de de iis nominatim caveat; suam autem Constitutionem non complecti praterita in suà Dispositione. Hic ultima verba referemus, quæ nos attinent. *Cum Leges & Constitutiones futuris certum sit dare formam negotiis, non ad praterita facta trahi, nisi nominatim in eis de prateritis caveatur.*

Adjicere possumus Textui GREGORII IX. omnes Textus, qui in suis Definitionibus, de prateritis nominatim cavent; nam hæc cautio inutilis fuisset, si praterita in Legibus novis fuissent comprehensa: facta est autem ad aperiendam voluntatem Legislatoris providendi tam prateritis, quam futuris.

Continent illi Textus executionem Regulæ, & probant, illam tunc viguisse, cum factæ sunt illæ Definitiones: Multi ejusmodi occurrunt in Corpore Juris, quorum insigniores afferemus. Vetusior est in eo genere C. 2. DIST. X. QUÆST. I. desumptus è Concilio Toletano III. an. 589. qui emendat pravam Consuetudinem reservandi Patrono administrationem dotis, quam conferebat illi Ecclesiæ, quam ædificabat, & consecrari curaverat, adversus Constitutionem Antiquam, quæ Episcopi ordinationi omnia permittebat, & jubet, praterita emendari, nec non in futurum prohiberi. *Quod factum taliter in praterito corrigatur, ut & in futuro, ne fiat, prohibeatur, sed omnia secundum Constitutionem Antiquam ad Episcopi ordinationem & potestatem pertineant.*

S. GREGORIUS biennio post, scilicet ann. 591. Constitutionem condidit ad emendandum Statutum PELAGII II. Decessoris sui, quo ille Continentiæ Subdiaconos jam Conjugatos subjecerat, quamvis illa non esset usitata in illis Regionibus, tùm cum Uxores duxerant, aut Subdiaconatum acceperant, quod cum asperius visum esset S. GREGORIO, jubet, ut in posterum omnes Episcopi hunc Ordinem nemini conferant, nisi iis, qui Castitatem promitterent: quoad eos verò, qui hunc Ordinem acceperant absque hæc promissione, ipsis usum Matrimonii atque Ordinis exercitium, permittit, vetans duntaxat, ne ad Superiores Ordines pro noveantur: cujus cautibus ratione ejus Constitutio prateritis providet non secus ac futuris, illis, qui ordinati erant, usum Matrimonii, nisi vellent ab eo abstinere, restituens, & illos excludens ab Ordinibus Superioribus, quoad cæteros, aliquem sine Voto Castitatis ordinare prohibens.

HONORIUS III. C. 5. lite pendente, accommodat Privilegiis, quæ sunt Leges speciales, Regulam, de qua agitur, definiens, Privilegium lite pendente impetratum, non derogare Juribus existentibus tempore controversiæ, nisi de litis pendentia mentionem faciat: agebatur de Indulto super perceptione Decimarum, quæ disceptabantur, definitum fuit, hanc indulgentiam non obstare, quominus in negotio procederetur, cujus mentio facta non fuerit.

GREGORIUS IX. Cap. 9. de Consecr. suam Definitionem fingens ad normam Regulæ, quam probavit supra, vetat, Episcopos committere Sacerdotibus reconciliationem Ecclesiarum pollutarum; quod tamen hætenus factum est per eosdem, misericorditer tolerat. Simile videre est in C. 4. de Consuet. circa Confirmationis collationem à Presbyteris Græcis.

Juxtà eandem Regulam cum BONIFACIUS VIII. in suà Constitutione adversus pluralitatem Beneficiorum Regularium, comprehendere vellet eos, qui in eo casu erant, eosque pœnæ subijcere, voluntatem suam disertè declarat, jubens, ut intrà Mensem alterutrum eligant, alioquin primo erunt ipso jure privati. C. 32. de Prab. in VI.

CLEMENS V. C. 2. de Etate &c. eidem Regulæ obsequitur; nam volens subijcere suæ Constitutioni Canonicos jam factos, perindè atque eos, qui sicut in posterum: utrumque genus nominatim commemo-

rat his verbis, *sunt mancipati, vel mancipabuntur in posterum, & his obtinent vel obtinuerint in futurum.* Item Pontifex Cap. Unic. de Probat. suam Definitionem extendit in prateritum & præsens, aut ergà pendentes lites.

Alii Textus, qui Argumento nostro etiam sunt affines, sunt Cap. 7. de Elect. quod astringit ad Promotionem ad Ordines quosdam Beneficiarios, & eos nominatim comprehendit, qui talia Beneficia possidebant. Cap. 31. de Rescript. quod rescindit Rescripta sive impetrata, sive impetranda, in quibus impetratorum jam Rescriptorum facta non fuerit mentio.

Cap. ult. de Filiis Presbyter. in quo GREGORIUS IX. jubet, deponi Spuriis, qui possidebant absque Dispensatione Sedis Apostolicæ, Dignitates, aut Personatus, alia-ve Beneficia Curata, & ne id de cætero præsumatur, districtè prohibet.

Cap. 1. de Consuetud. in VI. reprobans Consuetudinem obtinendi plura Beneficia incompatibilia absque Dispensatione Sedis Apostolicæ, prohibet eos, qui ejusmodi Beneficia possident, ea sic tenere in posterum, & cæteros, illa eodem modo acquirere.

Cap. 2. DIST. LXXXII. suppeditat exemplum ejusdem generis. INNOCENTIUS I. Constitutionem condens circa absolutam Diaconorum Continentiam, prateritis providet ac futuris: mitius tamen statuens circa eos, qui Matrimonio usi erant antea contracto, quam circa eos, qui in futurum uterentur.

Atque illi sunt præcipui Textus, qui vel nominatim, vel suo exemplo docent, Legem futuris duntaxat providere, nisi de prateritis in eâ nominatim caveatur.

Nonnullos eorum subijcio, qui prateritis accommodant Leges de praterito tacentes, saltem qui, ut tales, laudantur, & Textibus prioris generis in eo oppositi videntur.

Tale est 1. Cap. 5. de Usuris, quod usuris antè Lateranense III. perceptis accommodat Canonem illius contra Usurarios manifestos, quo excluduntur à Communione Altaris, ab Oblationibus, quæ fiunt ad Altare, vel alibi, & ab Ecclesiasticâ Sepulturâ, si moriantur in suo peccato, & extendit ad Usurarios Concilio anteriores pœnas sancitas, licet eorum mentionem in suo Canone non fecerit Concilium. Hic Textus est ALEXANDRI III. qui hoc Concilium celebravit: oportet igitur, eum putavisse Legem formam dare prateritis, de quibus tacet, aut saltem esse quosdam casus, in quibus cautio de prateritis non est necessaria.

2. Idem est de Can. 40. de Simon. in quo Concilium Lateranense IV. providens, ut Monasteria Mulierum nihil exigant ab eis, quas admittunt, duplex pœnarum genus sancit, non solum in futuram receptionem venalem, sed etiam in jam factas ejusmodi receptiones: Aliæ sunt Communes, scilicet nullitas receptionis; Aliæ Speciales unicuique delicto: prateritum coercetur per translationem in aliud Monasterium ejusdem Ordinis, & posito quòd hæc pœna non queat executioni mandari, per mutationem priorum locorum, & assignationem inferiorum; futurum verò per expulsiionem tam Recipientis quam Receptæ, sive sit Subdita, sive Prælata, & detractionem in locum arctioris Regulæ ad agendam perpetuam penitentiam. Porro nullus erat Canon, qui tales sanxisset pœnas in Moniales Simoniacas: oportet proindè, ut Concilium huic casui accommodaverit aliquam Legem, quæ de eo non cavebat nominatim, vel pœnam novam proposuerit in delictum jam admissum, quamvis pœnæ Legibus annexæ sint, ut absterreat Subditos à factis prohibitis.

Alii Textus, sive Leges, quæ actiones vel omissiones nondum vetitas coercerent, aut coercere videntur, collectæ sunt inter Textus prioris generis. Tales sunt ii, qui suam Dispositionem ad prateritum extendentes, extendunt etiam pœnas, quæ sunt eorum pars major.

Ex Collatione Textuum collectorum

Tertia

Tertia Oppositio speciosa, de qua locuti non sumus in Inscriptione Tituli, scilicet, *Primus Textus refert Regulam absque ulla exceptionis mentione, Cateri vero aliquam exceptionem continent*; Sed evanescit hæc oppositio, dum attendimus, exceptionem Regulæ non esse semper annexam, sapius etiam fit, ut illa non detegatur, nisi per collectionem Textuum, qui Regulam referunt, vel usurpant. Si exurgeret oppositio ex omissione facta in quibusdam Textibus, & mentione illius rei in aliis Textibus, opposita forent Quatuor Evangelia, quorum aliud refert circumstantias, atque etiam gesta in cæteris omissa. INNOCENTIUS III. quadam exempla colligit. C. 3. de Baptismo.

Quoad oppositiones in Titulo expressas, illæ tolli nequeunt, nisi quibusdam observationibus præmissis.

1. Leges Canonice nonnumquam fiunt ad Executionem Legis Divinæ, Legisve Naturalis, vel aliarum Legum merè Canoniarum, quæ accuratè non observantur: in utràque Legum specie Leges posteriores possunt accomodare Leges anteriores casibus, qui nominatim cauti in his non fuerunt; quoniam illi casus includebantur in casibus nominatis, velut species, in suo genere; consecutiones, in suo principio; effectus, in sua causâ.

2. Sæpius accipitur pro pœnâ, Quod non est vera pœna: ejusmodi sunt Restitutio, Exclusio ab Ordinibus Superioribus, vel à quibusdam Commodis; nam Restitutio, est reparatio vel satisfactio debita, tam ab Innocente, quam à Nocente: Exclusio ab Ordinibus nascitur ex defectibus, non secus atque ex delictis; sicut exclusio à quibusdam Commodis, qualis est exclusio suffragii in Capitulo, cui subjicit ætatis defectus.

3. Leges verè pœnales, quæ ad præterita extenduntur, non cadunt nisi in Facta criminosa, vel omissiones futuras actionum præceptorum; cæteræ Leges, quæ ad præterita extenduntur, quasdam actiones aut status aut conditiones Personarum respiciunt prorsus indifferentes.

Textus laudati de Simoniâ agentes, vel Usurâ, cadunt in actiones in seipsis Lege Divinâ vetitas. Cap. 5. de Usur. quod accomodat usuris antè Concilium Lateranense III. perceptis, Definitionem illius Concilii relatam Cap. 3. ejusdem Tituli; non adhibet pœnas à Concilio sancitas, sed meram præcipit restitutionem Usurarum antea perceptarum, quæ quidem restitutio Juris est Naturalis, cui obtemperat Cap. 5. sicut ipsum Concilium fecerat; Cæteræ pœnæ non proponuntur, nisi in Reos, qui restituere recusant, atque ob hanc contumaciam graviori coercitione sunt digni.

C. 40. de Simon. quod rescindit admissionem simoniacam ad Professionem Religiosam, usurpat pœnam generalem à Canonibus in actus simoniacos constitutam, scilicet nullitatem; undè præcipit, ut si Moniales simoniacè admittæ, nequeant in alia ejusdem Ordinis Monasteria transferri, dispensativè in eodem Monasterio maneat in ultimo loco. Quoad translationem in aliud Monasterium, Monialibus applicatur Definitio Cap. 18. de Simon. ab ALEXANDRO III. desumpti, in Monachum simoniacè admissum.

Clement. 2. de Ætate, quæ suffragii jus in Capitulo adimit Canonicis tam Regularibus, quam Secularibus, qui Sacris Ordinibus non sunt initiati, nominatim comprehendens Canonicos jam receptos, in eo interpretatur Canones, qui jubent eos, qui Ministerio Sacro per Clericatum se addicunt, se in suo Statu utiles exhibere, quod fieri nequit sine Ordinum Sacrorum susceptione.

Si Cap. 31. de Rescriptis rescindit Rescripta Gratia impetrata, sine mentione Rescriptorum anteriorum ejusdem generis, perindè atque ea, quæ in futurum impetrabuntur cum eadem omissione, id fit, quia Cap. 20. ejusdem Tituli jam irrita declaraverat, vel fecerat Rescripta, quæ impetrarentur tacitis iis,

quæ Pontificem à concessione petita Gratia avertere potuissent.

Cap. 7. de Elect. §. 2. executioni mandat Canones, qui jam quosdam Ordines quibusdam Beneficiis assignaverant, atque ideò suam dispositionem extendit ad eos, qui illa jam possidebant.

C. 32. de Præb. in VI. Beneficiis Regularibus accommodat Decretum CONCILII LATERANENSIS IV. C. 28. de Præb. relatum, in pluralitatem Beneficiorum incompatibilium.

C. ult. de Filiis Presbyt. quod Illegitimis adimit Dignitates & Personatus, quos absque dispensatione Sedis Apostolicæ possidebant, id statuit consequenter ad Canones, qui eos Beneficiorum incapaces declarabant, & maximè Prælaturarum, inter quas numerabantur Dignitates, Personatus, aliæ Beneficia, quibus annexa erat Jurisdicção aut Præcipientia, & consequenter ad nonnullos Canones, qui Pontifici reservare videntur dispensationem Legum Ecclesiæ Universalis.

Idem fit Judicium de Cap. 1. de Consuetud. in VI. quod astringit eos, qui plura Beneficia incompatibilia possidebant absque dispensatione Sedis Apostolicæ, ad unum eligendum intrâ præfixum tempus, non obstante quacumque Consuetudine adversâ, quam corruptelam esse dicit: illud innititur Cap. 28. de Præb. quod Pontifici reservat ejusmodi dispensationem.

Suprà observavimus Textus, qui suam dispositionem ad præterita extendunt, ex eo docere, Legem præteritis non providere, nisi de iis in illâ nominatim caveatur: Occurrit difficultas, scilicet, cum Cap. 9. de Consecr. Eccles. vetuisset, committi reconciliationem Ecclesiarum pollutarum simplici Sacerdoti, se præterita tolerare dicit; Quoniam, inquiet aliquis, indè malè concluderetur, Legem ad præterita extendi, nisi moneat Legillator, se præteritis parcere: ita concludi non debet, quòd, cum Legillator in sua Lege præterita complectitur, ille per hanc cautionem significavit, Legem præteritis formam non dare, nisi nominatim iis provideat. Sed facilè tollitur illa difficultas, postquam vidimus Textus, qui pro Principio statuunt, Leges præteritis formam non dare, nisi nominatim de iis caveatur; nam indè sequitur, Canones, qui cautiones ejusmodi continent, id fecisse, ut obsequerentur Regulæ, sive Principio observato; Qui verò se præterita tolerare dicunt, id fecerunt ad tollendum omne dubium; hæc autem Responsio eò magis Textui opposito congruit, quòd usurpaverat Pontifex rationem, undè confici posset, reconciliationes à simplicibus Sacerdote factas, nullas fuisse, scilicet, quia res ad potestatem Ordinis pertinentes non possunt committi iis, qui Ordinem requisitum non habent: monere ergò debuit Pontifex, se præterita tolerare, ne concluderetur, reconciliationes à simplicibus Sacerdotibus factas, irritas esse, ac proindè ab Episcopis iterandas.

SECTIO XIII.

Quomodò conciliari debent Textus, qui vetant auctoritatem præstare rebus, quas permittunt; cum iis, qui absolutè permittunt.

Omnes Textus, qui abrogant aliquam Legem Præceptivam, aut Prohibitivam, ex eis sunt, qui absolutè permittunt. ALEXANDER III. C. 1. de Cognat. Spirit. commemorat Canonem, qui permittit Matrimonium inter Filios Compatrum, antè vel post Compaternitatem natos, alios quam ea persona, per quam ad Compaternitatem venit, quod Canon anterior vetuerat. Can. 8. de Consang. plures Nuptiarum species antea vetitas probat. Idem facit CONCILIIUM TRIDENTINUM Cap. 2. 3. 4. Sess. XXIV. de Reformat. Matrimonii. Quod dicitur de Canonibus, extenditur ad Consuetudines, quæ abrogant præcepta vel prohibitiones; nam sublata obligatione

tionem à Canonibus impositâ, licet omittere actionem præceptam, licet facere vitatam; Idem est de Textibus, qui nominatim concedunt dispensationem quarundam Legum in certis circumstantiis. C. 18. de Prab. C. 1. de Consuetud. in VI. C. 1. de Fil. Presbyt. *ibid.* C. ult. de Fil. Presbyter. apud GREGORIUM IX. C. 5. SESS. XXIV. de Reform. Matrimon. Can. 4. DIST. III. etiam loquitur de permissione absolutâ, dicens, omnem Legem aut permittere, aut jubere, aut prohibere; & afferens in exemplum Legis permissivæ; *Vir fortis præmium petat*, quod producit ad omnem, qui præmio dignus est.

Inter Textus Posterioris generis, collocari possunt omnes, qui jubent quædam dissimulari, quorum Multi collecti sunt, ubi de tacitis Dispensationibus actum est, & in Regulis circa Dispensationes; tale est Cap. 6. de Consanguin. quod loquitur de Matrimonio inter Cognatos confirmato per Dispensationem Pontificiam ex falsâ expositione impetratam; sed omnibus insignis est Cap. 3. de Cognat. Spirit. ALEXANDER III. scribens ad Episcopum Vigiliensem de Matrimonio contractis inter Filios Compatrium, antè vel post Compaternitatem, dicit, ea ab eo dissimulari posse, si Consuetudo Provinciæ hujusmodi Matrimonia permittat, ita ut nec eis contradicat, nec assensum præbeat. *Verùm, si de Consuetudine haberetur, ut talia conjugia sustineantur & permittantur, tu in eadem Ecclesiâ dissimulare poteris, ita ut nec contradicere, nec tum præstare videaris assensum, quia sicut grave est, Antiquam Consuetudinem circumadjacentium Ecclesiarum super his contemnere, sic quoque gravius videtur, si propterea hujusmodi conjugis tuum indulgeres assensum, cum possit in exemplum assumi.*

Oppositio hujus Textus cum superioribus, eò insignior est, quòd idem PONTIFEX C. 1. de Cogn. Spirit. nominatim approbat ejusmodi Matrimonia; hic verò ea velut rem merè tolerabilem intuetur. Sed cum probabile non sit, Pontificem secum pugnare, credibile est in Cap. 3. agi de Matrimoniis Filiorum post Compaternitatem natorum cum iis, per quos ad Compaternitatem ventum fuerat, vel Jus Commune Angliæ fuisse, ut rescinderent Matrimonia Filiorum natorum antè, vel post Compaternitatem, quo in casu Matrimonia ejusmodi dumtaxat tolerat Pontifex; sed quoquomodo accipiatur hæc oppositio, & nostra solutio, constat, hoc C. 3. & C. 6. de Consang. adversari Textibus Prioris generis, qui absolute permittunt, hi verò ita permittunt, ut vetent, Prælatus suum præbere assensum. His Textibus adjecti potest Can. 9. CAUS. XXXI. QUÆST. I. desumptus ex Opere Imperfecto in MATTHÆUM S. CHRYSOSTOMO adscripto, qui fert, aliud esse præcipere, aliud permittere; *Quod enim præcipimus, semper placet; quod autem permittimus, nolentes permittimus*; inde enim intelligitur ratio, propter quam prohibetur assentiri quibusdam actionibus permissis Prælatus, atque hæc ratio viam ad Conciliationem sternit, scilicet dissimulandas esse actiones malas, quæ emendari nequeunt sine magno Scandalo, nec eis contradicendum esse, neque consentiendum. Autor hujus ultimi Textus de Secundis Nuptiis loquitur, quas improbat, atque honestam fornicationem nuncupabat, quæ licenter committitur: itaque permissio, de qua loquitur, ea est, quæ vocatur tolerantia, quæ locum habet, cum sustinetur Malum minus, ad vitandum majus, quod in duobus casibus evenire potest: Primus, est casus infractionis Legis, de qua Superior dispensare nequit, tuncque tolerantia non excusat à peccato: Secundus, est casus infractionis Legis, de qua Superior potest dispensare, & tunc tolerantia excusare potest à peccato, si dispensare dignetur Prælatus. De hac postremâ tolerantia intelligenda sunt Cap. 3. de Cognat. Spirit. & Cap. 6. de Consang. &c.

TITULUS VIII.

De Legibus sive Constitutionibus Ecclesiasticis.

I. Canones Patrum, vim Legum habere oportet. *De Juramento Calumnia Cap. Inherentes. §. ejus itaque* LIB. II. DECR. TIT. VII. C. 1.

II. Quæ ad perpetuam utilitatem, generaliter instituta sunt, nullâ commutatione variantur: nec ad Privatum trahantur Commòdum, quæ ad Bonum Commune sunt præfixa: nemo injustè usurpet alienum, sed intrâ fines proprios, in latitudine se exerceat Caritatis.

III. Pagani sive Infideles Constitutionibus Canonicis non arcantur: Quid enim ad nos, secundum Apostolum, de his, qui foris sunt, judicare? *De Divortiiis. Cap. Gaudemus. §. 1. init.* LIB. IV. DECR. TIT. XIX. Cap. 8.

IV. Non dignum est, ut Vir, qui scienter contra Canones venerit, lucrum de suo dolo reportet. *De eo, qui duxit Cap. Propositum est. §. 1. med.* LIB. IV. DECR. TIT. VII. Cap. 1. DIST. L. Cap. 58. *si ille. fin.*

V. Regulæ Sanctorum Patrum pro Tempore, Loco, & Personâ, & Negotio, instante necessitate, traditæ sunt. DIST. XXXIX. Cap. 2.

VI. Institutionis Apostolicæ Decreta perpetuâ stabilitate, & sine aliquâ refragatione servari debent, nec à quoquam Pontificum in totum vel in partem ea quâlibet occasione convelli debent vel mutari. CAUS. XXV. QUÆST. II. Cap. 7. *Institutionis. init.*

VII. Ea, quæ sunt ab Apostolis, eorumque Successoribus instituta, nullâ desidia negligantur, nullâ diffensione violentur, nullâ contestatione turbentur. *ibid. Cap. 11. Amputatio §. Sed neque.* LIB. DECR. TIT. VII. Cap. 2.

VIII. Uniuscujusque Synodi Constitutum, quod Universalis Ecclesiæ probavit assensus, nullam magis exequi Sedem præ cæteris oportet, quam Primam. CAUS. XXV. QUÆST. I. Cap. 1. *Considimus.*

IX. Qui contra Formam Canonum venire præsumperint, Canonicè sunt puniendi. *De Censib. Cap. Gravis. fin.* LIB. III. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 15.

X. Quòd non est Sanctorum Patrum Decreto sanctum, superstitionis non est adinventionibus præsumendum. *De Translatione Episcopi Cap. Inter Corporalia.* CAUS. II. QUÆST. V. Cap. 20. *Consulisti. med.*

XI. Prisca pro suâ reverentiâ manere debent Constituta, quæ ubi nulla, vel Rerum, vel Temporum, perurget angustia, regulariter convenit custodiri. DIST. IV. Cap. 1. *Priscis.*

XII. Illa, quæ non scripta, sed tradita custodimus, quæ toto Terrarum Orbe observantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesiâ saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri DIST. II. Cap. 12. *Illæ.*

XIII. Ne in aliquo Apostolica & Canonica Decreta violentur. DIST. LXI. Cap. 8. *Statuimus. init.*

XIV. Antiquitati Decreta Patrum sanxerunt reverentiam exhibendam, & evidenter asserunt Sacrorum Canonum Sanctiones. *De Translatione Episcopi Cap. Quarto* LIB. I. DECR. TIT. VII. Cap. 3.

XV. Ubi Canones contracti inveniuntur, secundum posteriorem Canonem debet observari. *De Cognatione Spirituali Cap. Utrum. fin.* LIB. IV. DECR. TIT. XI. Cap. 1. *Vide CONCIL. TOLET. III. an. 589. Cap. 1. TOM. V. CONCIL. 1000. ubi antiquiores Canones præferri videntur posterioribus.* Sed de hoc, dum de Conciliatione Canonum disceptabitur.

XVI. Quatuor Principalia Concilia sunt, quæ sicut Quatuor Evangelia Ecclesia Catholica veneratur. *De Renunciatione Cap. Post translationem* LIB. I. DECR. TIT. IX. Cap. 11.

XVII. Sancti Canones Sancti Spiritus instinctu ac dono dictati sunt, & ejus nutu & gratiâ editi. CAUS. XXV. QUÆST. I. Cap. 5. *Violatores.*

XVIII. Blasphemare Spiritum Sanctum non incongruè videntur, qui contra Sanctos Canones non necessitate compulsi, sed libenter aliquid aut protervè agunt, aut loqui præsumunt, aut facere Volentibus spontè consentiunt, *ibid. post. init.*

XIX. Antiquitati Patres sanxerunt reverentiam, CAUS. IX. QUÆST. III. Cap. 8. *Conquestus est, med.*

XX. Quotiescumque in Gestis Conciliorum discors sententia invenitur, illius sententia magis teneatur, cuius antiquior aut potior extat autoritas. CAUS. XXXIII. QUÆST. II. Cap. 11. *Hoc ipsum fm. §. in fine.* Hic Canon disponetur in Dissertatione de Canonum conciliatione.

XXI. Quicquid contra illorum Definitionem, in quibus Spiritum Sanctum credimus locutum, dictum fuerit; recipere non solum temerarium, sed etiam periculofum esse, non dubitandum. DIST. L. Cap. 58. *Si ille fm.*

XXII. Dominus noster per Prophetam locutus est dicens, *Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt Patres tui;* aliter ne fiat sub Anathematicis vinculo detestamur & contradicimus. *De Sepulturis.* Cap. *Nos Instituta.* §. 1. *fm. LIB. III. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 1.*

XXIII. Canonum Statuta custodiantur ab omnibus. *De Constit.* Cap. *Canonum LIB. DECR. TIT. II. Cap. 1. vid. §. 6. sequentium Regul.*

XXIV. Universale Concilium habet auctoritatem immediate à CHRISTO, cui quilibet cuiuscumque status & dignitatis, etiam si Papalis fuerit, obedire tenetur in his, quæ pertinent ad Fidem, & extirpationem Schismatis, & Reformationem Ecclesiæ Dei, in Capite & in Membris, ac pertinentibus ad ea. CONCILIIUM BASILEENSE approbatum in *Conventu Bituricensi, seu Pragmaticâ Sanctione TIT. IV. de Collationibus. Cap. placuit.*

XXV. Alma Mater Ecclesia plerumque nonnulla rationabiliter ordinat & consultè, quæ, suadente Subjectorum utilitate, postmodum consultius ac rationabilius revocat in meliusve commutat. *In VI. de Sent. Excom. Cap. Alma init.*

XXVI. Quædam sunt (in Ecclesiâ Statuta) quæ nulla possunt ratione convelli. DIST. XIV. Cap. 2. *Sicut. init.*

XXVII. Multa sunt, quæ, aut pro necessitate Temporum, aut pro consideratione Ætatum, oporteat temperari. *ibid.*

XXVIII. Alia, quæ per Loca Terrarum Regionefque variantur; totum hoc genus rerum liberam habet observationes. DIST. XII. Cap. 11. *Illa §. 1. alia.*

XXIX. Pleraque Capitula ex Causâ, ex Persona, ex Loco, ex Tempore consideranda sunt. DIST. XXIX. Cap. 1. *Sciendum est.*

XXX. Quod neque contra Fidem, neque contra Bonos Mores injungitur; indifferenter est habendum: & pro eorum, inter quos vivitur, Societate servandum est. DIST. XII. Cap. 11. *Illa §. 2. Quod enim.*

XXXI. Nulla Disciplina in his melior est gravi prudentique Christiano, quam ut eo modo agat, quo agere viderit Ecclesiam, ad quamcumque fortè devenit. *Ibid. §. 1. alia. fm.*

XXXII. Quod per Universæ Ecclesiæ Statuta firmatum est, vel unius Episcopi auctoritati, vel unius Provinciæ Concilio præferendum est. CAUS. II. QUÆST. VII. Cap. 35. *Puto. §. cum Petrus. fm.*

XXXIII. Omnibus modis Ecclesiasticæ Disciplinæ vel Moderationi conveniens est, ut quæ rationabiliter ordinata fuerint vel decisa, nullâ in posterum debeant refragatione turbari. CAUS. XXXV. QUÆST. IX. Cap. 1. *Omnis.*

XXXIV. Qui SS. Patrum Statuta, quæ apud nos Canonum nomine circumscribuntur, non indifferenter recipere vincitur, nec Catholicam & Apostolicam Fidem, nec Sancta Quatuor Evangelia utiliter & efficaciter ad effectum suum retinere vel credere probatur. DIST. XX. Cap. 1. *De Libellis. §. 1. Leo IV.*

Episcopis Britannia an. circ. 850. Vide Epistolam Concilii BRACCAR. III. an. 571. TOM. V. CONCIL. p. 895. SS. Patres nostri aut Generales Synodos &c. Canonum Statuta ab omnibus intemerata servantur. CONCIL. CABILLON. an. 650. Can. 2. TOM. VI. CONCIL. p. 388. Nihil Fidei sinceritas per diversitatem adversum incurrit, & unitatem Catholicæ Regulæ, varietas nulla discerpit. CONCIL. TOTET. X. an. 656. TOM. VI. CONCIL. pag. 459. Majorum Institutiones & SS. Patrum Decreta convellere; quid aliud est, quam vinculum Societatis CHRISTI abrumpere, & usurpatæ præsumptionis licentiâ Statum totius Ecclesiæ dissipare. CONCIL. TOLET. XII. Cap. 4. an. 681. TOM. VI. CONCIL. p. 1227. Constitutiones contra Canones, & Decreta Præsulum Romanorum, vel Bonos Mores, nullius sunt momenti. HADR. I. an. 785. Cap. 39. TOM. VI. CONC. p. 1835.

XXXV. Constitutio contra Consuetudinem Ecclesiæ non valet, nec in præjudicium aliorum. *De Constitutionibus* Cap. *Cum Omnes LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 6.*

XXXVI. Ecclesiastici rigoris ordo confunditur, si aut temerè illicita præsumantur, aut non concessa impune tententur. CAUS. XXXV. QUÆST. IX. Cap. 2. *Loc.*

XXXVII. Sacri Canones, & Concilia Generalia omnia, nec non alia Apostolica Sanctiones in favore Ecclesiarum, Personarum, Libertatis Ecclesiasticæ, & contra ejus Violatores editæ, exactè ab omnibus observari debent. CONCIL. TRIDENT. Sess. XXV. *de Reform. Cap. 20. med. CONCIL. apud Theodonis Villam an. 835. fm. ex LEONE I. TOM. VII. CONC. p. 1699. Convenerunt Episcopi Viri Sancti, statuerunt, illibatos conservari debere Sacros Canones. AGOARDUS Lugdunensis CONC. TOM. VII. p. 1530. fm.*

SECTIO I.

De Constitutionibus seu Decretalibus Romani Pontificis.

I. **P**apa Lex animata in Terris. GLOSSA in Cap. *Ab Arbitris init. in VI. De Officio Jud. Deleg. LIB. I. TIT. XIV. Cap. 11.*

II. Romanus Pontifex Jura omnia in Scrinio pectoris sui censetur habere. *In VI. de Constitutionibus* Cap. *Licet. init. LIB. I. TIT. II. Cap. 1.*

III. Romano Pontifici semper licuit novas condere Leges. CAUS. XXV. QUÆST. I. Cap. 6. *Sunt Quidam.*

IV. Sciendum verò summopere est, quia inde novas Leges condere potest, undè Evangelistæ aliquid & Prophetæ non dixerunt; ubi verò aperte Dominus vel ejus Apostoli, & eos sequentes SS. Patres sententialiter aliquid definiunt, ibi non novam Legem Romanus Pontifex dare, sed potius quod prædicatum est usque ad animam & Sanguinem confirmare debet. *ibid. CAUS. XXV. QUÆST. I. Cap. 6. Sunt Quidam & Cap. 8. Omne quod.*

V. Si Romanus Pontifex, quod docuerunt Apostoli & Prophetæ, destruere, quod absit, niteretur, non sententiam dare, sed magis errare convinceretur. *ibid.*

VI. Contra Statuta Patrum condere aliquid, vel mutare, nec Apostolicæ quidem Sedis potest auctoritas. *ibid. Cap. 7. Contrâ.*

VII. Decretum Papæ ligat Ignorantes. *In VI. de Præbendis. Cap. Quodam. GLOSSA colligit. fm. LIB. III. TIT. IV. Cap. 40. Textus hic contrarius videtur Cap. 2. de Constitut. in VI. nam docet Legem non ligare eum, qui illam sine suâ culpâ ignorat; sed non est, quia posterior loquitur de Decreto irritante, quod cadit immediate in Actum, illumque irritat, si fiat ab alio, quam ab illo, cui reservatur: sed de hoc dilucidius fusiisque, dum de Mandatis Apostolicis.*

VIII. Papa declarat Oraculo suæ Sanctionis *In VI. de Rato. Cap. unico LIB. III. TIT. XV. Cap. unico. post init.*

IX. Ex Decretali Papæ, quæ dicit, quòd talis res vix fit, colligitur evidenter, quòd fiat. *In VI. de*

de Cognatione Spirituali. Cap. Per Catechismum LIB. IV. TIT. III. Cap. 2.

X. Per Sedis Apostolica Oraculum edocemur. De Majoritate & Obedientiâ. Cap. Per tuas. LIB. I. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 7.

XI. Constitutio Apostolica Sedis omnes adstringit. De Constit. Cap. Quoniam in int. init. LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 13.

XII. Ab Apostolicis Institutis nullo recedatur excessu, quia post hoc, multum esse non poterit, si quisquam Apostolicas Regulas in aliquo crediderit negligendas. DIST. XI. Cap. 10. Hoc vestra.

XIII. Cum aliqua Decretalis, de qua merito Judex dubitat, allegatur, si Juri Communi sit consona, secundum eam non metuat judicare. De fide Instrum. Cap. Pastoralis. LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 8.

XIV. Non tam ipsius Decretalis, quam Juris Communis autoritate tunc Judex procedere videbitur. *ibid.*

XV. Si Decretalis illa Juri Communi sit dissona; secundum eam non debet Judex judicare. *ibid. fin.* Sed Superiorem consulat super eâ. *ibid.*

XVI. Decretales Epistolæ, quas Beati Papæ diversis Temporibus ab Urbe Româ pro diversorum Patrum consultatione dederunt, venerabiliter sunt suscipiendæ & custodiendæ. DIST. XIX. Cap. 1. Si Romanorum. §. Si ideo. *fin.*

XVII. Quæ Sedes Apostolica pro Catholicâ Fide, Profanis Dogmatibus, pro variis & multifariis Ecclesiæ Necessitatibus, & Fidelium Moribus, diverso Tempore scripsit, omni debent honore præferri, & ab omnibus prorsus in quibuslibet opportunitatibus, Discretionem, vel dispensationem Magistrâ reverenter assumi. DIST. XIX. Cap. 1. Si Romanorum. post init.

SECTIO II.

De Constitutionibus Episcoporum.

I. Constitutiones contra Canones & Decreta Præstulæ Romanorum vel Bonos Mores nullius sunt momenti. DIST. X. Cap. 4. Constitutiones.

II. Statuta quorumcumque Ordinariorum non ligant probabiliter Ignorantes; dum tamen eorum ignorantia crassa non fuerit aut supina. In VI. de Constit. Cap. Ut Animarum. LIB. I. TIT. II. Cap. 2. Quod dicit de Statutis Ordinariorum, locum habet in aliis Constitutionibus, quia nemo tenetur servare quod sine culpâ ignorat, & de hac Ignorantiâ fit sermo.

III. Prudentiæ suæ innititur, Qui ea, quæ sibi agenda vel dicenda videntur, Patrum Decretis præponit. De Constit. Cap. Ne imitaris. LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 5. Eodem recit. lit. quo 2. Pars Primi Cap. ejusd. Tit. Vide Epistolam 2. LEONIS IV. Cap. 6. TOM. VIII. CONC. p. 32. Episcopi & Presbyteri & Reliqui Clerus, cum ad Synodum convenerint, liberè eis tractare & statueri liceat, quæ SS. Patrum Canonica Censura decrevit. CONC. ROM. sub JOANNE IX. an. 904. Cap. 2. TOM. IX. CONC. p. 503.

IV. Statutum Episcopi non ligat ejus Subditos extrâ Diocesim ipsius. C. 2. Constit. in VI. Idem dic de Statutis Prelatorum Episcopo Superiorum quoad istorum Districtum.

V. Non licet alicui Episcopo vel Sacerdoti omnia Decretalia & Romanorum Pontificum Constituta, quæ de Ecclesiasticis Ordinibus & Canonum promulgata sunt Disciplinis, violare. CAUSA XXV. QUÆST. I. Cap. 9. & QUÆST. II. Cap. 18. Si quis Cap. 7. Institutionis.

VI. Circâ Statutum Ecclesiarum nihil immutari debet in absentia eorum, quorum interest. De Majoritate & Obedientiâ. Cap. Inter 4. LIB. I. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 8.

VII. Singuli Episcopi in suis Episcopatibus indicendi Populis suis Festivitates habent potestatem, non generaliter omnibus. De Consecr. DISTINCT. III. Cap. 1. *fin.*

VIII. Cum Religiosi ad Firmam fructus suarum Tom. I.

dare confueverunt Decimarum, si Dioecesani Locorum Statutum quoddam de hujusmodi Decimis non locandis Parochialibus Presbyteris ediderunt, per quod utilitas Monasterii non modicum impeditur; Statutum hujusmodi non obstante, suarum Decimarum proventus liberè locare possunt. De Locato & Conducto. Cap. Vestra. LIB. III. DECR. TIT. XVIII. Cap. 2. In integrâ. Gl. in verb. Statuto. Ratio. Statutum illud adversatur Juri Communi, cui Episcopus derogare non potest in præjudicium Subditorum, nisi isti consentiant.

IX. Episcopus in ipsâ Synodo non ducat aliquid statuendum, quod Canonicis obviet Institutis. De Majorit. Cap. Quod super his. med. LIB. I. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 9. Ratio. Episcopus illa servare tenetur, & curare, ut à Subditis serventur.

X. Archipresbyteri aliquid contra Episcopi Decretum ordinare non præsumant. de Off. Archipres. Cap. fin. Ut singula. fin. LIB. I. DECR. TIT. XXIV. Cap. 4.

SECTIO III.

De Constitutionibus factis à Capitulo.

I. Statutum de suppressione Officiorum Capituli à Sede Apostolicâ confirmatum, debet in suo robore permanere, nisi Canonici postea contraverint, aliquem in dictum Officium eligendo. De Constitutionibus. Cap. Cum accessissent. LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 8. Hinc sequitur, quod revocatur hujusmodi Statutum unico actu contrario, quia factum fuerat in utilitatem Capituli, quod Bono suo renunciare potuit.

II. Constitutio facta à Capitulo, etiam à Sede Apostolicâ confirmatum de figendo certo numero Canonicorum, intelligenda est, nisi in tantum excreverent Ecclesiæ Facultates, quod pluribus Canonicis possent sufficere competenter. *ibid.* Cap. Cum Ferrariensis. LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 9.

III. Non licet Canonicis Constitutionem facere de imminuendo, Canonicorum numero, non imminutis redditibus. *ibid.* Cap. Ex parte. seu Cap. 12. Id vetat inde sequens imminutio Cultus Divini.

IV. Statutum Capituli, quo Divinus Cultus sine causâ minuitur, etiam si fuisset à Sede Apostolicâ confirmatum, non valet. *ibid.* Cap. 12. Ex parte. Constitutioni suæ derogat Capitulum, quod, etiam protestando, agit, contra Constitutionem. *ibid.* Cap. 9. Cum Ferrariensis.

V. Statutum factum à Capitulo, continens inæqualitatem respectu proventuum Præbendarum, invalidum est, nisi omnes, quorum interest, consenserint. Cap. 6. de Constit.

VI. Capitulum sine consensu Episcopi Antiquas Ecclesiæ Consuetudines, seu Statuta mutare non valet. C. 9. de Consuet. Ex hoc Textu colligitur, quod in Ecclesia, omnia fieri debent de Consensu Episcopi & Canonicorum, nisi Consuetudo sit in Contrarium.

Inter illa, quæ dicta sunt de Statutis Capituli, non pauca sunt, quæ conveniunt cuivis alii Corpori, quia respiciunt Capitulum, prout Corpus est.

SECTIO IV.

Ad quæ se extendat Lex seu Constitutio.

I. Constitutio respicit tantum futura, & non præterita, nisi nominatim de præteritis, in eâ caveatur. De Constitutionibus. Cap. Cognoscentes. & Cap. Quoniam LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 2. & Cap. 13.

II. Quoties Novum, quod statuitur, ita solet futuris formam imponere, ut multis dispendiis præterita non commendet: ne detrimentum, antè prohibitionem, possint Ignorantes incurrere, quod eos postmodum dignum est vetitos sustinere. De Constit. Cap. Cognoscentes. §. LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 2.

e III. Ubi

III. Ubi aliquid alicui generaliter prohibetur; Quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum. CLEMENTINA I. *Exivi. de Verb. Signif.* p. 320. LIB. V. CLEMEN. TIT. XI. Cap. 1.

IV. Constitutio non ad præterita, sed futura extenditur. *De Constit. Cap. Quoniam.* §. 1. in it. LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 13.

V. Constitutio aliquandò extenditur ad præterita sive retrahitur. *De Usuris. Cap. Cum tu.* §. *Super his.* in it. LIB. V. DECR. TIT. XIV. Cap. 5.

VI. In Connexis, Quod de uno dicitur, necesse est, ut de altero intelligatur. *De Const. Cap. Translato.* LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 3.

VII. Plus solet timeri quod specialiter, quam quod generaliter inhibetur *Clementin. de Excessibus Prælatorum. Cap. Unico.* §. *Verum.* in. CLEMENTINARUM LIB. V. TIT. VI. Cap. Unico.

VIII. Plus timeri solet quod specialiter injungitur, quam quod generaliter imperatur. *De Hæreticis. Cap. Si adversus.* LIB. V. DECR. TIT. VII. Cap. 11.

IX. Omnis Lex aut permittit aliquid, aut vetat, aut punit, aut præmia moderatur, aut præcipit: DIST. III. Cap. 4. *Omnis.*

X. Nonnunquam intelligitur prohiberetur, quod non invenitur concessum. *De Translatione Episcopi. Cap. Inter Corporalia.* §. *Sed neque.* LIB. I. DECR. TIT. VII. Cap. 2.

XI. Ne Statutum ipsum fiat ludibrio, debitoque frustreretur effectu. *In VI. de Elect. Cap. Commissa.* §. 2. med. LIB. I. TIT. VI. Cap. 35.

XII. Et ne Lex non Rebus, sed Verbis, cum sit potius contrarium faciendum, imposita videatur. *ibid.*

XIII. Non tanto pondere prohibendi sunt Homines facere licita, quamvis non expediant; quanto pondere prohibenda illicita. CAUS. XXVIII. QUÆST. I. Cap. 9. *Sic enim.* §. 3. *His. Post. in it.*

XIV. Aliud est præcipere, aliud permittere: Quod enim præcipimus; semper placet: Quod autem permitimus; nolentes permitimus: quia ob malam Hominum voluntatem, ad plenum prohibere non possumus. CAUS. XXXI. QUÆST. I. Cap. 9. *Hæc ratione.* in. *ex Correc. Rom. & Pitboei.*

XV. Quod in Quibusdam Casibus permittitur, in aliis prohiberi intelligitur. *De auctoritate & usu Pallii, Cap. Ex tuorum: Junctâ* GLOSSA verbo *casibus* LIB. I. DECR. TIT. VIII. Cap. 5.

XVI. Quod statuerit Qui Jurisdictioni præest, cum effectu accipimus, non verbo tenus. CAUS. XXXIII. QUÆST. III. *De Penit. Dist. I. Cap. 17. Hæc. in it.*

XVII. Verba Statuti accipienda sunt cum effectu. *De Clericis non residentibus. Cap. Relatum.* §. *Cum igitur.* LIB. III. DECR. TIT. IV. Cap. 4.

XVIII. Humanæ & Divinæ Leges, & Malis pœnam, & Bonis præmium, Justitiâ suadente, constituunt. CAUS. XXIII. QUÆST. V. Cap. 42. *Non vos. post. in it.*

XIX. Ad Privatum non trahantur Commodum, quæ ad Bonum sunt Commune præfixa. CAUSA XXV. QUÆST. I. Cap. 3. *Quæ. med.*

XX. Promptiora sunt Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum. *De Probationibus. Cap. Ex litteris.* §. *Quod si.* LIB. II. DECR. TIT. XIX. Cap. 3.

XXI. Violentos coërcere, non contra Legem est agere, sed Legi subsidium ferre. *De Privilegiis. Cap. sicut.* in. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 2.

XXII. Non subjacet Legi necessitas. *De observatione Fejuniorum. Cap. Consilium.* §. *Præterea.* LIB. V. DECR. TIT. 46. Cap. 2.

XXIII. Quod non est licitum - Lege, Necessitas facit licitum. *De Reg. Juris. Cap. 4.*

XXIV. Quod præcipitur imperatur, & quod imperatur necesse est fieri. *De Verb. Signif. Cap. In his.* §. *attendentes.* in it. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 15. Et CAUS. XIV. QUÆST. I. Cap. 3. *Quisquis.*

Si, quod Imperatur, non fiat aliquandò, pœnam habet. *ibid.*

XXV. Secundum Constitutionem observandum est,

dummodò nihil fraudulenter in præjudicium alterius procuretur. *Ibid. de Verb. Signif. Cap. Ex parte 3. fin.* LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 31.

XXVI. Cum quid prohibetur, prohibentur omnia, quæ sequuntur ex illo. *In VI. de Reg. Juris. Reg. 39.* LIB. V. TIT. *Ult.*

XXVII. Licet quod cautum fuit de uno, expressum fuerit de alio; propter expressam similitudinem, vel potius identitatem, debet de alio intelligi: cum de similibus idem judicium sit habendum. *De Translat. Episcopi. Cap. Inter corporalia.* §. 1. in. LIB. II. DECR. TIT. VII. Cap. 2.

XXVIII. Similis æquitatis ratio familia Jura suadere videtur. *De Confirmatione utili. Cap. Cum dilecta.* §. *Nos igitur.* GLOSSA colligit. verbo, *Ejusdem æquitatis.*

XXIX. Majora intelliguntur illis prohibita, quibus vetita sunt Minora. *De Sent. Excom. Cap. Cum illorum.* §. 1. *Primos.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 32.

XXX. Idem Jus in Minori Causâ fervari debet, sicut in Majori. *De Appellationibus. Cap. de Appellationibus.* GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. Cap. 11.

XXXI. A Jure Communi illa tamen excipiuntur, quæ per authentica Scripta dignoscuntur esse subtracta. *De Religiosis Domibus. Cap. Cum venerabilis.* §. *Quia igitur.* LIB. III. DECR. TIT. XXXVI. Cap. 7.

XXXII. Rescriptum confirmans Commune Jus, non tollit Privilegium. *De Officio Jud. Ordin. Cap. Grave.* GLOSSA colligit. Verbo *litterarum.* LIB. I. DECR. TIT. XXXI. Cap. 19. Vid. illam, id clarius explicat.

SECTIO V.

De Interpretatione Legum.

I. Quod generali Præcepto constitutum est, cui nulla exceptio invenitur, ab omnibus servandum est. *De Conjugio Leprosorum. Cap. Quoniam.* §. *Quod si.* in. LIB. IV. DECR. TIT. VIII. Cap. 2.

II. Quod de uno negatur, consequens intellectus patet, quia de quibusdam conceditur. DIST. XXV. Cap. 4. *Qualis. med.*

III. In Dubiis benigna debet fieri Interpretatio. *De Jurejurando. Cap. Ad nostram 3.* GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. XXIV. Cap. 21.

IV. Ubi in Canone seu Lege Ambiguitas est, Interpretatio necessaria est. *De Sent. Excom. Cap. Inter alia.* §. *Ut igitur.* 1. LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 3. in it.

V. Interpretatio Legis debet procedere, undè Jus prodit. *ibid.*

VI. Dum de Contractibus agitur, contra eum, qui Legem dicere potuit apertius, forsitan aptius est Interpretatio facienda. *In VI. de Reg. Juris seu Cap. Reg.* 57. LIB. V. TIT. *ult.*

VII. Sub eadem Litterâ sæpè latet multiplex Intellectus. EXTRAVAG. JOAN. XXII. *Quia nonnunquam.* De Verb. Signif. §. *Nos autem.* in it. EXTRAVAGANTIUM JOAN. XXII. TIT. XIV. Cap. 2.

VIII. Cum agitur de Correctione Juris Veteris, eo casu, secundum proprietatem Verborum duntaxat procedendum est. BULLA LXII. PII V. *Ad Romanum.* §. 2. *med. an.* 1568. *Bullarii Tom. II. p. 257.*

IX. Expedit Jura Juribus concordare, & eorum Correctiones, si sustineri valeant, evitari. *In VI. de Elect. Cap. Cum expediat.* in VI. LIB. I. TIT. VI. Cap. 29.

X. Cum peculiare aliquod est Statutum, & ita intelligi potest, quod per illud nec Juri Communi nec Privilegio derogetur, secundum illud judicandum est. *De Consuetudine. Cap. Dilectus.* §. *Quia colligitur.* LIB. I. DECR. TIT. IV. Cap. 8.

XI. Propter Scandalum aliquandò receditur à Jure. *De Jure Patronatus. Cap. Quoniam. med.* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXXVIII. Cap. 3.

XII. In His quæ ad Cultum Divinum facere dignoscuntur, non maligna, sed benigna potius est interpretatio facienda. *De Privilegiis. Cap. In his.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 30.

Natura termini restrictivi hoc habet, quod sic excludit

excludit extranea, quòd cuncta ad ipsum pertinentia concludit. *Clementinà* 1. *exivi* §. 3. *Cùm igitur. med.* De Verb. signif. LIB. V. TIT. XI. Cap. 1.

Cætera, quæ interpretationem Legum spectant; collecta habes in Sect. præced. & in Tit. de Verb. Signif. His præterea addenda, quæ sequuntur.

XIV. In Statutis Canonorum numerum præfigentibus, subintelligenda conditio, nisi ita accreverint reditus, ut plures honestè sustentari possint. *C. 9. de Constitut.*

XV. Statuta pœnalia contra Contumaces, quibus privantur juribus, quibus gaudent illorum Socii, sine determinatione Temporis, restringenda ad illud, quo Mandatis parere offerunt. *C. 11. ibid.* etiam si juramento sint confirmata, ideòque post satisfactionem congruam, iterum ad fruitionem jurium, quibus privati fuerunt, admittendi sunt.

Ratio hujus interpretationis, est quod causâ cessante, cessat effectus, contumacia autem fuit causa privationis incurse, debet ergò cessare pœna cum cessatione contumaciæ; mensuranda enim est pœna delicto, delictum non durat cessante contumaciâ, ideòque pœna quoque cessare debet. Ita *Gonzalez.*

XVI. Constitutiones ambiguae, etiam in re favorabili, extendi non debent ad præteritum *C. 13. de Constitut.* Id docet exemplo suo GREGORIUS IX. cùm interpretans Constitutionem, quâ jusserat, ut in perceptione Portiones majores præferrentur aliis, declarat in præterito locum non habere, quamvis maximè favorabilis esset.

XVII. Quandò Legislator utitur his verbis, *Volumus, Nolumus* in Constitutionibus, quibus explicat Jus Naturale; hæc verba idem hic significant, quod *Declaramus*, ideòque hæc Constitutiones præteritum, ut futurum, contingunt.

Hujus generis est Caput 2. de Constitut. in VI. ubi BONIFACIUS ait, se nolle, ut Constitutiones ligent Ignorantes; hoc enim est Juris Naturalis verantis, ne Quis ad impossibile obligetur, qualis est adimpletio Legis ignota.

SECTIO VI.

De Revocatione, Derogatione, ac Cessatione Legum.

I. PRO Subjectorum utilitate revocandæ sunt Leges & in melius commutandæ. in *VI. de Sent. Excom.* Cap. *Alma. init.*

II. Ratio postulat, ut illis, quæ benè constituta sunt, contrariis Ordinationibus non detrahatur. CONC. TRIDENT. SESS. XXV. *Decreto de Reformatione* Cap. 5. *init.*

III. Anteriora Jura, cùm per novum immutata non fuerunt, debent observari. in *VI. de Electione.* Cap. *Constitutio.* LIB. I. TIT. VI. Cap. 41.

IV. Lex Superioris per Inferiorem tolli non potest. CLEMENTINARUM de *Electione.* Cap. *Ne Romani. post init.* LIB. I. CLEMENTINARUM TIT. III. Cap. 2.

V. Lex tollens Statuta, non tollit Pacta, vel Privilegia, nisi de eis faciat mentionem. in *VI. de Electione.* Cap. *Quia sepè.* §. *Nos ipsorum.* Eruitur ex GLOSSA LIB. I. TIT. VI. Cap. 40. & ex *C. 1. de Constitut. in VI.* quia Pacta & Privilegia sunt quid facti; & iis, quæ sunt facti, non derogat Lex nova sine illorum expressa mentione.

VI. Constitutio Posterior Generalis, Priorem directè contrariam, quamvis de ipsâ mentionem non faciat, revocare noscitur. in *VI. de Fide & Summâ Trinit.* Cap. *Licet Romanus* LIB. I. TIT. I. Cap. 1. idque, quia Conditor omnia Jura in scrinio pectoris sui habere censetur.

VII. Constitutio Posterior non derogat Statutis, aut Consuetudinibus Particularibus; dum tamen sint rationabilia, nisi expressè in eâ caveatur, utpotè

Tom. I.

quæ, cùm sint facti, & in facto consistant, à Conditor probabilitè ignorari possint. *ibidem.*

VIII. Qui Jurisdictioni præest, si, cùm vellet statuere, prohibitus sit, nec effectum Decretum habuit; cessat Edictum. CAUSA XXXIII. QUÆST. III. de *Pœnit. Dist.* I. Cap. 17. *Hæc. init.*

IX. Quod Necessitas pro remedio reperit, cessante necessitate debet utique cessare. CAUSA I. QUÆST. VII. Cap. 7. *Quod pro.* §. *quod.*

SECTIO VII.

De Dispensatione à Legibus Ecclesiasticis.

I. PER importunitatem nimiam non concedenda multoties conceduntur, & per ambitionem plurimam extorquentur. in *VI. de Concessione Præb.* Cap. *Detestanda.* §. *Sanè.* LIB. III. TIT. VII. Cap. 2.

II. Multa sunt, quæ Dispensationem inducere videntur; Litterarum Scientia, Morum honestas, vitæ Virtus, & fama Personæ. De *Electione.* Cap. *innotuit* LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 20.

III. Faciliùs dispensatur cum aliquo, ut ad majorem transeat Dignitatem, quàm ad parem vel minorem, propter majorem utilitatem. De *translatione Episcopi* Cap. *Licet* LIB. I. DECR. TIT. VII. Cap. 4.

IV. Dispensatur cum iis, qui in aliis Ecclesiæ Servitiis valdè utiles fuerint. De *etate & qualitate Ordinandorum.* Cap. *Quæris.* LIB. I. DECR. TIT. XIV. Cap. 6.

V. Non dignus est, qui Ecclesiæ benignitatem facilè experiatur, cujus salubria Præcepta temerè contempnit. CONC. TRIDENT. SESS. XXIV. de *Reformatione Matrimonii.* Cap. 5. *med.*

VI. Dispensationes extrâ Romanam Curiam committantur Ordinariis illorum, qui eas impetraverint. CONC. TRIDENT. SESS. XXII. de *Refor.* Cap. 1. *init.*

VII. Sciant Universi, Sacratissimos Canones exactè ab omnibus, & quoad ejus fieri poterit, indistinctè observandos. CONC. TRIDENT. SESS. XXV. de *Reformatione* Cap. 18.

VIII. Si urgens justaque ratio & major quandòque utilitas postulerint, cum aliquibus dispensandum esse; id, causâ cognitâ, ac summâ maturitate, atque gratis, à quibuscumque, ad quos Dispensatio pertinebit, erit præstandum. *ibid.* Cap. 18.

IX. Aliter facta Dispensatio, subreptitia censeatur. *ibid.* Cap. 18. *fin.*

X. Si per Priores Litteras cum aliquibus Clericis Episcopus dispensaverit, Dispensatio illa P. steriorum Litterarum intuitu non debet irritari. De *Filiis Prasbyter.* Cap. *Ex tuâ.* §. *Super.* LIB. I. DECR. TIT. XVII. Cap. 9.

XI. Quamvis misericordiæ intuitu, magnâque necessitate cogente, aliquam Dispensationem constituat Sedes Apostolica; nullum tamen præjudicium Sacris Canonibus fieri vult: sed obtineant proprium robur, & cessante necessitate, illud quoque cesset, quod pro necessitate factum est. CAUSA IX. QUÆST. I. Cap. 5. §. 4. *Quamvis.* *init.*

XII. Ubi Multorum strages jacet, ibi substrahendum est aliquid Severitati, ut addatur ampliùs Charitati. *ibid.* *fin.*

XIII. Utilitas & necessitas quantum ad Dispensationem parificantur. Cap. 4. de *Etate & qualif.* GLOSSA colligit.

XIV. In Dispensationibus causa necessitatis & utilitatis inspicere debet. Cap. 14. de *Sent & Re Jud.*

XV. Nobilitas & necessitas æquiparantur in Dispensationibus. *Clement. unic. de Baptismo.*

XVI. Ubi nulla perurgit necessitas, Constituta Patrum inviolata servantur. JOANNES VIII. in *Epist. relata* CONC. TOM. VIII. p. 1454.

XVII. Favor Fidei, & publica utilitas attendi debent in Dispensationibus. *C. 15. Qui Filii sint legitimi.*

¶ 2

XVIII. Nece-

XVIII. Necessitas vel Pietas non est sub Lege. C. 5. de Feriis.

XIX. Necessitas Legem non habet. *Can. sicut de Confecrat. Dist. I. C. 11. Consuetudo non subiacet Legi. C. 2. de Observat. Jejun. Quod non est licitum in Lege, necessitas facit licitum. C. 4. de Reg. Jur.*

XX. Si in dando quod majus est facilis fuit Caritas, fit facilius in concedendo quod minus est, sancta Largitas. *Can. 1. CAUS. XVI. QUÆST. I.*

XXI. Quæ pro tempore certarum remissa sunt consideratione causarum, antiquis deinceps custodienda sunt Regulis. *CAUS. I. QUÆST. VII. Can. 20. post med.*

XXII. Elapso tempore, quo durat Dispensatio, tenetur Quis Juri Communi se subicere, alioquin incurrit poenas à Jure statutas. C. 34. de Elect. in VI.

XXIII. Dispensatio non reddit licitum quod erat illicitum. C. 54. de Elect. GLOS. in verbo retinere, quod restringendum ad Dispensationem invalidam.

XXIV. Publicè expedit, Legis vinculum quandoque relaxare, ut plenius, eventibus casibus & necessitatibus, pro communi utilitate satisfiat. C. 18. Sess. XXV. de Refor.

XXV. Frequentius Legem solvere, exemploque potius, quam certo Personarum, Rerumque delectu, Petentibus indulgere, nihil aliud est, quam unicuique ad transgrediendas Leges aditum aperire. *ibid.*

XXVI. Discretio noscitur esse omnium Virtutum Mater. C. 1. de Offic. Custod.

XXVII. Utilius Scandalum nasci permittitur, quam Veritas, seu Jus Commune, indispensabile relinquatur. C. 3. de Reg. Jur. juncta Gloss.

XXVIII. Per Constitutionem factam à Prædecessore, non admittitur Successoribus dispensandi facultas. C. 20. de Elect.

XXIX. Aliquando cum eo, qui peccat, dispensatur, cum eo verò, qui non peccat, non dispensatur. C. 6. de Bigam.

Ceteræ Regulæ circa Dispensationes, quæ plurimæ supersunt referendæ, colliguntur in *Traçtatu speciali de Dispensationibus*, *Traçtatu de Jurisdictione Ecclesiastica* annexo veluti illius appendice. Quæ autem hic relatæ sunt, sufficere videntur ad ea, quæ scitu necessaria circa Dispensationes in genere consideratas, prout nunc duntaxat spectantur, docenda, probandaque.

SECTIO VIII.

De Potestate ferendi & mutandi Leges.

I. Extrà territorium Jus dicenti non paretur impunitè. *in VI. de Constitutionibus Cap. Ut Animarum Lib. I. Tit. II. Cap. 2.*

II. Prædecessor nullum Successoribus potest præjudicium afferre, qui pari imò eadem potestate functuri sunt. *de Elect. Cap. Innovit Lib. I. DECR. Tit. VI. Cap. 20.*

III. Non habet imperium Par in Pare. *ibid.*

IV. Lex Superioris per Inferiorem tolli non potest. *CLEMENT. Ne Romani in. de Elect. Lib. I. CLEMENT. Tit. III. Cap. 2.*

V. Novis morbis nova convenit antidota præparari. *Appendice CONC. LATER. Parte 23. Cap. 5. fin. Idem habetur. C. 5. de Juram. Calumn.*

VI. Non debet reprehensibile iudicari, si Canonum Conditor, Canones à se vel à suis Prædecessoribus editos, vel aliqua in eisdem contenta Canonibus, revocare, modificare vel suspendere studeat, si ea obesse potius viderit, quam prodesse. *Extravaganti JOANNIS XXII. Quia nonnumquam de Verb. significatione. Cap. 2. In. it.*

VII. Contrà diversa experimenta morborum, varia convenit medicamenta invenire. *ibid. Cap. 6.*

VIII. Supervenientibus novis morbis novas expedit invenire medicinas. *Appendice CONCILII LATER. Parte 31. Cap. 6.*

IX. Non debet reprehensibile iudicari, si secundum varietatem Temporum, Statuta quandoque varientur Humana, præsertim, cum urgens necessitas vel evidens utilitas id exposcit. *ibid. de Consanguinitate Cap. Non debet. LIB. IV. DECR. Tit. XIV. Cap. 8.*

X. Plerumque pariunt Novitates discordiam; præsertim, dum ab eo quod diu æquum visum est, per novam Constitutionem receditur; nec quare recedatur, utilitas evidens vel alia causa subest. *EXTRAVAGANTIUM COMMUNIUM Privilegiis. Cap. Inter cunctas. S. 1. Sanè fin. LIB. V. Tit. de Privilegiis. Cap. 1.*

XI. Quis aut Leges Principum, aut Regulas Patrum, aut Admonitiones Modernas dicit debere contemni, nisi qui impunitum sibi tantum æstimet transire commissum. *Dist. LIV. Cap. 11. Quis aut Leges.*

XII. Decessorum Statuta sicut legitima & justa Successorem custodire convenit. *CAUSA XXV. QUÆST. II. Cap. 19. Decessorum.*

XIII. Debet verò Successor Statuta malè facta corrigere. *ibid. fin.*

XIV. Justitiæ ac rationis ordo suadet, ut qui sua à Successoribus desiderat Mandata servari; Decessoris sui voluntatem & Statuta custodiat. *ibid. & CAUSA XXV. QUÆST. I. Cap. 25. Justitiæ.*

XV. Verbum *Satuit* Legem perfectam non ceptam significat. *CAUSA XXXIII. QUÆST. III. de Penit. Dist. I. Cap. 17. Hac. fin.*

XVI. Superior Reum se antè conspectum Divini Judicis noverit esse, qui nititur utiliter finita rescindere, ac roborata quolibet ausu violare. *CAUSA XXXV. QUÆST. IX. Cap. 2. Loci. post in. it.*

XVII. Si Superior ea, quæ malè usurpantur, negligenter omittit, excessus viam procul dubio aliis aperit. *ibid. fin.*

XVIII. Bonis Sacerdotum Moribus est inimicum, niti quempiam quacumque rationis excusatione, & quæ benè ordinata sunt rescindere, & exemplo suo docere ceteros sua quandoque post se Constituta dissolvere. *CAUSA XXV. QUÆST. II. Cap. 7. Institutionis. fin.*

XIX. Aliquando statuitur, ut Constitutio singulis annis in Communi Audientiâ aliquorum recitetur. *de Locato & Conducto. Cap. Ex Rescripto. fin. LIB. III. DECR. Tit. XVIII. Cap. 1.*

XX. Necessè est vigilantissimè providere repulso tempore, ut quicquid ab antiquis Patribus statutum de tramite Canonico quarumdam Personarum temeritate cernitur immutatum, revocetur in statum pristinum, ut possint malè admittà corrigi, & non admittenda damnari. *CONCIL. TURONENSE II. an. 567. in Præfat. Tom. V. CONCIL. p. 852.*

XXI. Magna est in severitate Pietas, per quam tollitur peccandi facultas: nam ubi infana Libertas generat vulnera, Sacerdotalis Districtio dat medelam. *ibid.*

XXII. Cessante causâ cessat effectus. *De Appellationibus. Cap. Cùm cessante. Lib. II. DECR. Tit. XXVIII. Cap. 60. in. it. & de voto. Cap. Magna. S. ult. laborem. Lib. III. DECR. Tit. XXXIV. Cap. 7.*

XXIII. Cessante prohibitione cessat effectus. *De Consanguinitate. Cap. Non debet S. Cùm igitur. Lib. IV. DECR. Tit. XIV. Cap. 8.*

XXIV. Generaliter omni Constitutioni derogandum est, quæ absque mortali peccato non potest observari. *De Præscriptionibus. Cap. Quoniam S. Cùm generaliter Lib. II. DECR. Tit. XXVI. Cap. 20. quod est ult.*

XXV. Quod pro necessitate temporis statutum est, cessante necessitate debet utique cessare. *CAUSA I. QUÆST. I. Cap. 41. Quod pro in. it. & CAUSA IX. QUÆST. I. Cap. 5. Ordinationes. S. ult. Quis, med.*

XXVI.

XXVI. Quod necessitate aliquoties indultum est, necessitate cessante, in autoritate summam non est permittum. CONCIL. ROM. sub JOANNE IX. anni 904. Cap. 3. TOM. IX. CONC. p. 503.

XXVII. Juri Communi per speciale Privilegium, vel contrarium Consuetudinem, aliquid detrahi potest. de *Judiciis*. Cap. *Novit*. LIB. II. DECR. TIT. I. Cap. 13.

XXVIII. Ad Conditorum Canonum non est dubium pertinere, cum Statuta à se vel Prædecessoribus suis edita obesse percipit potius, quam prodesse; ne ulterius obesse valeant, providere. *Extravag. JOANNIS XXII. Ad Conditorum de Verb. signif. Extravag. JOANNIS XXII. TIT. XIV. Cap. 3.*

SECTIO IX.

Quomodo utendum autoritate Legum, aliâque quavis simili in Responsis Canonicis.

I. IN Jure Canonico quædam sunt, quæ plurimum habent Faci, parum Juris. De *concessione Præbendæ*. Cap. *Cum nostris*. §. *Auditor*. GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. VIII. Cap. 6.

II. Autoritates, quæ adhibentur ad probandum Jus, licet aliquando diversæ sint, non tamen semper adversæ sunt. De *his, quæ sunt à majori parte Capituli*. Cap. *Apostolica*. LIB. III. DECR. TIT. X. Cap. 7.

III. CAUS. III. QUÆST. V. Cap. 15. (quod suspectum) NICOLAUS I. utitur autoritate *Justiniani*.

IV. Argumentis & Collationibus frequenter latens Veritas aperitur. *Extravagantium JOANNIS XXII. de Verb. Significatione* Cap. *Quia nonnunquam* §. 2. *nos autem*. in *seu Titulo XIV. Cap. 2.*

V. Romano Pontifici non est facile super aliquâ recertum dare Responsum, cum autoritates Sanctorum Patrum etiam sunt diversæ. De *Decimis*. Cap. *Cum sint*. LIB. III. DECR. TIT. XXV. Cap. 18.

VI. In hujusmodi dubitatione ad Consuetudinem recurrendum. *Ibid.* §. & *ideq.*

VII. Ubi Canon non excipit, nec nos excipere debemus. DIST. LV. Cap. 13. *Si Evangelia*. GLOSSA colligit. verbo *excepisse*. & CAUS. II. QUÆST. V. Cap. 20. *Consulisti*. etiam GLOSSA colligit.

VIII. Ubi Jus non excipit, nec nos excipere debemus. de *Conjugio Leprosorum* Cap. *Quoniam*. §. *Quod si*. in. GLOSSA colligit. LIB. IV. DECR. TIT. VIII. Cap. 2.

IX. Licet allegare Leges Principum. de *Testib.* Cap. *In nomine* GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. XX. Cap. 2. & juxta illas negotia Ecclesiastica judicare docet, *ibid.* S. GREGORIUS.

X. Jura Canonica & Civilia sequentes districtius inhibemus. C. 28. de *Testib.* ab INNOCENTIO III. de sumptum.

XI. Lex Secularium Principum Responso Canonico aliquando efficax affert Argumentum. De *Sent. Excom.* Cap. *In audientia*. in. LIB. V. DECR. TIT. XXIX. Cap. 25.

XII. Argumentum à contrario sensu valet aliquando in Juribus. De *Frigidis & Maleficiatis*. Cap. *Fraternitatis*. GLOSSA colligit. verbo *nos autem* & verbo *solutam*. LIB. IV. DECR. TIT. XV. Cap. 6.

XIII. Cum hoc sit in Jure Civili expressum, quod licitè fieri possit, Respondemus. De *Causâ Possess.* Cap. *Ad ultimum* in. LIB. II. DECR. TIT. XII. Cap. 2. CÆLESTINUS III.

XIV. Legali Provisione decretum est, tam momenti quam proprietatis causam, sub uno eodemque Judice debere cognosci. *ibid.* S. GREG.

XV. Utriusque Juris Argumenta nos docent ea, quæ in principio ad medium & ad finem; illa verò, quæ in medio ad finem atque principium, & ea, quæ in fine ad utrumque vel eorum alterum sæpè referri. In VI. de *Verb. signif.* Cap. *Exiit*. §. 5. in *primis* Tom. 1.

post medium. LIB. V. TIT. XII. Cap. 3. NICOLAUS III.

XVI. Cum Leges Sæculi hoc habent, quod valde videtur injustum, dicendum, quia Lege Dèi, non autem Lege hujus Sæculi vivimus. de *Testamentis*. Cap. *Filius*. LIB. III. DECR. TIT. XXVI. Cap. 5.

Vide GONZALEM in nota 5. ubi citat Textus, qui jubent, Leges Sæculares custodiri, alios qui vetant; conciliatque utrosque dicendo, quòd illi cadunt in Leges justas, isti verò in Leges injustas.

SECTIO X.

An & Quomodo Leges observari debeant?

I. QUI scit, se quibusdam esse Præpositum; sicut non vult gravis oneris sarcinam ferre, ita non audeat, alii importabile pondus imponere. CAUS. II. QUÆST. VI. Cap. 14. *Qui scit. medium*.

II. Parum esset condere Jura, nisi essent qui ea debita executioni demandarent. In VI. de *Statu Regularium*. Cap. *Periculoso*. §. *ult. & quomodo*. LIB. III. DECR. TIT. XVI. Cap. *unio*.

III. Dignum est, ut qui similem cum aliis vitam suscipiunt, similem sentiant in Legibus Disciplinam. de *Statu Monachorum* Cap. *Recolentes*. §. *Si enim*. LIB. III. DECR. TIT. XXXV. Cap. 3.

IV. Frustrà Legis auxilium invocat, qui committit in Legem. de *Usuris*. Cap. *Quia*. in *init.* LIB. V. DECR. TIT. XIX. Cap. 14. & de *Sent. Excommun.* Cap. *Contingit*. §. *verum in init.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 45. & de *Elect.* Cap. *Bona memoria*. in *int. med.* LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 23.

V. Quæ ad perpetuam utilitatem generaliter instituta sunt, nullà commutatione variantur. CAUS. XXV. QUÆST. I. Cap. 3. *Quæ ad perpetuam. in init.*

VI. In omni Edicto intelliguntur justæ excusationes. de *Sent. Excom.* Cap. *De Cetero*. GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 11.

VII. Non debet una eademque res, seu substantia, diverso Jure censer. de *Privilegiis*. Cap. *Quia circa*. §. *Super quo. fin.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 22. & de *Decimis*. Cap. *Cum in sua. fin.* LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 33.

VIII. Majus Bonum minori Bono præponitur. de *Regularib.* Cap. *Licet*. §. *Si verò*. LIB. III. DECR. TIT. XXXI. Cap. 18.

IX. Communis utilitas speciali utilitati præfertur. *ibid.*

X. Cum Leges fuerint institutæ & firmatæ, non licebit Judici de ipsis judicare, sed secundum ipsas. DIST. IV. Cap. 3. *In istis. fin.*

XI. Turpis est omnis Pars suo Universo non congruens. DIST. VIII. Cap. 2. *Quæ contra. in init.* De *Sponsâ duorum*. Cap. *Tuas*. §. *Ne verò* LIB. IV. DECR. TIT. IV. Cap. 5.

XII. In toto Partem contineri non est dubium in VI. de *Reg. Juris*. Regulâ 80.

XIII. Quod alii aggregatur, ipsius naturam imitari debet. de *Statu Monach.* Cap. *Recolentes*. §. *ceterum* GLOSSA verb. *Coaptent*. colligit LIB. III. DECR. TIT. XXXV. Cap. 3.

XIV. Quæ contra Leges fiunt, non solum inutilia, sed etiam pro infectis habenda sunt. CAUS. XXV. QUÆST. II. Cap. 13. *Imperiali. fin.*

XV. Quæ contra Jus fiunt, debent utique pro infectis haberi. In VI. de *Reg. Jur.* Regulâ 64.

XVI. Factum contra Legem prohibentem, vires non obtinet. in VI. de *Pœnitentiis* Cap. *Indulgentia*. GLOSSA colligit. LIB. V. TIT. X. Cap. 3.

XVII. Multa fieri prohibentur, quæ, si facta fuerint, obtinent roboris firmitatem. de *Regularib.* Cap. *Ad Apostolicam*. §. *Questionib. fin.* LIB. III. DECR. TIT. XXXI. Cap. 16.

XVIII. Illa nonnunquam finenda sunt, quæ, si ceterorum confet integritas, nocere sola non valent. CAUS. I. QUÆST. VII. Cap. 23. *Esti. in init.*

XIX. Quod potuit aliqua ratione concedi, fas non est semper impunè committi. CAUSA I. QUÆST. VII. Cap. 18. *Exigent. fin.*

XX. Illa sunt magnòperè præcavenda, quæ recipi, nisi manifestà decoloratione non possunt. *ibid.* Cap. 23. *Esfi. post init.*

XXI. Ea, quæ nullo detrimento aliquoties indulgenda creduntur, vel Rerum Temporumque cogit intuitus, vel acceleratæ provisionis Respectus excusat, aliquandò nullatenus mutilanda sunt. *ibid. fin.*

XXII. Illa nullatenus mutilanda sunt, quæ nec ulla necessitas, nec Ecclesiastica prorsus extorquet utilitas. *ibid. fin.*

XXIII. Cùm non habemus salvandorum omnium negotiorum penitus certitudinem, despiciamus ex iis quædam, ne cunctorum patiamur dispensia. *ibid.* Cap. 16. *Dispensationes. fin.*

XXIV. Quod legitime factum est non debet irritari, licet in eum Casum deveniat, à quo incipere non potuit. *de Jure Patronatus. Cap. de Jure* GLOSSA colligit. LIB. III. DECRET. TIT. XXXVIII. Cap. 16. R. 73. *de Reg. Jur.* in VI. ubi retractari pro irritari adhibetur, utpotè verbum hic synonymum.

XXV. Certum est, quòd Is committit in Legem, qui Legis verba complectens contrà Legis nititur voluntatem. *In VI. de Reg. Juris. Reg. 88.*

XXVI. Necessè est, ut quod contrà Legem actum est, non habeat firmitatem. *de Testib. Cap. In nomine. fin.* LIB. II. DECR. TIT. XX. Cap. 2.

XXVII. Pacto Privatorum Juri Publico non derogatur. *de Foro competenti. Cap. si diligenti.* LIB. II. DECR. TIT. II. Cap. 12.

XXVIII. Occasio Juris ad iniquum compendium trahi non debet. *De Appellationibus. Cap. Suggestum. fin.* GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 15.

XXIX. Non est rigor Juris, ex quo posset sequi Causæ perplexitas, requirendus. *ibid. de Appellationibus. Cap. Interposita. §. ult. sanè* LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 70.

XXX. In His, super quibus Jus non invenitur expressum, Æquitas servanda est. *De Transactionibus. Cap. Ex Parte.* LIB. I. DECR. TIT. XXXVI. Cap. 11. quòd est ultimum.

XXXI. Nonnulla pro utilitate communi contrà Juris asperitatem ex æquitatis mansuetudine tolerari noscuntur. *In VI. de Sententia & de Jud. Cap. Abbate. §. ult. Præfatus.* LIB. II. TIT. XIV. Cap. 3.

XXXII. Æquitas præfertur Juri aliquandò. *De in integrum Restitutione. Cap. Suscitata.* GLOSSA colligit. LIB. I. DECR. TIT. XII. Cap. 6.

XXXIII. Quod in quibusdam casibus permittitur, in aliis prohiberi intelligitur. *De autoritate & usu Pallii. Cap. Ex suarum* cùm GLOSSA verbo, casibus colligitur. LIB. I. DECR. TIT. VIII. Cap. 5.

XXXIV. Cùm Quid unà viâ prohibetur alicui, ad id aliâ viâ non debet admitti: *In VI. de Reg. Juris. Regula 84.*

XXXV. Possè suum faciens, Mandatum Legis adimplet. *De Pignoribus. Cap. significante.* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXI. Cap. 7.

XXXVI. Nemo debet decipi Legis autoritate, sive concessione Juris Utentibus illudi non debet. CLEMENTINARUM *de Rerum Permutatione.* Cap. unic. *init.* & GLOSSA colligit. CLEMENTIN. LIB. III. TIT. Cap. unico.

XXXVII. Quod Quisque juris in alterum statuit ipse debet eo uti. *De Constitutionibus. Cap. Cùm omnes* LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 6.

XXXVIII. Non debet alii Legem imponere, quam ipse negligit observare. *De Privilegiis. Cap. Petistis.* GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 20.

XXXIX. Debet cessare prohibitio alicujus rei, cùm is, qui prohiberi impetravit, ipsam temerè violat: ne videatur de aliorum stetu ridere. *ibid. colligitur.*

XI. Fraus Legi vel Canoni fieri non debet. *De Privilegiis. Cap. Quid. §. Nolentes.* GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 26.

XLI. Quod contrà Leges accipitur, per Leges dissolvi meretur. *DIST. X. Cap. 10. Vides.*

SECTIO IX.

De Legibus, quæ pœnam imponunt.

Quisquis præceptis non obtemperat, Reus est, & Debitor pœnæ. CAUSA XIV. QUÆST. I. Cap. 37. *Quisquis. init.*

II. Constitutio, quæ non exprimit pœnam privationis in perpetuum duraturam, eam imponit tantum, quamdiù duratura est contumacia. *De Constitutionibus. Cap. Ex Litteris.* LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 11.

III. Detrimentum seu pœnam nemo antè prohibitionem ignorans incurrit. *ibid. Cap. Quoniam.* LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 13.

IV. Quod est pœnale, restringi potius convenit, quam laxari. *In VI. de Electione. Cap. Statutum. fin.* LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 22.

V. Exigit Perverforum audacia ut non solâ delictorum prohibitionem contenti sint Superiores, sed etiam pœnam Delinquentibus imponant. *In VI. de Censib. Cap. Exigit. init.* LIB. III. TIT. XX. Cap. 2.

VI. Ad reprimendam malitiam Perverforum, pœnæ certæ sunt in Canonibus constitutæ. *De Officio Jud. Ordin. Cap. Ad reprimendam. init.* LIB. I. DECR. TIT. XXXI. Cap. 8.

VII. Nonnullorum Reçtorum negligentia, dùm spem impunitatis promittit, multam nutrire pestilentiam consuevit in Subditis. CLEMENTINA Gravi. *De Celebratione Missarum. ibid.* CLEMENTINARUM LIB. III. TIT. XIV. Cap. 1.

VIII. Provideant diligenter Prælati, ut salutare Statutum de Censurâ Ecclesiasticâ infligendâ, ad quæstum pecuniæ vel gravamen aliud non convertant. *De Officio Jud. Ordin. Cap. Irrefragabili. §. ult.* LIB. I. DECR. TIT. XXXI. Cap. 13.

IX. Dignum est, ut quos Dei timor à malo non revocat, Ecclesiasticæ saltem coërceat severitas Disciplina. *De Elect. Cap. Cùm in cunctis. §. Penult. fin.* LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 7.

X. Eos, quos ad observationem Jurium virtutum præmia non inducunt, tam adjectarum exaggeratione pœnarum, quam adjiciendarum de novo formidine, à temerariis ausibus refranare convenit. CLEMENTINA III. *Cupientes. init. de Pœnis. Lib. V. CLEMENTIN. TIT. VII. Cap. 3.*

XI. Qui non possunt per præmia induci ad observantiam Juris, debent per pœnas coërceci. GLOSSA.

XII. Est compescenda Malorum audacia, ut saltem pœnæ formidine retrahantur à noxiis, sicque Boni sectando virtutem, Meliores effecti, non cogantur cum illis perire. *EXTRAVAG. UNIC. DIERUM. JOANNIS XXII. de Pœnis. init. EXTRAVAG. JOANNIS XXII. TIT. XI. Cap. unic.*

XIII. Dignum est, ut Quos timor Dei à Malo non revocat, pœnarum moles in eos exaggerata compescat. *ibid. §. ult. fin.*

XIV. Quæ solâ admonitionis autoritate non corrigimus, necesse est, ut per severitatem congruentem Regulis vindicemus. *DIST. LXII. Cap. 2. Docendus est. med.*

Ceteræ Regulæ circa Pœnas in genere spectatas colliguntur, dùm de Pœnis de industria agetur in fine II. *Tomi hujus Operis*, ubi de illis in specie tractantes non pauca de iisdem generatim consideratis adjiciemus.

SECTIO XII.

De Lege Divina.

- I. Omnibus unus est Pater in Cælis; & unusquisque, Dives & Pauper, Liber & Servus, æqualiter pro se & pro Animabus eorum, rationem redduntur sunt: quapropter omnes cujuscumque conditionis sint, unam Legem quantum ad Deum habere non dubitamus. CAUSA XXIX. QUÆST. II. Cap. 1. Pastores advocat ab acceptione Personarum.
- II. Audi Legem Domini, cui obsequuntur etiam qui Leges ferunt. CAUSA XXXIII. QUÆST. II. Cap. 2. An quod. *fin.*
- III. Sciendum est, quia in Fide & Bonis Operibus Lex Christianorum subsistit. NICOLAUS I. ad Consulta Bulgarorum Cap. 1. TOM. VIII. CONCIL. p. 516.
- IV. Lex Æterna ita medio quodam loco posuit aliqua Hominibus, ut in eis usurpandis merito reprehendatur audacia, in exequendis autem jure obedientia laudetur. CAUSA XXIII. QUÆST. V. C. 15. Lex. *init.*
- V. Divinum Jus in Scripturis habetur. DISTINCT. VII. Cap. 1. Quo Jure. *init.*
- VI. Regnum Cælorum usque ad Mortem CHRISTI fuit omnibus oblatum. De Baptismo & ejus effectu. Cap. Majores. 2. Parte §. 2. ad id. *fin.* LIB. 3. DECR. TIT. XLII. Cap. 3.
- VII. Circumcisio tam Adultis, quam Parvulis, ex præcepto Domini conferebatur, *ibid.* *init.*
- VIII. Originalis Culpa remittebatur per Circumcisionem, & Damnationis periculum vitabatur; non tamen perveniebatur ad Regnum Cælorum. *ibid.* *fin.*
- IX. Damnata est illa Hæresis, quæ perperam affirmabat, Legem cum Evangelio, & Circumcisionem cum Baptismo, servandam. *Ibid.* De Baptismo &c. Cap. Majores. §. 2. ad id. LIB. III. DECR. TIT. XLII. Cap. 3.
- X. Multa tam de Verbis quam de Factis Dominicus invenimus, ab Evangelistis omiſſa, quæ Apostoli vel supplevisse verbo, vel facto expressisse leguntur. De Celebratione Missarum. Cap. Cum Marthæ. §. 2. Sanæ LIB. III. DECR. TIT. Cap. 6.
- XI. Ipsi Evangelistæ mutuo inter se supplevisse leguntur, quæ ab eorum aliquo vel aliquibus sunt omiſſa. *ibid.*
- XII. Prima Salus est, rectæ Fidei Regulam custodire, & à Conſtitutis Patrum nullatenus deviare. CAUSA XXV. QUÆST. I. Cap. 9. Prima.
- XIII. Per Scripturam Sacram Fidei Orthodoxæ probantur. Articuli EXTRAVAGANTIS JOANNIS XXII. Cùm inter. TIT. IV. Cap. 4.
- XIV. In Symbolis Articuli Fidei continentur. *ibid.* Cap. 5. Quia quorundam. §. 5. *fin.*
- XV. Directè ad Fidem aliquid non pertinet, cùm de hoc Articulus non est aliquis, nec sub quo valet comprehendere. EXTRAVAG. JOANNIS XXII. TIT. XIV. de Verb. Signif. Cap. 5. Quia quorundam. §. 5. Ex præmissis. *fin.*
- XVI. Ad Fidem nullus est cogendus invitus. CAUSA XXIII. QUÆST. I. Cap. 9. Prima.
- XVII. Reductè ad Fidem non pertinet, ne quasi hoc Scriptura Sacra contineat, quo negato, tota Scriptura redditur dubia. EXTRAVAG. JOANNIS XXII. *ibid.*
- XVIII. Id est Religioni Christianæ contrarium, ut semper Invitus & penitus Contradicens ad recipiendam & servandam Christianitatem compellatur. De Baptismo & ejus effectu. Cap. Majores. 4. Parte §. item. *queritur.* LIB. III. DECR. TIT. XLII. Cap. 3.
- XIX. Nullum Bonum nisi voluntarium, idcirco Dominus non ferendam in viâ virgam, per quam violentia ulli inferatur, præcepit. CAUSA XX. QUÆST. III. Cap. 4. Præfens. *post. med.*
- XX. Judæi non sunt cogendi ad Fidem, quam tamen, si inviti susceperint, cogendi sunt retinere. DIST. XLV. Cap. 4. Licet. *fin.*
- XXI. Judæi non vi, sed liberæ Arbitrii facultate, ut convertantur, suadendi sunt, non potius impellendi. *ibid.* Cap. 5. de Judæis. *med.* Append. CONCIL. LAT. ERAN. parte 20. *init.*
- XXII. Qui jam pridem ad Christianitatem coacti sunt venire, oportet, ut Fidem, quam etiam vi vel necessitate susceperint, tenere cogantur. *ibid.* *fin.* Quod intelligendum de coactione, quæ non tollit omnino voluntarium, sed minuit duntaxat; *ibid.*
- XXIII. Ad sempiternam Salutem nullus ducendus est opitulante mendacio. CAUSA XXII. QUÆST. II. Cap. 8. Primum. §. 1. non est. *fin.*
- XXIV. Scopus Dei Lex est, & qui Spiritu Dei ducuntur, Lege Dei ducuntur; & quis est, qui Spiritui Sancto possit dignè resistere. CAUSA XIX. QUÆST. II. Cap. 2. Dux. §. Lex. *med.*
- XXV. Lex Interior de renunciatione. Cap. Nisi enim pridem. §. 8. Sed dices. LIB. I. DECR. TIT. IX. Cap. 10. C. 18. de Regular.
- XXVI. Revelatio Divina superat omnem Legem. De conversione Conjugatorum. Cap. Ex parte tuâ. §. Nos autem. LIB. III. DECR. TIT. XXXII. Cap. 14.
- XXVII. Divina Revelatio, quæ Mos quandoque, interdum etiam Fas censetur. De Divortis. Cap. Gaudemus. §. Nec illi. LIB. IV. DECR. TIT. XIX. Cap. 8.
- XXVIII. Per Revelationem Divinam Jacob à mendacio, Israëlita à furto, Samson ab homicidio excusantur. *ibid.* Quod dicitur de mendacio Jacob eget fusiori explicatione, quæ remittenda est, dum de Decalogo.
- XXIX. Sic & Patriarchæ, & alii Viri Justi, qui plures leguntur simul habuisse Uxores, ab adulterio excusantur. *ibid.*
- XXX. Nemo debet tentare Deum suum, dum habet quod rationabili consilio faciat. CAUSA XXII. QUÆST. II. Cap. 22. *Queritur. med.*
- XXXI. Quod Dominus prohibet fieri, omnino non licet. CAUSA XXVIII. QUÆST. I. Cap. 8. Jam nunc. *post. init.*
- XXXII. Caritas est Fons proprius, cui non communicat alienus. De Regularib. Cap. Licet. §. ult. *fin.* LIB. III. DECR. TIT. XXXI. Cap. 18.
- XXXIII. Per Severitatem, imò & per Misericordiam Dei, Tribulationum flagellis solet perfidia castigari. CAUSA XXIII. QUÆST. V. Cap. 33. Ad fidem. *init.*
- XXXIV. Qualem te invenit Dominus, cum vocat, talem pariter & judicat. CAUSA XXXI. QUÆST. III. de Penit. DIST. I. Cap. 26. Numquid. *fin.*
- XXXV. Impossibilia sunt, non carere Visione Dei & cruciari in Gehennâ perpetuò, sibi que mutuo adversantur. De Baptismo & ejus effectu. Cap. Majores. 2. Parte. §. verum. LIB. III. DECR. TIT. XLII. Cap. 3.
- XXXVI. Nescientes, Quis pertineat ad Prædestinationum numerum, Quis non pertineat, sic affici debemus Caritatis affectu, ut omnes velimus Salvos fieri. CAUSA XXIV. QUÆST. III. Cap. 17. Corripiantur.
- XXXVII. Plus est Deo, quam Homini deferendum. De Sent. Excom. Cap. Relatum est. §. Quocirca LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 37.
- XXXVIII. Qui nulla ex rebus suis Pauperibus CHRISTI distribuunt, Paterni Judicis voce in futuro condemnabuntur. CAUSA XII. QUÆST. II. Cap. 39. Etsi. *init.*
- XXXIX. Eleemosyna Redemptoris nostri oculis illa placet, quæ non ex illicitis rebus & iniquitate congeritur, sed quæ de rebus concessis & bene acquisitis impenditur. CAUSA XIV. QUÆST. V. Cap. 7. Eleemosyna.
- XL. Creatura non habet, quid pro meritis respondeat Creatori. De Celebratione Missarum Cap. Cùm Creatura. *init.* LIB. III. DECR. TIT. XLI. Cap. 11.
- XLI. Non debet Spirituali Operi etiam Regalis præ-

ferri Præceptio, cum Primum in Ecclesiâ sit Mandatum, *Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex totâ animâ tuâ, & ex totâ virtute tuâ*; undè non debet Præcepto Domini Persona cujuscumque Homini anteponi, neque debet terrenæ conditionis Actio vel Persona terrere, quos Christus spe Crucis armavit. CONCIL. TURON. II. an. 567. *Vide ubi, de scandalo.*

XLII. In Officiis Caritatis primo loco illis tenemur obnoxii, à quibus beneficium nos cognoscimus recepisse. *De Testamentis. Cap. cum in. init. LIB. III. DECR. TIT. XXVI. Cap. 7.*

XLIII. Hoc & de Filiis atque Parentibus, hoc de Fratribus & Sororibus intelligitur, propter Christum omnes esse dimittendos, cum proponitur ista conditio, ut Christum dimittat, si illos secum habere desiderat: hoc igitur & de domo atque agris & hoc de iis rebus, quæ Jure pecuniario possidentur, accipiendum est. CAUSA XXVIII. QUÆST. I. Cap. 7. *Si Infidelis. med.*

XLIV. Non putemus in verbis Scripturarum esse Evangelium; sed in sensu: non in superficie; sed in medullâ: non in sermonum foliis; sed in radice rationis. CAUSA I. QUÆST. I. Cap. 64. *Marcion. fin.*

XLV. Verba rebus, non res verbis deservire debent; præfertur enim intentio verbis.

XLVI. Caritas ex Præceptis Divinis corde est exhibenda. CAUSA XI. QUÆST. I. Cap. 25. *Si qui Clericorum.* Quæ supra Sacras admittuntur Scripturas, autoritate & districtione Pontificali sunt reprimenda. *ibid.* CAUSA XI. QUÆST. I. Cap. 25. *Si qui Clericorum. fin.*

XLVII. Quisquis præceptis non obtemperat, Reus est & Debitor pœnæ CAUSA XIV. QUÆST. I. Cap. 3. *init.*

XLVIII. Præcepto Domini non obedire peccatum est. *ibid.*

XLIX. Consilio si uti nolueris, minus Boni adipisceris, non Mali aliquod perpetrabis. *ibid.* Quod præcipitur; imperatur: quod imperatur, necesse est fieri, si non fiat, pœnam habet. *ibid.* Ubi Consilium datur, Offerentis arbitrium est, ubi Præceptum, necessitas est Servientis.

L. Non tanto pondere prohibendi sunt Homines facere licita; quamvis non expediant, quanto pondere prohibenda illicita. CAUSA XXVIII. QUÆST. I. Cap. 9. §. 5.

LI. Aliud est Domini jubentis Imperium, aliud Confervi secundum Misericordiam Caritatis, quæ illi à Domino est inspirata atque donata, Fidele Consilium. CAUSA XXVIII. QUÆST. I. Cap. 9. §. 2. *init.*

LII. Aliud ibi facere non licet; hic autem licet. *ibid.* ipsum licitum partim quidem expedit, partim verò non expedit. *ibid.*

LIII. Aliud est præcipere; aliud permittere: quod enim præcipimus; aliud permittere: quod verò permitimus; nolentes præcipimus: quia malas hominum voluntates ad plenum prohibere non possumus. CAUS. XXXI. QUÆST. I. Cap. 9. *fin. junctâ Correctione Romanâ.*

LIV. Expedit tunc, quando non solum per justitiam, quæ coram Domino est, permittitur; sed etiam Homini nullum ex hoc impedimentum Salutis infertur. *&c. ibid.* Tunc non expedit id, quod licitum est, quando permittitur quidem, sed usus ipsius potestatis aliis affert impedimentum Salutis, sicut est discessio Fidelis Conjugis ab Infideli. *ibid.*

LV. Dicimus, melius esse, quod licet & expedit, quam quod licet & non expedit. *ibid.* §. 4. *fin.*

TITULUS IX.

REGULÆ.

Circâ Constitutiones ex Juris Textibus quoad sensum desumptæ cum ipsarum & præcedentium Decisionum explicatione.

Et si de Constitutionibus locuti fuerimus, dum Jus Canonicum cum Jure Civili contulimus, dum de Conciliis & de Canonibus egimus; de illis tamen nonnulla hic discutimus: tum, ut quæ omisa sunt suppleantur, tum, ut quæ obscure dicta sunt, explicentur. Examinabimus. 1. Quid sit Constitutio juxta totam latitudinem suam sumpta. 2. An & in quo à Canone differat. 3. An & in quibus à Statuto distinguatur, & cum illo conveniat. 4. In quibus casibus liget, in quibus non. 5. Quando mutanda, quando non. 6. An omnes sibi Subditos æqualiter liget. 7. In quo conveniat & differat cum aliis Legibus, Æterna, Naturali, Divina Positiva, Inspiratione Divina & cum Conciliis.

§. I.

Quid sit Constitutio juxta totam suam latitudinem considerata.

REGULÆ.

Constitutio, quoquo modo sumatur non est, aliud quam Scripta Lex, vel Universalis, vel Particularis.

RATIO: Vel fit à Supremam habente Potestatem, & tunc Universalis Lex est; vel ab alio, & tunc Lex est Particularis; sed diversa pro Condentis diversitate: si enim à Corpore, vel à Capitulo condatur, non ad alios ejus vis extenditur, quam ad eos, qui ad Corpus modo aliquo pertinent, id est, vel ut Domini, vel ut Subditi: si verò ab Episcopo, magis extenditur, nimirum ad Diocesim totam, quæ plura hujusmodi Corpora compluresque alios Subditos continet: si verò à Concilio Provinciali, adeo latè extenditur ac istud Concilium, nempe ad totam Provinciam, quæ plures Dioceses comprehendit. Quod de Concilio Provinciali legeris, ad Concilia Primatialia, Nationalia extendere licet.

In Tit. de Constit. apud GREGORIUM IX. sumitur Constitutio C. 1. 2. 3. 4. pro quacumque Ecclesiæ Lege Particulari, factâ vel à communi Civium Cœtu, vel à Canonicorum Capitulo, & C. ult. pro Lege Universalis. Apud BONIFACIUM verò VIII. sumitur pro Lege Universalis. C. 1. & pro Particulari C. 2. 3. restringitur Constitutionis nomen ad Legem Scriptam. DIST. XI C. 8. Leges Particulares vocantur Constitutiones.

§. II.

An Constitutio à Canone differat, & in quo.

REGULÆ.

Constitutio à Canone differt, sed non nisi in frequentibus.

1. Omnis Canon, dici potest Constitutio, quia omni in Canone credendum agendum-ve aliquid statuitur, sed Constitutio omnis dici non potest Canon, quia Canon sumitur tantum pro Lege Ecclesiastica, Constitutio verò significat quancumque Legem. D. 3. Sect. 1.

2. Sunt quædam Constitutiones, quæ fiunt in privatam Constituentium utilitatem, ut quæ fiunt à Capitulo in privatam Canonicorum commodum: Canones autem non fiunt nisi in publicam Ecclesiæ utilitatem. C. 89. de Const.

§. III.

§. III.

An Constitutio à Statuto differat & in quibus.

REGULA I.

Si Constitutio sumatur pro Lege Publicâ, Statutum verò pro Lege Privata, seu cuidam Corpori propria, distinguuntur inter se, sed non in aliis quàm istis.

1. *Constitutio* sic sumpta fieri nequit, nisi ab habente potestate non condendi Legem; *Statutum* verò ita consideratum ab alio fieri potest. 1. 6. 8. 9. ff. de *Const.*

2. *Constitutio* hujusmodi conditi non debet, nisi in Bonum Publicum; *Statutum* verò istud in Privatum fieri potest C. 8. 9. cit.

3. *Constitutio* hujusmodi non aboletur per unicum actum contrarium, alium à revocatione sive expressâ, sive tacita; *Statutum* verò illud tollitur per unicum actum contrarium. C. 8. 9. cit.

4. *Constitutio* à Superiore confirmata abrogari non potest, illo non consentiente; *Statutum* in privatum Corporis Commodum conditum abrogari potest in scio Superiore, à quo confirmatum est C. 8. de *Const.*

5. *Constitutio* per Contrariam revocatur, etsi posterior de priore sileat; at *Statutum* non tollitur per Constitutionem contrariam, nisi de illo mentionem faciat, dum tamen sit rationabile. C. 1. de *Const. in VI.* in quo hujus discriminis hæc affertur Ratio, quòd *Constitutio* sit quid Juris, Legislator autem omnia Jura in serinio pectoris habere censeatur; *Statutum* verò sit quid Facti, Facta autem à Legislatore probabiliter ignorari possunt.

REGULA II.

Etsi *Constitutio* & *Statutum* sic considerata in fine distinguuntur, in eodem tamen quoad aliquid conveniunt.

RATIO. Finis Constitutionis, est Publica utilitas Provinciae, vel Regni, finis verò Statuti est privata alicujus Corporis utilitas, idedque in fine distinguuntur; in eo, tamen conveniunt, quoad unum, nempe, quòd sicut *Constitutio* non valet, si in Commune omnium Subditorum Commodum non fiat, ita nec *Statutum* valet, si in Communem omnium Membrorum Corporis utilitatem non vergat. C. 6. de *Const.*

REGULA III.

Quamvis *Constitutio* à Superiore confirmata, & *Statutum* itidem à Superiore confirmatum, differant quoad modum, quo abrogantur, in hoc tamen quoad aliquid certo casu conveniunt.

RATIO. Si *Statutum* à Superiore confirmatum respiciat præcipuè Ecclesie utilitatem, ut si statuatur, quòd Canonici tot recipiantur, quot ferre possunt Ecclesie facultates, tunc *Statutum*, Confirmatore in scio abrogari nequit, factum est enim per confirmationem Confirmantis *Statutum*, ut rationatur PARNORMITANUS in C. 8. de *Const.*

REGULA IV.

Constitutio & *Statutum* primo & secundo modo sumptum, id est pro Lege Privata & pro Lege Publicâ, conveniunt etiam in sequentibus.

1. Tam *Constitutio*, quàm *Statutum* si privata sint, in se nulla sunt, à quocumque Superiore confirmata sint. C. 12. de *Const. integrâ* DECRETALI.

2. Utrumque declaratur ex Consuetudine. C. de *Consuet.*

3. Nec *Constitutio*, nec *Statutum* mutari possunt, nec nova induci à Capitulo, Episcopo non consentiente, si hinc Episcopo præjudicium inferatur. C. 9. de *Consuet. integrâ* DECRET. COLLECT. V.

4. *Constitutio* & *Statutum* de novo facta, futura non præterita respiciunt; nisi nominatim in eis de præteritis caveatur, vel Jus Vetus declarent. C. 2. & 13. Idem *Constit.* C. 7. de *Etate & qual. in COLL. I. de Præteritis cavent.* CLEM. I. de *Regular. & CLEM. 2. de Etate & qualit.*

5. Sicut à Constitutione, quam Papa confirmavit, Inferior dispensare, ita & derogare, Statuto ab eodem confirmato potest. C. 5. de *usur.* C. 8. 9. de *Constit.*

6. Quod de uno connexorum statuitur, sive per Constitutionem; sive per Statutum: ad aliud connexum extenditur. C. 3. de *Const.*

7. In omni Constitutione & Statuto subintelligitur conditio, sine qua justa esse nequeunt. C. 9. de *Const.*

8. Neutrum ligat ignorantes, qui scire non potuerunt. C. 2. de *Const. in VI.*

9. Utrumque, si sit pœnale, in dubiis benignius est interpretandum, undè potiùs restringendum, quàm extendendum C. 11. de *Const.* C. 22. de *Elect. in VI.*

10. Utrumque quibusdam in Casibus mutari potest, debetque. C. 4. 11. de *Rescript. in VI.*

§. IV.

Quibus Casibus liget Constitutio Ecclesiastica, quibus non.

REGULA.

Extrâ sequentes Casus semper ligat *Constitutio* Ecclesiastica. C. 7. 10. de *Const.* C. 12. de *Reb. alien.* C. 7. de *Immun. Eccles.*

1. Si fiat à Laico propria autoritate, etsi Ecclesie faveat, quod restringendum ad res Spirituali Potestati reservatas, in quibus Laicum manet obsequendi necessitas, non auctoritas imperandi. C. 10. de *Constitut.*

2. Si sufficienter non promulgetur, ut fieret; si v. g. *Constitutio* Concilii Provincialis vel Generalis extrâ Locum, in quo celebratum est, non publicaretur. Idem dic de Episcopi vel Pontificis Constitutione, quæ in Locis, ad quæ extenditur, non promulgatur. Ut autem sufficienter promulgetur, non requiritur, ut singulis intimetur, sed satis est, ut in Locis, in quibus Divina audiunt Subditi, publicetur. C. 1. de *Postulatione.* CONC. TRID. C. 1. SESS. XXIV. de *Matrim.* CONC. LAT. VI. C. 25. de *Accusat.* CONC. TOLET. C. ult. DIST. XVIII. quæ omnia jubent, ut conditi à se, vel ab aliis condendi Canones in Locis & coràm iis, ad quos extenduntur, promulgentur.

3. Si sciri non potuerit ab iis, ad quos extenditur, sine istorum culpa. C. 2. de *Const. in VI.* C. 2. C. 1. de *concess. Præb.* in VI. nec obstat.

4. Si in non Subditos fiat. C. de *Const. in VI. Statuto.*

5. Si Subditi extrâ Territorum Condentis demorentur. *ibid.*

6. Si prava in se sit, ut si quid contrâ Fidem vel Bonos Mores contineat. C. 4. DIST. X. C. 12. de *Const. in integro C. ult. de Præscript.*

7. Si urgeat illam non servandi necessitas. C. 2. de *Observo. Jejunii.*

8. Quando revocata est, vel expressè, vel tacitè, nimirum per contrariam C. de *Const. in VI.*

9. Si hujusmodi Constitutioni deroget Lex Spiritus Sancti, quæ dicitur Lex privata, ex eo quòd in Singulorum corde scribatur. C. 2. CAUS. XIX. QUÆST. II. C. 2. de *Locat & Cond.*

10. Si sit nociva.

11. Si circa res merè temporales fiat, dissentiente Supremo Principe. C. 13. *Qui filii legitimi*, in quo dicitur Supremus Princeps in Temporalibus nemini subijci nisi Deo.

Nota circa numerum primum hujus Regule, à Bono Principe de rebus sacris Leges duplici modo conditi possunt.

posse. 1. Si quid Spirituale præcipiat, vel vetet ab Ecclesiâ nondum præceptum vel vetitum: & tunc non aliam esse posse boni Principis intentionem, quam ut Ecclesiâ moveat, ad præceptum vel prohibitionem hujusmodi faciendam, Lege suâ testando, id ipsum præcipi vel vetari sese desiderare: undè Lex ista, cum potius sit Canonis constituendi propositum, quam Lex, non obligat, nisi ab Ecclesiâ probetur, hacque probatione in Canonem convertatur; Legis hujus generis exemplum affert INNOCENTIUS III. C. 10. *de Constit.* Desumit illud ex C. 1. DIST. XCVI. *Basilien* Prætorio Præfectus, ODOACRIS Italiae Regis Vices tenens, prohibuerat proprio motu, ne Ecclesiæ Ornamenta, ne Vasa Sacra alienarentur, irritam decernens, quæ in posterum fieret, alienationem, dicensque Anathema Facienti, Consentienti, Accipientique: *Concilium Romanum* sub SIMMACHO celebratum, Legem istam invalidam judicavit, ex eo potissimum, quod à Laico, cui nullam tribuit Deus circa res Sacras potestatem, propria autoritate facta fuerat. Odoacer Princeps bonus erat, Constitutione suâ condendum Canonem proponebat, ut conijcere licet ex Clausulâ, *si Amplitudini vel Sanctitati Vestra placet*: quare agnoscebant Patres, Legem justam esse & utilem, illamque posse, quodammodo subsistere; attamen evacuarunt, ne in exemplum traheretur à Principibus malis, sibi que inde circa res Sacras, quarum cura Sacerdotibus solis à Deo commissâ est, statuendi potestatem vendicarent.

2. A bono Principe cordi potest Lex circa res Sacras, in Canonem, qui de illis, jam constituti sunt, executionem; idque duplici etiam modo, nam vel præcipit solum, ut conditi Canones serventur, quo casu, cum Canoni Lex famuletur, non dubium, quin valeat; vel idem, quod Canon præcipit, jubens, aliquid adjicit sive in penam violati Canonis, sive in reparationem injustitiæ violatione istâ commissæ. Additamentum autem utrumque duplex esse potest; scilicet, vel Spirituale, vel Temporale; si Spirituale sit, Quod adjicitur non ligat, nisi ab Ecclesiâ probetur, illâve hortante adjiciatur; si Temporale, cum Canonum Protector, Custos, Executor à Deo constitutus sit Princeps, evidens est, eo casu Principis Legem circa res Sacras etiam propria autoritate conditam, ex se ipsâ valere.

Nulla est Lex sub *Tit. de Summa Trin.* in COD. JUSTIN. LIB. I. TIT. I. quæ in Canonum executionem condita non sit; nam Argumentum illarum merè Spirituale est, cum de Fide circa Myseria Trinitatis & Incarnationis tantum loquantur; sunt etiam inter illas nonnullæ, quæ penam infligunt merè spiritualem, qualis est Depositio. Lex 3. Lex 4. sunt ejus generis.

Hinc non valuit JUSTINIANI Lex, quæ præcipit, ut, si quis alium excommunicet, non probatâ causa, propter, quam Canones, id fieri jubent; Excommunicatus à Superiore absolvatur, & Excommunicator tamdiu Excommunicationi subiaceat, quamdiu Superiori isti visum fuerit; non valuit ista Lex, nisi Ecclesiæ hortatu condita fuerit, vel jam facta, ab eadem probata fuerit, aut, nisi quod jubet circa Absolutionem Excommunicati, ac Excommunicatoris, Patrum Canones jam jussissent, cujus rei Ratio clara est, Utrumque siquidem Spirituale est.

Hinc valuit Imperatoris FREDERICI Lex relata C. 3. *de Sent. Excom. in V.* COLLECT. quæ Lege jubet, ut, si qui propter Libertatem fractam excommunicatus est, per annum in Excommunicatione persisterit, eo ipso Imperiali Banno subjiciatur, id est exulet, donec suam ab Ecclesiâ obtineat Absolutionem. Quod enim Canoni Lex ista adjicit, non est nisi Temporale, ac consequenter Condentis potestatem non excedit. Idem dicendum de Lege ejusdem relata. C. *de Const. in ead.* COLLECT. quæ vetat, quod CONCILIIUM LATERANENSE sub INNOCENTIO III. vetuerat, penis additis merè temporalibus, confirmans, quantum in se est, penas ab isto Concilio promulgatas & cum prohibitionem contentas. C. 7. *de Immunit. Ecclies.*

Nota circa numerum 2. ejusdem Regule I. de Ecclesiasticis, circa res Temporales, Constitutionibus eodem planè modo discurrendum esse, ac de Secularibus, circa res Sacras, Legibus mox discurrebamus. Vel enim quod Ecclesiâ præcipit, vetatve circa res Temporales, à Legibus nondum præceptum est vetitumve; eoque casu proponit tantum Ecclesiâ ipsis Principibus, quid circa illas res constituendum judicet, atque propositione istâ ad istud constituendum excitat: hinc Canones hujusmodi nullam habent vim quantum ad id, quod temporale jubent, vel prohibent, nisi à Principibus recipiantur, vel ut fierent, consentiant. Undè inferre licet. 1. Non valuisse Canonem CONCILII CALCEDONENSIS relatum C. 17. CAUS. XVI. QUÆST. I. quo præcipit, ut Monachi extranei, qui sine causâ Constantinopolim adibant, ac ibidem debebant, per Ecclesiæ Defensorem ex Urbe expellerentur inviti, si per eundem Defensorem moniti sponte non abirent; Non valuisse, inquam, hunc Canonem nisi Legati Imperatoris Concilio assistentes, ut fieret, consenserint, vel nisi postea ab Imperatore probatus fuerit: Idem dicendum de C. 18. *ead.* CAUS. & QUÆST. quo PELAGIUS pseudo-Monachos per Defensorem in Insulam Reatinam deportari jubet. Idem quoque dicendum de *Can. 8.* DIST. XLV. quo CONCILIIUM BRACCHARENSE exilii penâ plegit Episcopos honorabiliora Membra sua verberibus subjicientes, & de C. 13. CAUS. XXVI. QUÆST. V. cujus Consequentia Ratio: Exilium est pena temporalis, ut agnoscat CONCILIIUM ANTIOCHENUM C. 2. *de Clero Excommunic. Ministr.* quo Maleficos Sacerdotes CONCILIIUM TOLETANUM perpetuo exilio plegit; Idem agnoscitur in C. *de Calumniator.* in quo S. GREGORIUS Subdiaconum, qui Diaconum calumniosè accusavit, in exilium deportari jubet: Hoc ita intellexit CELESTINUS III. C. 10. *de Judic.* & GREGORIUS IX. qui hæc loca in sua *Collectione* inferuit, utroque enim præcipitur, ut Brachium Seculare invocetur ad Reos etiam Clericos, exilio damnandos, & C. 10. *de Judic. cit.* vocatur pena legitima.

2. Non valuisse Constitutionem CONCILII TRIDENTINI relatum C. 19. SESS. XXV. *de Reform.* quæ etiam Duellum Committentes perpetuam infamiam, & Bonorum proseriptionem incurrit, nisi Principes per Legatos, dum fieret, probarint, vel postquam facta est, per se ipsos, vel ipsos Legatos valere consenserint. Idem dicendum de C. 17. *de Judic. & Sarrac.* in quo *Concilium Lateranense* sub INNOCENTIO III. celebratum rebus propriis privat, merces illicitas Sarracenis Deferentes, vel alias Vendentes; De C. 32. CAN. XXIV. QUÆST. I. in quo LIBERIUS præcipit, ut, Qui contra Pacem sunt Ecclesiæ, Cingulo nudentur, si sint Milites; res amittant, si Nobiles sint; si Ignobiles, verberentur, & exulent. De C. 22. CAUS. XXIV. QUÆST. III. in quo GREGORIUS Papa, cui tribuitur, præcipit, ut illius, qui in Episcopum vel Presbyterum manum mittit, vel qui Ecclesias Dei vastat, impugnat, incendit, Bona omnia publicentur; de C. 22. CAUS. XVII. QUÆST. IV. in quo ALEXANDER II. jubet, ut Bona illorum, qui Episcopum non canonicè judicatum comprehendunt, percutiunt, vel ex propria Sede expellunt, Ecclesiæ tradantur. Consequentia istius Ratio manifesta: Bona enim Temporalia, Jure Humano, Jure Principum reguntur. C. 1. DIST. VIII. Præterea CONCILIIUM LATERANENSE sub ALEXANDRO III. celebratum C. 6. *de Judic. &c.* agnoscit non obscure, ad Potestatem Temporalem pertinere Reos rerum suarum privatione multare, sicut & eosdem libertate privare, dum testatur, optare se, ut Qui merces prohibitas Sarracenis deferunt, per Principes & Consules Civitatum Bonis priventur suis, & si capti fuerint, Captivum Servi fiant. Idem dicendum de *Romanâ Synodo* sub LUCTO III. convocata C. 11. *de Hæret. in 1. COMPIL.* Cum enim aliquid temporale constitutura esset, suffulsi se FREDERICI Imperatoris autoritate & presentia, jubensque, confiscari Hæreticorum Bona Eccle-

Ecclesiisque, quibus deserviebant, dari; præceptum suum per Leges confirmat, quâ viâ insinuat, se propriâ autoritate tale quid non præcipere, sed Principum potestate.

III. Sine Principum consensu non valuisse Constitutionem *Tridentini Concilii* contentam C. 6. Sess. XXIV. de *Reform. Matr.* quæ jubet, ut Puella Raptor, ac omnes, qui Raptori auxilium, consilium favoremve præbent, sint eo ipso infames, omniumque Dignitatum incapaces.

Idem dicendum de Constitutione *Concilii Lateranensis* sub INNOCENTIO III. celebrati, relatâ, Cap. 13. de *Hæret.* qua Credentes, Receptatores, Defensores, Fautores Hæreticorum, si excommunicati intra annum non satisfecerint, fiunt infames, omniumque Officiorum incapaces, nec non & ad illa eligendi, testimonii ferendi in Judicio, agendi pro se vel pro aliis, Successionis accipiendæ, & per Testamentum in alios transmittendæ; Hanc etiam ob causam Imperator FREDERICUS Constitutionem istam utilem ratus, in Legem convertit, nonnullis detractis, quæ Potestati Spirituali tribuere videbantur, quæ soli Temporalis competunt; Refertur Lex FREDERICI in V. COLLECT. C. 2. de HÆRET. ab Honorio III. factâ, eisdem penè terminis concepta est, ac citata *Concilii Lateranensis* Constitutio, quoad illa, quæ utrique sunt communia, cumque illa isti posterior ex eo judicetur, quod Honorio III. in *Collectiōe suâ* nihil inferuit, quod post Innocentii III. mortem non sit constitutum, consequens est, ut Lex FREDERICI ex *Concilii Lateranensis* Constitutione desumpta sit.

Consequentiam tertiam justam esse patet ex eo, quod Officiorum, Actionum Juriumque Civilium capacitas à Jure Civili pendet, ideoque Infamiae poena, quæ ad illa omnia inhabilem reddit, à solâ Potestate Civili irrogari potest.

IV. Non valuisse Canones, qui Servituti iterum subijciunt Clericos, qui Missam per Horas Canonicas, pro Dominis, à quibus Liberi facti sunt, celebrare nolunt, nisi à Principe probati sint. C. 4. de *Servis non ordin.* prout in 1. *Compil.* inter illos Canones collocandus *Can. 1. CAUS. XVIII. QUÆST. I.* sumitur ex *Concilio* apud *Altheim* anno 917. celebrato, cui CONRADUS Rex adfuisse dicitur.

Sunt alia Constitutiones Ecclesiasticæ circa res Temporales, quibus Seculares Leges circa easdem res conditæ executioni mandantur. Tales videntur, 1. Canones qui Judæis prohibent, ne Servos Christianos habeant; qui à Judæis circumcisos, Servos Christianos libertate donant; qui Judæis Officia publicâ committi vetant, qui Servorum manumittendi modum præscribunt, qui Judæis Veteres Synagogas retinere permittunt, Novas construere prohibent. Quicumque Canones, qui jubent, vetantve quod Leges jam præceperant, vel veterant, ut videre est *LIB. I. LEG. 2. TIT. X. Cod. LIB. I. LEG. 18. TIT. IX. ibid LIB. I. LEG. 2. TIT. XIII. ibid.* Hæc in re Legum auctoritatem agnoscunt expressè. C. 13. *DIST. LIV. Cap. 1. de Servis non ord.* prout est in 1. *COMPIL. C. 3. de Judæis. Cap. 13. 18. DIST. LIV. Cap. 1. 2. 18. 19. de Judæis. C. 14. DIST. LIV. C. 16. de Judæis. C. 1. de Servis non ord. C. 3. 7. de Judæis.* præcipui sunt Textus, qui hujusmodi Constitutiones continent. 2. Canones, qui prohibent, ne Rei, Servi, Debitorum ad Ecclesias confugientes hinc per vim extrahantur. Præire hæc in re Leges Canonibus patet, ex *COD. JUSTIN. Lib. I. Lit. XII. collato cum Tit. XLIX. Lib. III. DECRETAL.* Præterea INNOCENTIUS III. C. 6. *istius Tit. de Immunitate Ecclesiarum*, illam ex Legibus oriri & juxta Leges de illâ judicandum docet. 3. Canones, qui Testamentorum executionem quoad Causas pias Episcopo tribuunt, si illam Hæredes neglexerint, quales sunt inter alios. C. 3. C. 17. de *Testam.* Agnoscit siquidem S. Gregorius in *Cap. 3. de Testam. mox cit.* memoratam Episcoporum potestatem à Civilibus Legibus emanare. 4. Canones, qui Clericos à Juramento Calumniæ exime-

bant; id agnoscit HONORIUS II. C. 1. de *Juramento Calumn.* In eo enim Privilegium istud refertur ad *Justiniani* Legem, quâ voluit, ut Canones Legis vim habeant, & ad *Henrici* Imperatoris Constitutionem, quâ, circa hujusmodi Juramentum, Legem istam servari præcipit. *Henrici* Constitutionis Pars inferitur in *cit. Cap.* Habetur integra in C. 1. de *Juram. Calumn.* in 1. *Compil.*

Quæ supersunt dicenda de Canonibus circa Res Temporales & de Legibus circa Res Spirituales fusiùs explicabuntur in *Disertatione speciali* circa utrumque Canonum vel Legum genus.

S. V.

Quando Constitutio mutanda, quando non.

Difficultatis hujus solutioni præmittendum est, inter Constitutiones Ecclesiasticas, nullas esse immutabiles, præter illas, quæ credendum aliquid vel agendum quiddam tanquam à Deo mandatum, præcipiunt, has autem esse immutabiles patere ex C. 2. 3. *CAUS. XXIV. QUÆST. I. C. 12. CAUS. XXV. QUÆST. II. C. 1. CAUS. XXXV. QUÆST. IX.* aliisque similibus, ubi, quæ semel definita sunt, non posse mutari dicuntur, hæc enim aliter, quam dictum est, intelligi non possunt.

REGULA.

Constitutiones mutandæ sunt, quoties necessitas vel utilitas Publica id exposcunt, præsertim, si siturgens necessitas, vel evidens utilitas: aliàs non sunt mutandæ.

Ex C. 2. *DIST. XIV.* inferri potest, item ex C. 8. de *Consang. & Affin. C. 24. de Sent. Excom. in VI. Extrav. g. 2. JOANNIS XXII. de Verb. Signif.*

RATIO: Eadem est mutandæ, ac condendæ Constitutionis causa, condenda autem non est Constitutio, nisi propter necessitatem vel utilitatem publicam. C. 41. *CAUS. I. QUÆST. I. C. 23. CAUS. I. QUÆST. VII.*

Ex primâ Parte sequitur, mutandas esse Constitutiones, 1. Quæ difficultatem frequenter inducunt, & aliquando periculum pariunt Animarum. *ibid.*

2. Quæ sine peccato, nullo modo, observari queunt. C. 20. de *Præscript.*

3. Quæ non sufficiunt ad curandos ingravescentes morbos; novis enim morbis nova antidota sunt præparanda. C. 5. de *Juram. Calumn.*

4. Quæ minus utiles succedente Tempore fiunt, vel esse deprehendantur. C. 24. de *Sent. Excom. in VI.*

Ex 2. Parte sequitur, 1. Constitutiones, quas diuturnitas Temporis observavit, ac usus Consuetudinis hætenus approbatæ retinuit, non esse mutandas; Novitates enim sine gravi causâ inductæ, discordiam pariunt; levisque non est Usus longævi auctoritas. C. 2. de *Constit. in integ. C. 9. de Consuet.*

2. Superiorem coram Deo Reum fieri, qui utiliter finita, benè ordinata ac quovis modo roborata, sine causâ justâ rescindit, hæcque dignum contumeliâ effici, ut, quæ ipse benè constituit, Successores sine causâ dissolvant. C. 7. *CAUS. XXV. QUÆST. II. C. 2. CAUS. XXXV. QUÆST. IX.*

S. VI.

An Constitutio omnes sibi Subditos aequaliter liget; & Qui sunt illi Subditi?

Ut Certa ab Incertis discernantur, Notandum.

1. Quod Constitutio, quæ fit in Juris Naturalis vel Divini Executionem, omnes ligat aequaliter, tam Superiores, quam Inferiores; cum omnes aequaliter subint utrique Juri, atque idcirco illa Condentem, ac sibi Subjectos comprehendit; De hoc genere Constitutionis intelligendus videtur *Canon. 2. DIST. IX.* docens, Principes teneri suis Legibus,

2. Confi-

2. Constitutio exequens aliam ab ipsius Condentis Superiore editam similiter, ligat aequaliter, tam Condentem, quam ipsi Subditos. *Ciratus Canon* huic Constitutionis generi accommodari potest.

3. Constitutio novum Jus condens circa res nondum præceptas, nec vetitas, ligat aequaliter Conditoris Subditos; sed cum sibi Legem imponere non possit, cum careat Jurisdictione in se ipsum, Condens in illâ non comprehenditur, eodem salem modo, quo sibi Subditi, cum isti ex justitiâ illam teneantur servare, ille verò tantum ex honestate, imò nec ad istud quoad pœnas obligatur.

4. Prælati Inferiores nedum tenentur Superiorum Leges servare, sed etiam invigilare, ut à suis Subditis custodiantur, cum ad hoc aliis partim præfiantur, undè duplici vinculo tenentur.

Ex his Notatis sequitur, quòd pro *Regulâ* aliud, hæc in re, dari nequit, nisi quòd *Lex Omnes sibi Subditos aequaliter ligat, pro qualitate Personarum Rerumque, circa quas versatur: eoque modo explicandum* Cap. 1. de *Constitutionibus, Canonum Statuta ab Omnibus custodiantur, & nemo in Actionibus, vel Judiciis Ecclesiasticis suo sensu, sed eorum autoritate ducatur.*

Nec refert, quòd indistinctè loquatur; nam locutiones generales pro subjectâ materiâ, illiusque exigentiâ, interpretandæ sunt, undè, etsi Judices omnes juxta Leges judicare teneantur, permittitur Majoribus Magistratibus ex circumstantiis à Legibus recedere, non item Minoribus. *GONZALES in hoc Cap. 23. versus finem.* Id infert ex *Authenticâ Hodiè. C. de Judic.*

TITULUS X.

DE RESCRIPTIS.

CAPUT I.

Continens Regulas sive Decisiones à Jure propriis verbis desumptas.

Rescripti nomine intelligitur Speciale quoddam Mandatum, quod à Principe impetratur, seu ad Judices obtinendos pro finiendis Litibus, seu ad Beneficium aut Gratiam quamcumque consequendam: *Prius* appellatur Rescriptum Justitiæ; *Posterius*, Rescriptum Gratiæ.

De Rescriptis Pœnitentiariæ Romanæ, vide *Bullam* LIII. PIL. IV. *In sublimi.* anni 1562. *Bullarii Tom. II. p. 69.*

Hic porro præcipuè agimus de Rescriptis, quæ à Sede Apostolicâ, sive à Romano Pontifice emanant, quorum frequens in Galliâ usus, sive cum appellatur à Sententiis Ordinarium, sive cum impetrantur Dispensationes, Absolutiones, & aliæ Gratiæ obtinentur.

Rescripti Exemplar Epistola JOANNIS VIII. 122. *Tom. IX. Conc. pag. 90.* Multis autem nominibus hæc Rescripta solent in Jure appellari, aliquandò enim simpliciter dicuntur *Litteræ Apostolicæ*, aliquandò, *Mandata, Commissiones, Decreta, Litteræ Justitiæ, Beneficia Gratiæ &c.* In quibus omnibus, hæc potissimum spectari possunt, scilicet Narratio eorum, quæ petuntur, ut vera sit Forma Mandati, quæ Gratiâ vel Judices concedit, & ejusdem Executio quâ ratione fieri debeat.

SECTIO I.

Quid sit, & Quotuplex Rescriptum?

I. **U**bi certum nihil expressum est, nihil certum indè Papa potest respondere. *De Sponsalibus* Cap. de *Muliere.* LIB. IV. DECR. TIT. I. Cap. 6. *fin.*
II. Rescriptum Gratiæ est, cum gratiose aliquid à

Romano Pontifice conceditur. *In VI. de Rescriptis C. si gratiose. in. LIB. I. TIT. III. Cap. V.*

III. Gratia est, quam super Beneficio à Sede Apostolicâ aliquis impetravit. *ibid. Cap. 7. Gratia. in.*

IV. Litteræ Justitiæ, sunt Litteræ ad Judices datæ. *de Filiis Presbyterorum. Cap. Ex sua. LIB. I. DECR. TIT. XVII. Cap. 9.*

V. Litteræ Apostolicæ Justitiam continent, per quas dati Judices in Causis Personarum, possunt, juxta earum tenorem providè procedere. *EXTRAVANG. JOAN. XXII. De Concessione Præbendæ Cap. Sedes. in fin. TIT. IV. C. 1.*

VI. Litteræ, quæ de simplici Justitiâ formam habent, possunt facillè obtineri. *De Crimine falsi. Cap. accedens LIB. V. DECR. TIT. XX. Cap. 8.*

VII. Papa motu proprio alicui Gratiâ facit, & Gratia hujusmodi de sua merâ liberalitate procedit. *In VI. de Præb. Cap. si motu. LIB. III. TIT. IV. Cap. 23.* Papa ad petitionem alicujus, vel alterius pro eo oblatam, gratiâ facit. *ibid.*

VIII. Litteræ sunt Monitoriæ, Præceptoræ alicui, & Executoriæ, contrâ aliquem, alii directæ *De Rescriptis. Cap. Ex Insinnatione. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 37.*

IX. Speciale Mandatum derogat Generali. *De Rescriptis. Cap. Sicut. C. Pastoralis. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 1. & 14. De Officio Legati. Cap. Studuisti. §. Respondemus. LIB. I. DECR. TIT. XXX. Cap. 2.*

X. Decreti irritantis Forma est, cum in eo apponitur Clausula (*etiam inane Decernentes & irritum*) *Si secus à Quoquam quavis autoritate contigerit attentari. CLEMENTINARUM de Concessione Præbendæ Cap. unico. in. Colligitur. LIB. I. TIT. III. Cap. un.*

XI. Decretum Conditionale est, cum mandatur aliquid, si res quæpiam fiat. *CLEMENTIN. De Concess. Præb. Cap. un. LIB. III. TIT. III. Cap. unico. Colligitur.*

XII. Decretum Conditionale in eventum duntaxat positæ Conditionum suam sortitur effectum. *ibid.*

XIII. Rescriptum sub Conditione datum, non sortitur effectum usque in Conditionis eventum. *De Rescriptis Cap. Si pro te. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 13.*

XIV. Si pendente Conditione, Alius Gratiâ purè impetret, præferri debet ei, qui positâ Conditione aliâ obtineret. *ibid.*

SECTIO II.

De veritate Narrationis in Rescriptis.

I. **R**escripta, quæ subreptione vel falsis precibus forsitan impetrantur, nullum possunt Supplicantibus ferre remedium. *CAUS. XXV. QUÆST. II. Cap. 16. Dicenti.*

II. Litteræ per malitiam & mendacium obtentæ non valent. *De Rescriptis Cap. Sedes LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 1.*

III. Litteræ per Veri suppressionem, sive tacitâ Veritate, obtentæ, non valent nec conferunt Jurisdictionem. *De Filiis Presbyterorum. Cap. Ad presentiam LIB. I. DECR. TIT. XVII. Cap. 2.*

IV. Subreptio censetur, cum tacitum est, quod, si fuisset expressum, obtineri minimè potuisset. *De Sententiâ & Re Judic. Cap. Cùm inter. §. Cùm constituerit. med. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. Cap. 20.*

V. Qui per fraudem vel malitiam, Falsitatem exprimunt, vel supprimunt Veritatem; nullum ex illis Litteris Commodum in suâ Perversitatis pœnam consequuntur. *De Rescriptis. Cap. Super Litteris. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 20.*

VI. Cum aliquis illa expressit, & suppressit, quæ si fuissent tacita, vel expressa, tales Litteras minimè dedissemus; per hoc apparet, ipsum extitisse indignum Gratiâ, quam duxeramus ei ex Benignitate Apostolicâ faciendam. *De Temporibus Ordinat. Cap. Dilectus. fin. in in. LIB. I. TIT. XI. Cap. 15.*

VII. Si

SECTIO III.

Quandonom Forma Rescripti reddatur invalida.

VII. Si per simplicitatem vel ignorantiam talis falsitas expressa sit, aut talis veritas occultata ac suppressa, quæ quamvis fuisset tacita vel expressa, nihilominus data fuissent Litteræ, saltem in formâ communi, Delegatus poterit secundum ordinem Juris Communis in Causâ procedere *ibid.*

VIII. Si per hujusmodi falsitatis expressionem, vel suppressionem veritatis, Litteræ fuerint impetratæ, quæ tacitâ vel expressâ, nullæ fuissent Litteræ datæ, non erit aliquatenus à Delegato procedendum, etiam si per simplicitatem & ignorantiam hujusmodi veritas suppressa sit aut falsitas expressa. *ibid. De Rescriptis. Cap. Super Litteris. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 20.*

IX. Qui falsò suggestit, vacare Præbendam, & ad suggestionem falsam super receptione suâ Litteras impetravit, cum Mendax Precator carere debeat impetratis, Pars Adversâ penitus absolvi debet. *De Præb. Cap. Dilectus. in. med. LIB. III. DECR. TIT. V. Cap. 26.*

X. Illi, quos per suppressionem veritatis, aut falsitatis expressionem, Litteras non solum Cardinalium, sed etiam Apostolicas, nec solum dubias, sed etiam certas consulerit impetrasse, carere debent impetratis. *De fide Instrumentorum. Cap. Quod super. §. Unde si. LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 7.*

XI. Cum de subreptione liquidò constat, potest Papa alicui, licet absenti, perpetuum silentium imponere. *De Sent. & Re Judic. Cap. Cum olim. §. Nos igitur. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. Cap. 12.*

XII. Ad hoc, ut Rescriptum non sit vitiosum, non solum ea, quæ Juris sunt, narranda sunt, sed etiam ea, quæ sunt facti. *De Concessione Præbendæ. Cap. Cum nostris. §. Auditor. LIB. III. DECR. TIT. VIII. Cap. 6.*

XIII. Cum ea, quæ sunt de facto narrata non sunt, Litteræ per falsi suggestionem & veri suppressionem fuerunt impetratæ. *ibid.*

XIV. Nobilis Mulier mentiens se pauperem, non consequitur effectum Litterarum, quas suggestio tali mendacio impetravit, non enim debet de fraude Commodum reportare. *De Officio. & Potest. Jud. Deleg. Cap. Significantiibus. LIB. I. DECR. TIT. XXI. Cap. 38.*

XV. Delegatus factâ fide super fraude & malitiâ Narrationis, nullatenus de Causâ cognoscet. *De Rescriptis. Cap. Super Litteris. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 20.*

XVI. Eadem Ratio, quæ Delegantem moveret, moveat etiam Delegatum, & ubi Delegans suas Litteras denegaret, Delegatus etiam suæ cognitionis Officium nullatenus interponat. *ibid. Cap. 20. Super Litteris. fin.*

XVII. Quod factum fuit obtentu Litterarum, quæ per falsi suggestionem & veri suppressionem fuerunt impetratæ, habetur irritum & inane. *De Concessione Præbendæ. Cap. Cum nostris. §. Auditor. LIB. III. DECR. TIT. VIII. Cap. 6.*

XVIII. Quidquid factum est occasione Litterarum veritate tacitâ obtenturum, irritum decerni debet. *De Rescriptis. Cap. Constitutus. Cap. Cum dilecta. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 19. & Cap. 22.*

XIX. Cum notoria est, & manifesta suspicio in Judicibus, Litteræ, quæ illos committunt, dicuntur per veri suppressionem obtentæ, quando in eis de illâ suspicione nulla sit mentio. *Ut lite non contestata. Cap. Accedens. §. Cum igitur. LIB. II. DECR. TIT. VI. Cap. 2.*

XX. Cum non ferendum sit, ut mendacium, quod tantoperè Deo displicet, non modò ipsum impunitum sit, verum etiam alterius delicti veniam impetret; idcirco Episcopus apud Ecclesiam suam residens, de subreptione & obreptione Gratia, quæ super Absolutione alicujus publici criminis vel delicti, de quo ipse inquirere cœperat, aut remissione pœnæ, ad quam per eum condemnatus fuerit, falsis precibus impetratur, per se ipsum etiam summarie cognoscat. *CONC. TRID. Sess. XIII. C. 5.*

XXI. Idem Episcopus ipsam Gratiam, postquam per falsi narrationem vel veri taciturnitatem, obtentam esse legitime consulerit, non admittat. *ibid.*

Tom. I.

I. Rescripta contra Jus elicita ab omnibus Judicibus refutari debent, nisi fortè aliquid est, quod non lædat alium & profit Petenti, vel crimen Supplicantibus obtineat. *CAUSA XXV. QUÆST. II. Cap. 15. Rescripta. Vide quæ subjungit GRATIANUS.*

II. Rescriptum non derogat Constitutioni, nisi factâ de illâ expressâ mentione. *De Rescriptis. Cap. Nonnulli. §. I. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 28.*

III. Adeò Scripta Sedis Apostolicæ moderamur, ut ex certâ scientiâ nihil in eis faciamus apponi, quod de Jure deceat reprehendi. *De Rescriptis. Cap. Cum adeò. in. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 17.*

IV. Si quis Litteras Apostolicas impetrat contra aliquod Jus sive Concilium, debet in iis de ipso Jure sive Concilio mentionem facere. *De Capellis Monachorum. Cap. Ex parte. §. Cum autem. GLOSSA coll. LIB. III. DECR. TIT. XXXVII. Cap. 3.*

V. Cum aliquid obviat Generali Concilio, de quo nulla mentio est in Litteris; hujusmodi Litteras ab Apostolicâ Sede non credendum est emanasse. *ibid.*

VI. Si per Occupationem forsitan emanaverint, non valent, nec per hoc derogatur Concilio supra dicto. *ibid. fin.*

VII. Non est credendum, Romanum Pontificem, qui Jura tuetur, uno verbo voluisse subvertere, quod aliàs multis vigiliis est inventum, & excogitatum. *De Elefione. Cap. Ecclesia Vestra. LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 57.*

VIII. Rescriptum contra Privilegiatos, non factâ de eorum privilegio mentione, non valet. *De Rescriptis. Cap. Cum ordinem. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 6.*

IX. Per Mandatum Apostolicum justæ Consuetudini non intelligitur derogari. *In VI. De Præbendis &c. Cap. Cum in Ecclesia. LIB. III. TIT. IV. Cap. 25.*

X. Rescripta sine Causæ cognitione sunt subreptitia. *ibid. Cap. Ex parte. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 2.*

XI. Litteræ per ignorantiam, vel negligentiam, vel etiam subreptionem impetratæ non valent. *De Sent. Excomm. Cap. Si aliquando. fin. LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 41.*

XII. Rescriptum, impetratum præter Romanæ Ecclesiæ consuetudinarium stylum, non valet. *De Sent. Excomm. Cap. Ad hæc. GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 12.*

XIII. Non valet Rescriptum ad habendos Judices, in quo non sit mentio Appellationis prius à se factæ in eadem Causâ. *De Rescriptis. Cap. Ex parte. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 12.*

XIV. Non valent Rescripta, per quæ aliquorum negotia omnia unius Judicis, vel plurium, quos sibi elegerint, arbitrio committuntur. *ibid. Cap. Ad hæc. seu Cap. 10.*

XV. Sic enim fieret, ut ad Judices Parti Adversæ suspectos recurrerent. *ibid.*

XVI. Apostolicæ Litteræ, quas sine speciali Mandato Domini Quis impetrat, valere non debent, nisi sit de illis Personis, à quibus non est exigendum de Jure Mandatum. *De Rescriptis. Cap. Ex parte. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 33. §. Quia verò.*

XVII. Minus valere debent Litteræ, quæ impetrantur ab illo, à quo Mandatum Dominus revocavit. *ibid. fin.*

XVIII. Si aliquis super aliquâ Quæstione sine speciali Mandato Domini Litteras Apostolicas impetrare præsumpsit, & Litteræ illæ non valeant, & ipse tanquam Falsarius puniatur. *De Rescriptis. Cap. Nonnulli. §. penultimo Cum autem. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 28.*

f

XIX,

XIX. Nisi sit de illis Personis, à quibus non debet exigi de Jure Mandatum. *ibid.* §. ult. *Circa illas Personas Vide GLOSSAM in verbo Exigi.*

SECTIO IV.

De Vitiis, quæ contingere possunt in Formâ Mandati.

I. Propter modicum defectum non vitiatum Rescriptum, cum ex Præcedentibus & Subsequentibus possit cognosci Mandatoris intentio. *GLOSSA.*

II. Propter defectum syllabæ vel litteræ non vitiatum Rescriptum. *GLOSSA Verbo non deerat. fin.*

III. Rescriptum Apostolicum, pro eo, quod in hæc dictione, *Spoliarunt*, hæc figura, O, deest, asseritur vitiosum: Mandamus, quatenus, hoc non obstante, in negotio ipso præviâ ratione procedas. *De fide Instrumenti. Cap. Ex parte. §. Quia LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. II. Vide in Integrâ.*

IV. Propter abrasionem in narratione facti, Litteræ judicari non possunt falsæ, nec etiam haberi suspectæ. *De fide Instrumenti. Cap. Ex Litteris. §. dicimus. LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 3.*

V. Paucarum litterarum raturæ nequaquam Sapientis animum in dubitationem inducere debent circa falsitatem vel suspicionem Litterarum Apostolicarum. *De Crimine falsi. Cap. Ex conscientia. LIB. V. DECR. TIT. XX. Cap. 9. quod est ultimum.*

VI. Rescriptis Apostolicis, quæ manifestum continent in Constructione peccatum, fides non debet adhiberi. *De Rescriptis. Cap. Ad Audientiam. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 11.*

VII. Rescriptum nihil valer, & est irritandum, si aliqua Notoria defint in eo. *DIST. X. Cap. 4. Optatum GLOSSA colligit Verbo Minus.*

VIII. Quisque sic Litteras Apostolicas studeat intueri tam in Bullâ, Filo, & Charta, quam in Stylo, quod veras pro falsis vel falsas pro veris, modo aliquo non admittat. *De Crimine falsi. Cap. Quam gravi. LIB. V. DECR. TIT. XX. Cap. 6. fin.*

IX. Falsitas Litterarum Apostolicarum, vel in modo Dictaminis, vel in formâ Scripturæ, vel qualitate Chartæ cognoscitur. *De Crimine falsi. Cap. Licet §. illos. LIB. VI. DECR. TIT. XX. Cap. 5.*

X. Item diligens Indagator falsitatem poterit intueri, vel in adjunctione Filorum, vel in Collatione Bullæ, vel motione, vel obtusione; præsertim si Bulla non sit æqualis, sed alicubi magis tumida, & alibi magis depressa. *ibid.* §. ult. *In cæteris*

XI. Quoties aliqua Scripta sub Nomine Papæ destinata, redarguenda videntur falsitatis, nulla eis adhiberi fides debet. *De Crimine falsi. Cap. Super eo. LIB. V. DECR. TIT. XX. Cap. 2.*

XII. Præsumi non debet, quod pro Litteris de simplicij Justitiâ, fraudem Quis commiserit falsitatis. *De Crimine falsi. Cap. Accedens. LIB. V. DECR. TIT. XX. Cap. 8.*

XIII. Is, qui præsentaverit Litteras falsas, retineri debet diligenter. *ibid.* Cap. Super eo. *fin.* seu Cap. 2.

XIV. Super vitia falsitatis Litterarum, quas in Sede Apostolicâ Quis reportavit, per Censuram Ecclesiasticam compelli debent Testes veritati testimonium perhibere, si se gratiâ, odio, vel timore subtraxerint. *De Testib. cogendis. Cap. Cum contrâ. LIB. II. DECR. TIT. XXI. Cap. 9.*

XV. Qui Litteris non usus est, postquam falsas eas esse cognovit; puniri non debet: & si punitus fuit, in eundem statum restitui debet. *De Crimine falsi. Cap. Accedens. LIB. V. DECR. TIT. XX. Cap. 8.*

XVI. Quod per Litteras falsas mandatum fuerit, non debet observari. *ibid.* Cap. Super eo. *med.* LIB. V. DECR. TIT. XX. Cap. 2.

XVII. Si quæ Beneficia personalia sine Die & Consule fuerint deprehensa, autoritate careant. *CAUS. XXV. QUÆST. II. Cap. 16. Dicenti. §. 7. in Subjèctis à GRATIANO Legibus.*

XVIII. Ordo Scripturæ, seu error Scribentis, aut Verborum transpositio, sequenda non est contrâ Jus

Commune. *De Rescriptis. Cap. Causam. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 18.*

XIX. Si Quid occasione illius erroris attentatum fuerit in præjudicium alterius Partis, revocari debet. *ibid.*

SECTIO V.

De modo, quo Rescripta Apostolica diriguntur, & quid operetur Narratio Papa.

I. Stylus ubilibet Litterarum Apostolicarum & Aliarum, quæ ab eâ emanant in tantum pro Lege servatur, ut Litteræ præter Stylum expeditæ falsitatis suspicionem non careant. *Bulla XXIV. SIXTI. IV. Quoniam Nonnulli. §. 3. An. 1484.*

II. Apostolica Sedes consuetudinem in suis Litteris hanc tenet, ut Patriarchas, Archiepiscopos, & Episcopos, Fratres appellet; Cæteros autem Reges, Principes, vel alios cujuseumque Ordinis, Filios appellet. *De Crimine falsi. Cap. Quam gravi. LIB. V. DECR. TIT. XX. Cap. 6. Vide GONZALEM in Commentario.*

III. Falsæ sunt Litteræ Episcopo præsentatæ, in quarum Salutatione, *Dilectus in Christo Filius* vocatur. *ibid.*

IV. Cum uni tantum Personæ Papæ Litteræ diriguntur, nunquam ei loquitur in Plurali; ut *Vos sive Vestri*, & his similia in ipsis Litteris apponantur. *ibid.*

V. Si quem Summus Pontifex sub Titulo cujuslibet Dignitatis ex certâ etiam scientiâ Verbo Constitutione, vel Litteris nominet, seu quovis alio modo tractet; per hoc in Dignitate illâ ipsum approbare non intelligitur, aut quicquam ei tribuere novi juris. *CLEMENTINA Si Summus. De Sent. Excom. §. similiter seu CLEMENTINARUM LIB. V. TIT. X. Cap. 4. quod est ultimum.*

VI. Quod mandatur Capitulo, intelligit mandari Cuilibet de Capitulo, ita ut, qui tempore Litterarum erat v. g. Archidiaconus, & Canonicus, possit, postquam factus est ejusdem Ecclesiæ Episcopus, Rescriptum Capitulo directum executioni demandare ac Beneficium conferre. *De Rescriptis. Cap. Eam te. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 7.*

VII. Verba Narrativa Rescriptorum Papalium, quibus Papa se fecisse aliqua pacta, excommunicasse, suspendisse, resignationem Beneficii alicujus recepisse narrat; & super quibus ejus Gratia & intentio fundatur, plenam fidem faciunt in Judicio. *CLEMENTINARUM De Probationibus. Cap. Litteris. LIB. II. TIT. VII. Cap. 1. Et un. Non recipitur in Galliâ, Pragmatica Sanctio & Concordata commonent.*

VIII. Vices, non Loco, sed Personæ Papa tribuit, cum de subsequenti conversatione præsumit ex transactâ vitâ. *de Præsumptionibus. Cap. Mandata. In integrâ. fin. LIB. II. DECR. TIT. XXIII. Cap. 6.*

IX. Si aliquando fortè contigerit, quod eis, qui autoritate Apostolicâ sunt Excommunicationi subjeti, Litteræ Apostolicæ cum Salutationis alloquio destinentur; non propter hoc Excommunicationis credatur Sententia relaxa: cum per ignorantiam, vel negligentiam, aut occupationem nimiam, vel etiam per subreptionem contingat, hujusmodi Litteras impetrari. *De Sent. Excom. Cap. si aliquando. LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 41.*

SECTIO VI.

De Variis Clausulis, quæ in Rescriptis apponi solent.

I. In Apostolicis Litteris intelligenda est hæc Condicio, etiamsi non apponatur, *Si Preces veritate nitantur. DE RESCRIPTIS. Cap. Ex parte LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 2. §. verum.*

II. Per Clausulam Generalem in Rescripto, quo Causa committitur; *adversus talem & quosdam alios super tali negotio & quibusdam aliis*, Delegatus non potest jurisdictionem exercere, antequam exprimantur Personæ vel Res. *De Rescriptis. Cap. Pastoralis. §. Quoniam. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 14.*

III. Per Generalem Clausulam, *Quidam alii*, quæ in Litteris Apostolicis inferitur, ultra Tres aut Quatuor

Quatuor in Judicium non trahantur, quorum Nomina in primo Citatorio exprimat Impetrator. In VI. De Rescriptis. Cap. Cum in multis. LIB. I. TIT. III. Cap. 2.

IV. Romana Ecclesia Abolutionem Sententiæ Delegatorum Judicium nequaquam consuevit aliis delegare, nisi in Litteris Commissionis contineatur expressè de sufficienti cautione præstandâ ab his, qui absolvi debent, quòd Judicio Ecclesiæ debeant obedire. De Sent. Excom. Cap. Ad hæc. LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 12.

V. Clausula in Rescriptis (Si Duo vel Tres interesse nequiverint, Unus vel Plures nihilominus exequantur) quandò scilicet pluribus Causa committitur; intelligitur de impotentia tam Juris, sive per Canonicum Impedimentum, quàm Facti, v. g. per mortem vel inevitabilem necessitatem. De Rescriptis. Cap. Sciscitatus. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 13.

VI. Non intelligitur verò, quandò eorum aliquis non vult: nisi Rescriptum exprimat; vel noluerint interesse. *ibid.*

VII. Clausula (si ita est) in Rescripto debet ad omnia, quæ præmissa sunt, referri. *ibid.* Cap. Olim. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 25.

VIII. Cùm in Mandatis Causa committitur, (etiam Appellatione remotâ;) solis Partibus, inter quas Causa commissa est, Appellationis remedium est sublatum, non aliis. *ibid.* Cap. Super eo. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 15. Odiosa est, ideòque non extendenda.

IX. Quandò in Rescripto apponitur Clausula (omni Appellatione remotâ,) qualibet Provocatio intelligitur removeri, quæ à Jure non indulgetur expressè. de Appellationibus Cap. Pastoralis. §. 1. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 53. Circa hanc Clausulam, Vid. GONZALEM in Cap. 1. de Rescript. n. 8. FLOREN. I. Part. p. 82.

X. Cùm pluribus Articulis in una Commissione positus, in uno tamen contingit Appellationem expressè vetari; in omnibus Appellatio intelligitur interdicta. *ibid.* de Appellationibus Cap. Secundò. §. in quo. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 41. Quod restringendum ad Casum, in quo omnes Articuli respiciunt idem negotium.

XI. Quoties Clausula (Appellatione remotâ, in medio Litterarum ponitur, si sunt plura negotia se minime contingentia, præmissa tantum complectitur. De Appellationibus Cap. Inquisitioni. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 71.

XII. Si prædicta Clausula in fine Litterarum iteretur, omnia complectitur. *ibid.*

XIII. Per Litteras in quibus dicitur (Nullis Litteris Veritati & Justitia præjudicantibus) vel sub aliâ formâ verborum, non revocantur speciales Litteræ, dummodò de illis nihil expressè dicatur. De Confirmatione nuli. Cap. Bone. LIB. II. DECR. TIT. XXX. Cap. 3. §. 2.

XIV. Mandari quid simpliciter dicitur, si in Litteris non continetur (Non obstantibus aliquibus, per que effectus Gratia potest impediri vel differri) In VI. de Præbendis. Cap. Ei, cui. cum GLOSSA Verbo simpliciter.

XV. Utriusque Juris Argumenta nos docent, quòd ea, quæ in principio sunt Rescripti, ad medium & ad finem; illa verò, quæ in medio, ad finem atque principium, sæpè referri contingat. De Appellationibus Cap. Secundò. §. in quo. fin. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 41.

XVI. Circa Regulam Motu proprio hic omissem. Vid. GONZALEM in Cap. 8. de Rescript. n. 15. Illius effectus explicat in Rescriptis, concessis etiam super precibus Impetrantis.

SECTIO VII.

Quos effectus pariat Rescriptum, & ad quas Personas extendatur?

I. Decretalis Epistola non ad deprimendam cujusque justitiam, sed ad removendum grava-

Tom. I.

men datur à Sede Apostolicâ. De Appellationibus Cap. Suggestum. fin. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 15.

II. Non est intentionis Papæ, nec esse debet, Jurisdictioni cujusquam per Mandatum suum derogare. De Officio Judicis Ordinarii. Cap. Licet. LIB. I. DECR. TIT. XXXI. Cap. 12.

III. Quæcumque forma in Mandatis præscribatur, non est intentionis Papæ, aliis præjudicium generare. De Officio & Potest. Jud. Delegati. Cap. Super eo. LIB. I. DECR. TIT. XXIX. Cap. 25.

IV. Nihil interest in Rescripto: utrum quid inhi-beatur primò, an secundò, medio, an fine. De Appellationibus. Cap. Secundò. §. in quo. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 41.

V. Nullum intendit Papa per suas Litteras præjudicium generare. De Privilegiis. Cap. Quia intentionis. fin. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 29.

VI. Concessio facta per Rescriptum, nullum affert præjudicium ei, cui jus acquisitum est de speciali Consuetudine, Privilegio, vel Statuto, nisi hoc expressè in Rescripto caveatur. De Rescriptis. Cap. Si propter. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 10. In VI.

VII. Ut valeat hujusmodi specialis Concessio, debet in Rescripto apponi Clausula, Non obstantibus quibuslibet Consuetudinibus, Privilegiis, vel Statutis. *ibid.* GLOSSA in verbo Statutis notat jura hæc specialia ut contraria Juri Communi revocata per Cap. 40. de Elect. in VI. & Clementinam 7. de Elect. Undè hujusmodi Clausula minus odiosa aparet.

VIII. Litteræ super re litigiosâ impetratæ non facientes de lite mentionem, præjudicium non generant ei Parti, quæ est in Possessione illius rei. De Privilegiis. Cap. Dudum. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 31.

IX. Rescriptum potest valere ad unum effectum, & non valere ad alium, putà ad obtinenda Beneficia sine Curâ, quamvis non valeat ad obtinendum Beneficium habens Curam Animarum in his. De Rescriptis. Cap. Si eo tempore. colligitur. LIB. I. TIT. III. Cap. 9.

X. Cùm in Commissionibus Summi Pontificis minores & viliores Personæ solummodò designantur, Majores & Digniores sub Clausula Generali intelliguntur includi. De Rescriptis. Cap. Sedes. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 15.

XI. Non licet occasione istius Generalitatis plures Personas in Judicium evocare. *ibid.*

XII. Rescriptum obtentum contrà hominem unius Diœcesis, non valet contrà hominem ejusdem nominis sed alterius Diœcesis. *ibid.* Cap. Significante seu Cap. 34.

XIII. Per Rescriptum impetratum contrà homines Civitatis; etsi sit Clausula Generalis & Quidam alii. *ibid.* Cap. Rodolphus. seu Cap. 35.

XIV. Per Rescriptum contrà Decessorem obtentum, conveniri non potest Successor; nisi Decessor dum viveret, fuerit in Judicium evocatus: etiamsi sit Clausula Generalis (& Quidam alii) *ibid.* Cap. significavit. Cap. 36.

XV. Successor convenitur per Rescriptum contrà Antecessorem impetratum, etsi proprium nomen Antecessoris sit expressum, & citatus non fuerit; quandò ob communem utilitatem, & nomine Ecclesiæ, debitum contractum est. De Foro Competenti. Cap. Dilecti GLOSSA colligit, Verbo Contrà LIB. II. DECR. TIT. II. Cap. 34. eo casu Rescriptum censetur impetratum nomine Ecclesiæ.

XVI. Mandatum Apostolicum, ut cùm Monachis dispensetur, etiam ad Abbates extenditur. De Simonia. Cap. Mandato. LIB. V. DECR. TIT. III. Cap. 46. quod est ultimum. Favorem continet, ideòque ampliandum.

XVII. Qui aliquas Personas expressit in Rescripto, non potest eo uti contrà alias Partes, ut cum his Judicio contendat. De Rescriptis. Cap. Sedes. LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 15.

f 2

XVIII.

XVIII. Propter dolum & fraudem eorum qui ut Rescriptum Apostolicum eludant ad alias Personas res suas controversas transferunt; Rescriptum extenditur ad eos, de quibus mentio facta non fuit, & per illud conveniri possunt. *De alienatione Judicii mutandi Causa. Cap. Ex quorundam. cum GLOSSA. LIB. I. DECR. TIT. XLIII. Cap. II.* Alienatores fraudulentos exhibent, suntque fraudis participes, si litis Consilii fuerunt.

XIX. Per Rescriptum impetratum contra Violentum, putà eum, qui violenter aliquam Ecclesiam occupavit, conveniri potest is, qui ei succedit in vitium; sive, qui similiter sine titulo ingressus est, ut sub eisdem Judicibus negotium terminetur. *De Judiciis. Cap. LIB. II. DECR. TIT. I. Cap. II.*

XX. De similibus idem ferendum iudicium, *Cap. 2. de Translat.*

SECTIO VIII.

An semper, & Quomodo teneatur Rescriptum executioni demandare. Is, cui dirigitur à Papà.

I. IS, cui Mandatum à Papa dirigitur, debet vel illud executioni demandare, vel quare non possit, rationabilem causam reddere. *De Rescrip. Cap. Si quandò. LIB. I. TIT. III. Cap. 5. Idem docet. C. 10. ejusdem Tit.*

II. Gravissimè arguendus, est qui Mandatum Apostolicum exequi subterfugit aut contemnit. *De Officio & Potest. Judicis Deleg. Cap. Prudentiam. LIB. I. DECR. TIT. XXIX. Cap. 21. §. Adjicimus.*

III. Equanimiter sustinet Papa, Mandatum suum executioni non mandari, si subit ratio non adimplendi. *De Prabendis & Dignit. Cap. Cùm teneamur. 6.*

IV. Non debet aliquo pretextu impediri, aut differri Mandatum Apostolicum. *In VI. De Officio & Potest. Jud. Delegati. Cap. Statuimus. §. Idem. LIB. I. TIT. XIV. Cap. 13.*

V. Quòd non possit aliquis Mandatum exequi, intelligitur vel de impotentia de Jure, vel de Facto vel tam de Jure, quam de Facto. *De Rescriptis. Cap. Scificitatis. init. Colligitur. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 13.*

VI. Impotentia de Jure est, si Aliquem legitimo impedimento detentum esse contiterit. *ibid. §. Nos verò.*

VII. Impotentia de Facto est, si contiterit, eum inevitabilis Necessitatis articulo impediri. *ibid.*

VIII. Ille, qui tantummodò non vult, hanc impossibilitatis interpretatione non valet aliquatenus excusari. *ibid. §. Nec enim. fn.* Quòdque tamen, in favorem Impetrantium permittitur Collegis, ut exequantur, aliis nolentibus. *ibid.*

GONZALEZ in C. 5. *De Rescriptis. n. 6.* notat, quòd in Rescripto subintelligitur conditio, nisi subsit justa causa supercedendi ab executione. *n. 7.* Excipit ab obedientia Legislatori debità Casum, in quo injustum expressè præcipit, hancque exceptionem adductis Legibus Autorumque Testimoniis, probat. *N. 8.* Objicit sibi C. 28. *De Officio Delegati. §. Quia verò,* ubi de Executore Sententiæ à Delegato latae, hæc leguntur: *Etsi sciat Sententiam injustam, exequi nihilominus tenetur eandem,* allatisque variis solutionibus concludit, quòd illi liceat imò & debeat ab executione abstinere, si probabiliter magnum scandalum timeatur. Adde quòd ex C. 14. *De Rescriptis* colligitur, nolle Papam, ut, si quòd injustum Mandatum per inadvertentiam, nimiasque occupationes dederit, executioni mandetur, cùm in illo hæc dicat INNOCENTIUS III. *Sicut Nolumus injusta præcipere, sic volumus efficaciter exaudiri.* Innuat ergò se nolle audiri, cùm injusta præcipit.

Quid requiratur, ut Rescripta executioni mandari possint, & quomodo ea debeant adimpleri?

I. PER susceptionem Mandati, non dicitur quis eo uti. *In VI. De Procuratorib. Cap. Is, qui. LIB. I. TIT. XIX. Cap. 3.*

II. Ei, qui Litteras impetravit à Superiore, non profunt, priusquam Delegato fuerint assignata. *De Appellationibus. Cap. Ut debitus. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. Cap. 59. med.*

III. Si intrà certum tempus lis decidenda committitur, ex tunc, terminus incipit currere, cùm Judices contigerit Litteras recepisse. *De Appell. Cap. Super eo. §. ult. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 12.*

IV. In Litteris Citatoriis Rescriptum Apostolicum inferi debet, ut, eo viso, deliberare valeat is, qui ab altero convenitur. *De Dilationibus. Cap. Præterea. GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. VIII. Cap. 2. init.*

V. Authentica ipsa atque Originalia Rescripta, non Exempla eorum, insinuari oportet. *CAUSA XXV. QUEST. II. Cap. 16. Dicenti.*

VI. Hæc est intentio Pontificis, ut de omnibus Articulis, qui in Commissione ponuntur, Justitia suam consequatur effectum. *De Appellationibus. Cap. Secundò. §. In quo. init. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 41.*

VII. Data Litterarum Gratia diligentius attendi debet. *De Rescrip. Cap. Eam te. §. Penult. quod. init.*

VIII. Cùm tempore, quo Litteræ ipsæ datæ fuerunt, Quis est de Capitulo, postea in Episcopum consecratus, debet Mandatum Capitulo datum exequi. *ibid.*

IX. Cùm duo mandantur principaliter, non sufficit, unum sine altero adimpleri. *De Restitutione Spoliatorum. Cap. Pisanis. GLOSSA colligit. Verbo alterum ad modum. LIB. II. DECR. TIT. XIII. Cap. 19. Quod est ultimum.*

X. Quòd in Rescripto plura narrantur, quæ diversos operantur effectus, non sufficit Impetranti unum ex iis solum probare ad utrumque effectum consequendum. *De Rescrip. Cap. Olim. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 25.*

XI. Sicut nolumus injusta præcipere; sic cùm justa præcipimus, volumus efficaciter exaudiri. *De Rescriptis. Cap. Constitutus in integ. fn. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 19.*

XII. Qui à Delegato Mandatum recipit, v. g. ad excommunicandum aliquem, non intellectà, quæ esse potest, contentione inter Judices de Jurisdictione, debet illud humiliter executioni demandare. *ibid. Cap. Cùm contingat. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 24.*

XIII. Si contrarium postea Mandatum ab aliis Judicibus, putà ad absolvendum recipit, debet Copias Mandatorum Apostolicorum postulare, eaque examinare, nùm Posterius revocet Prius. *ibid.*

XIV. Quòd si expressè noscatur revocare Prius, Secundum Mandatum haud dubiè executioni demandare debet, secùs, si non revocat aut saltem de eo sit dubitandi locus. *ibid.*

XV. Per hoc tamen nullam sibi debet jurisdictionem attribuere Is, cui Mandatum dirigitur. *ibid. De Rescriptis. Cap. Cùm contingit. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 24.*

XVI. Forma Mandati exactà diligentia observari debet; processusque contra hujusmodi formam factus, inanis atque irritus decerni debet. *De Rescriptis. Cap. Cùm deleta. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 22.*

XVII. Man-

XVII. Mandatorum fines diligenter servari oportet. *In VI. de Præbendis. Cap. Cui de. fin. LIB. III. TIT. IV. Cap. 27.*

XVIII. Mandati fines excedere probantur, si quis citrà formam Rescripti accepti præsumeret judicare. *De Officio & Potest. Jud. Deleg. Cap. Prudentiam. §. I. fin. LIB. I. DECR. TIT. XXIX. Cap. 21.*

XIX. Qui agit contrà Mandati tenorem, nihil agit, ejusque processus cassari debet. *ibid. Cap. Venerabili. LIB. I. DECR. TIT. XXIX. Cap. 27.*

XX. Pro varietate Litterarum, fines Causarum non debent impediri. *ibid. Cap. Sanè. seu Cap. 3. Appendice CONC. LATERAN. Parte VII. Cap. 3. ideoque eo casu audeundus est is, à quo Litteræ emanarunt.*

XXI. Cùm aliqua subdisiunctione hoc vel illud mandantur, quorum unum verum est, alterum falsum, sufficit unum adimpleri; ut Rescriptum executioni demandetur. *De Rescriptis. Cap. Inter ceteras. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 4. GONZALEZ fusè explicat quidquid sciendum circà Rescripta alternativa.*

XXII. Intentio Mandantis semper attendenda est & servanda. *De Præbendis &c. Cap. Cùm olim. & Cap. Cùm causam. §. Consultationi. LIB. III. DECR. TIT. V. Cap. 38. quod est ultimum, & Cap. 36.*

XXIII. Cùm cessat Causa Mandati, Executor non tenetur illud adimplere. *in VI. De Præbendis. Cap. Si pauper. fin. LIB. III. DECR. TIT. IV. Cap. 30.*

XXIV. Occasione exceptionis alicujus frivola, non vult Papa Mandati sui Executores interloqui. *De Præbendis. Cap. Dilectus. 3. §. Mandamus. fin. LIB. III. DECR. TIT. V. Cap. 34.*

XXV. Si quis peccat contrà Mandatum tam in facto quàm in modo, vel in altero tantùm; non valet quod agitur. *De Restitutione Spoliatorum. Cap. Pisanis. LIB. II. DECR. TIT. XIII. Cap. 19. quod est ultimum.*

XXVI. Processus judicatur irritus, quandò formæ Mandati non est diligenter observata. *ibid.*

Plura scitu necessaria circà executionem Rescriptorum iniquorum, vel noxiorum, vel scandalum periculum-ve invehentium, collegit GONZALEZ *in Cap. 5. De Rescriptis & in Caput 28. de Offic. Jud. Deleg.*

SECTIO X.

Quomodò intelligenda sint Rescripta, & quando extinguantur seu desinant?

I. PER quamcumque Signaturam, seu Concessionem, aut Gratiam, vel Litteras Apostolicas, pro Commissionibus, seu Mandatis, aut Declarationibus, etiamsi motu proprio, ex certâ scientia ac etiam antè motam litem à Sanctitate suâ emanarint, vel de ejus Mandato faciendas, nulli jus sibi quaesitum quomodolibet tollatur. *Regula 18. Cancellariæ ab URBANO VIII. approbatæ BULLARIJ ann. 1623. Tomo IV. p. 28.*

II. Verba Rescriptorum non secundùm Scripturæ Ordinem, sed secundùm Jus Commune sunt intelligenda. *De Rescriptis. Cap. Causam. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 18.*

III. Mandata non debent ad Casus alios, quàm expressos, extendi. *In VI. de Præbendis. Cap. Cui de. LIB. III. TIT. IV. Cap. 27.*

IV. In Generali Concessione nequaquàm illa veniunt quæ non esset Quis verisimiliter in specie concessurus. *In VI. De Officio Vicarii. Cap. Cùm in Generali. LIB. I. TIT. XIII. Cap. 3.*

V. Multa licent in speciali Demandatione, seu Concessione, quæ ex Generali Mandato non licent. *De Officio Legati. Cap. Excommunicatis. LIB. I. DECR. TIT. XXX. Cap. 9. & in VI. De Officio Legati. Cap. Officii. LIB. I. TIT. XV. Cap. 1.*

VI. Semper recurrendum est ad intentionem Man-

Tom. I.

dantis ad interpretandum Mandatum. *De Arbitris. Cap. Exposita. GLOSSA colligit. Verbo intentionis. LIB. I. DECR. TIT. XLIII. Cap. 11. & De Restitutione Spoliatorum. Cap. Audita. GLOSSA. LIB. II. DECR. TIT. XIII. Cap. 4.*

VII. Verba intentioni deserviunt, & secundùm intentionem Proferentis, verbum prolatum intelligendum est. *De Appellationibus. Cap. Secundò. §. in quo. init. junctâ GLOSSA. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 41.*

VIII. Per solam Citationem perpetuatur Rescriptum. *De Rescriptis. Cap. Ex tenore. GLOSSA colligit. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 16.*

IX. Mandatum, quo committuntur Causæ infrà certum terminum decidendæ, nisi de Partium consensu prorogetur, eo transacto expirat. *De Officio & Potestate Judicis Delegati. Cap. De Causis LIB. I. DECR. TIT. XXIX. Cap. 30.*

X. Romani Pontificis Mandatum non expiravit cum Mandante, cùm antè Mandatoris mortem Judex procedere incepit. *De Except. Cap. Olim. in init. med. LIB. II. DECR. TIT. XXV. Cap. 7.*

XI. Mandatum re integrâ, morte Mandatoris expirat. *ibid. Cap. Licet LIB. I. DECR. TIT. XXIX. Cap. 30.*

XII. Mandatum morte Mandatoris nullatenus expirat, si lis antè ejus obitum fuerit contestata. *ibid. Cap. Relatum est. seu Cap. Licet. fin. seu Cap. 30.*

XIII. Romani Pontificis Mandatum in ipsius obitu non expirat, eo quòd Res integra jam non est. *De Fide Instrumentorum. Cap. Ex parte. in init. fin. LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 11.*

XIV. Commissio, per quam censetur etiam Sententiæ prolatio committi, ex quo Res integra non existit, nequaquàm morte Committentis expirat, nisi fuerit antè revocata. *In VI. de Officio & Potest. Jud. Delegati. Cap. Si Delegatus. In VI. LIB. I. TIT. XIV. Cap. 7.*

SECTIO XI.

De Rescriptis GRATIÆ in particulari.

I. **S**edis Apostolicæ Concessio, nullâ Personarum factâ expressione, ut possit idoneis Personis providere; specialem Gratiam continet. *In VI. De Præbendis. Cap. Si cui. colligitur. LIB. III. TIT. IV. Cap. 36.*

II. Si cui facta sit Concessio, seu data sit potestas, non ad suam, sed alterius certæ Personæ gratiam, vel favorem; specialem Gratiam non dicitur continere. *ibid. colligitur. in VI. LIB. III. TIT. IV. Cap. 36.*

III. Non congruit Gratiam, vel reddi quandòque inutilem, vel ipsius effectum in longius tempus cum dispendio illius, cui facta est, differri. *In VI. de Officio & Potest. Jud. Deleg. Cap. Si super. fin. LIB. I. TIT. XIV. Cap. 9.*

IV. In Generali Concessione illa non veniunt, quæ non esset quis verisimiliter in Specie concessurus. *In VI. de Panit. Cap. Si Episcopus. med. LIB. V. TIT. X. Cap. 2.*

V. In Mandato Gratiz, expresso uno Casuum, Mandatum super hoc factum, ad alios extendi non debet. *In VI. de Præbendis. Cap. Cùm in illis. §. Cùm autem fin. LIB. III. TIT. IV. Cap. 16.*

VI. In conferendis Gratiis, qui est tempore anterior, præferendus est alteri, ex quo de intentione Mandantis contrarium non apparet. *ibid. Cap. Quia sæpè. fin. in VI. LIB. III. TIT. IV. Cap. 15.*

VII. Ei per secundum Mandatum præjudicari, aut jus ipsius absorberi non debet. *ibid.*

VIII. Mandatum Gratiofum debet de suâ naturâ restringi. *ibid. in VI. de Præbendis. Cap. Cùm in illis. §. Cùm autem. fin. LIB. IV. TIT. IV. Cap. 16.*

f 3

IX. Si

IX. Si motu proprio Papa Gratiam fecerit, tunc fieri debet interpretatio plenissima in eadem. *ibid.* Cap. *Si pluribus*, Cap. 24.

X. Gratia ad petitionem facta, prout Juri congruit, restringi debet. *ibid.* Cap. 24. §. *Si verò*.

XI. Ei, cui mandatur speciale aliquid conferri, Gratia concedi non potest, si non habeat ad id qualitates requisitas, *ibid.* Cap. 29. *Ei, cui*. Colligitur.

XII. Subreptio contingit in Gratiis ad petitionem concessis. *in VI. de Præbendis*. Cap. *Motu proprio*. Colligitur LIB. III. TIT. IV. Cap. 23.

XIII. Subreptitia Gratia censetur, cum aliquid necessarium in eâ tacetur. *in VI. de Præbendis*. Cap. *Non potest*: Colligitur LIB. III. TIT. IV. Cap. 21.

XIV. Litteræ Gratiæ, quæ sunt subreptitiæ, sunt ipso facto nullius momenti. CLEMENTINARUM *de Præbendis*. Cap. *Si dignitate*. GLOSSA Coll. LIB. III. TIT. II. Cap. 1.

XV. In Concessione Gratiæ, verba Litteræ sunt sequenda. *ibid.* Cap. 1. Colligitur.

XVI. Occasione Mandati, quod Gratiam continet personalem, fraudem adhibere volentibus licentia non concedatur. *De Concessione Præbendæ*. Cap. *Constitutus. fin.* §. *Quia verò*. LIB. III. DECR. TIT. VIII. Cap. 11.

XVII. In Odiosis inspiciendum, quid operetur expressio in concessione Gratiæ, seu Dispensatione. *in VI. de Præbendis* Cap. *Non potest. fin.* GLOS. Colligit. LIB. III. TIT. IV. Cap. 21.

XVIII. Concessio seu Gratia facta aliquibus Personis, nullâ expressâ; non expirat etiam re integra per obitum Papæ Concedentis. *in VI. de Præbendis*. Cap. *Si cui*. LIB. III. TIT. IV. Cap. 36.

XIX. Concessio seu Gratia facta in favorem alicujus certæ Personæ, expirat omnino, si Papa Concedens re integra moriatur. *ibid.*

XX. Ratio discriminis petitur, quod in priorè casu totum, quod est ex parte Papæ, sit executioni demandatum; at in posteriore, data est tantum potestas ad exequendum, adedque cum Executor nondum inchoaverit iudicium, ejus potestas morte Concedentis extinguitur.

XXI. Primæ Generali Gratiæ alicui factæ derogat posterior specialis alteri facta, licet de illâ non fecerit mentionem. *in VI. de Præbendis*. Cap. *Quamvis*. LIB. III. TIT. IV. Cap. 38.

XXII. Constitutio revocatoria Gratiæ non tollit jus in re acquisitum, sed jus, quod ad rem competeat, *ibid.* Cap. 39. *Si is*. Colligitur.

XXIII. Si tamen jus acquirendum, alteri jam acquisito magis digno est annexum, ei salvum remanet. *ibid.* Colligitur. §. *Non Sic*.

XXIV. Jus, quod ad rem competeat, juxta verba revocationis intelligitur revocatum, *ibid.*

XXV. Jus, quod ad rem competeat, cum revocationem ejus Collatio non præcessit, per revocatoriam Constitutionem penitus tollitur. *ibid.* *in VI. de Præbendis*. Cap. *Quodam*. LIB. III. TIT. IV. Cap. 40. *fin.*

XXVI. Sedis Apostolicæ Concessionem, quæ speciale Gratiam continet, decet esse mansuram. *in VI. de Præbendis*. Cap. *Si cui*. LIB. III. TIT. IV. Cap. 36.

XXVII. Extinctâ Gratiâ Sedis Apostolicæ, extinguitur & potestas Executoris ad aliam exequendam. *ibid.* Cap. *Si Clericus*. Cap. 11. GLOSSA colligit.

XXVIII. Facta alicui Gratia per ipsius negligentiam, cum eam petere negligenter omittit, aliquando extinguitur. *ibid.* Cap. *Si Clericus*. Cap. 11.

XXIX. Quando quis restituitur ad Gratiam antea revocatam, hoc intelligitur fieri sine præjudicio ejus, cui tempore revocationis eadem Gratia fuerat concessa, nisi aliud exprimat. *in VI. de Rescriptis*. Cap. *Quamvis*. LIB. I. TIT. III. Cap. 5.

Ad intelligentiam Collectarum Decisionum, Nota 1. Quod pleraque respiciunt Gratiis Expectativas Apostolicas, quarum usus ubique cessavit: sed utilitas Decisionum etiam nunc permanet, quoad res similes. 2. Quod Gratiæ hujusmodi odiosæ sunt, propter damnum Collatoribus, aliisque similibus hinc illatum, ideoque restringendæ sunt. 3. Quod inter Expectantes, alii aliis preferendi erant, nempe Priores Posterioribus, nisi secus Gratia posterior ferret: item II, quibus facta erat motu proprio, his, qui illam ad sui vel aliorum petitionem impetraverant: item HI, quibus Papa contulerat Canonicatum cum expectatione Præbendæ, aliis, qui Canonicatum ut Præbendam expectabant. 4. Hujusmodi Gratiæ omnino adhuc integræ expirabant morte Concedentis, ideoque etiam potestas Executorum illarum; quando verò executio illarum incœperat antè mortem, durabant etiam post obitum Papæ: idem etiam nunc accidit Habentibus Indultum alicujus Magistratus Parisiensis, si iste moriatur, vel Dignitatem amittat antè significationem Indulti, secus, si post significationem debitè factam. 5. Hujusmodi Gratiæ revocari poterant & postea restitui, jus alteri quæsitus pendente revocatione durabat post restitutionem: Utrumque locum habet in Gratiis Expectativis in Galliâ usitatis, nempe in Nominationibus, quæ Graduatis conceduntur, in Indultis à Magistratibus Parisiensibus, quæ aliis cedunt, in Primariis Precibus post adventum ad Regnum, vel post Sacramentum fidelitatis à Novis Episcopis præstitum.

Cæteræ Decisiones pertinent ad Gratiis, quæ ipsâ concessione & expeditione perficiuntur, quæque ideo manent mortuo Papâ, etiam nondum cœpta executione, ut Facultates Legatorum, Vicelegatorum, Indulta conferendi Beneficia, quæ sunt Collationis Papæ, vel jure Devolutionis, vel Reservationis, aliæque quocumque; Indulta dispensandi ab Impedimentis Matrimonii, ab Irregularitatibus; Indulta conferendi in Commendam, illamve continuandi, aliæque similia, quæ totam vim suam habent à die Rescripti, nec ullatenus pendunt ab ipsâ executione, quæ aliud nihil est, quam ipsius Gratiæ fruitio.

SECTIO XII.

Quis penas incurrant, qui falsant Litteras seu Rescripta Apostolica, vel qui falsis Litteris utuntur.

I. **Q**UI Litteris Apostolicis uti voluerint, eas diligenter examinent; quoniam, si falsis Litteris se usos dixerint ignoranter, eorum sera penitentia evitare nequit penas inferius in Jure adnotatas. *De Crimine falsi*. Cap. *Ad Falsariorum*. LIB. V. DECR. TIT. XX. Cap. 7. *init.*

II. Omnes Falsarii Litterarum Apostolicarum, qui per se vel alios vitium falsitatis exercent, cum Favoribus, & Defensoribus suis, Anathematis vinculo sunt innodati. *ibid.*

III. Clerici, qui Falsarii fuerint deprehensi, omnibus Officiis & Beneficiis Ecclesiasticis perpetuò sint privati. *ibid.*

IV. Clerici, qui per se falsitatis vitium exercent, postquam per Ecclesiasticum Judicem fuerint degradati, Seculari Potestati tradantur, secundum Constitutiones Legitimas puniendi. *ibid.*

V. Per eandem Potestatem & Laici, qui fuerint de falsitate convicti, legitime puniuntur. *ibid.*

VI. Clerici, qui sub nomine Papæ Litteris falsis utuntur, Officiis & Beneficiis Ecclesiasticis spoliuntur. *ibid.* §. *Qui verò*.

VII. Laici, qui sub eodem nomine Litteris falsis utuntur, tamdiu manent Excommunicationi subiecti, donec satisfaciant competenter. *ibid.*

VIII. In

VIII. In istis & in illis malitia gravius, quàm negligentia puniatur; quod & de his, qui fallas Litteras impetrant, est observandum. *ibid. fin.*

IX. De Sacerdote, qui Litteras Apostolicas falsavit, omni Officio Sacerdotis & Beneficio Ecclesiastico perpetuò privatum, in aliquod Monasterium districtæ Religionis detrudas. *Appendice CONCILII LATERANENSIS Parte 26. Cap. 3.*

SECTIO ULTIMA.

De Secundis Rescriptis, quandonam priora revocent? illisve prævaleant?

I. Litteræ Posteriores debent Prioribus præjudicium generare. *De Confirmatione utili. Cap. Bonæ memoriæ. §. fin. LIB. II. DECR. TIT. III. Cap. 3.*

II. Ut Secundæ Litteræ revocent Primas, debent facere mentionem de Privilegiis Apostolicæ Sedis, vel de processu negotii coràm primis Judicibus, *De Sententiâ & Re Jud. Cap. Inter §. Cùm confiterit. init. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. Cap. 20.*

III. Prima Commissio Judicibus data non censetur per ultimam revocata, tamquàm primi Judices essent suspecti, quando causâ suspicionis in Jure propositæ, frivolæ videntur. *ibid.*

IV. Cùm in Posterioribus Litteris non sit mentio Priorum, non revocantur. *De dolo & contumaciâ. Cap. Ex Litteris. §. Verùm. LIB. II. DECR. TIT. XIV. Cap. 2.*

V. Cùm in Posterioribus Litteris non continentur nomina Ecclesiarum, quæ in Prioribus posite fuerant, sed dicitur tantùm indefinitè *Super Quibusdam Ecclesiis*, Priores Litteræ non revocantur. *ibid.*

VI. Per generalem seu indefinitam mentionem, Priores Litteræ non revocantur per Posteriores. *ibid. GLOSSA colligit. Verbo indefinitè.*

VII. Per Litteras, in quibus dicitur (*Nullis Litteris veritati & justitiæ præjudicantibus*) vel sub aliâ formâ verborum, non revocantur speciales Litteræ, dummodo de illis nihil expressè dicatur. *De Confirmatione utili. Cap. Bonæ. §. 2. LIB. II. DECR. TIT. XXX. Cap. 3. Genus non derogat Speciei.*

VIII. Si à Sede Apostolicâ Litteræ prius impetrentur, & aliæ postea, non factâ mentione priorum Litterarum, Litteræ impetrentur; si Judicibus innotuit, donec Romanum Pontificem consulant & ipsius exinde plenius cognoscant voluntatem, executione Litterarum debent penitus superfedere, ne pro varietate Litterarum, Causarum fines valeant impediri. *Appendice CONCILII LATERANENSIS Parte VII. Cap. 3.*

IX. Per Posteriores Litteras ab Adversâ Parte obtentas ad infirmendam Sententiam, non derogatur Prioribus Litteris, per quas ad infirmendam vel confirmandam Sententiam potest præviâ ratione procedi. *De Appellationibus. Cap. Oblatâ. fin. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 57.*

X. Priores Litteræ semper manent in suâ vi, nisi fuerint per Posteriores expressè revocatæ; & quidquid in virtute illarum gestum est, debet inviolabiliter observari: donec fuerit de injuriis irrogatis sufficienter satisfactum. *De Officio & Povest. Judic. Deleg. Cap. Ex Litteris. LIB. I. DECR. TIT. XXIX. Cap. 29.*

XI. Sententia autoritate Priorum Litterarum rectè lata, antè receptionem Posteriorum Litterarum, ipsarum occasione nullatenus revocari debet. *De Restitutione Spoliatorum. Cap. Audirâ. LIB. II. DECR. TIT. XIII. Cap. 4.*

XII. Si occasione Posteriorum Litterarum contrâ Sententiam latam aliquid statutum est, id revocari debet. *ibid.*

XIII. Duas Commissiones super eodem negotio Impetrans, quarum altera non facit mentionem de aliâ, carere debet commodo utriusque. *De Rescriptis.*

Cap. Ex tenore. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 16. §. Nos igitur.

XIV. Si aliquis super aliquâ Causâ ab Apostolicâ Sede impetraverit Litteras, & Adversarius ejus eandem Causam postmodùm obtinuerit committi aliis, de Commissionem Priori non habitâ mentione, priores Judices ad Decisionem Causæ possunt procedere, nec Secundæ Litteræ obtinent alicujus roboris firmitatem. *De Rescriptis. Cap. Ceterorum init. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 3.*

XV. Si in Secundis Litteris habeatur mentio de Commissionem Priori, prædicta Causâ à Priorum est exempta judicio, cùm eadem Litteræ non sint tacitâ veritate impetratæ. *ibid. §. 1. Si verò.*

XVI. Si de assensu Partium Causâ committitur, & processu temporis, vel etiam continuò, alterutra Pars, alterâ nesciente, Causam ipsam, tacito de Commissionem Priori, alii Judici obtinuerit delegari; Is, qui tali dolo vel fraude Adversarium suum laborare coëgit, in expensis condemnari debet eidem. *ibid. §. ult. verùm.*

XVII. Si aliquis autoritate Posteriorum Litterarum per Adversarium in Judicium tractus, objecerit Litteras se Priores habere, de quibus in Posterioribus mentio non habetur, si eis dolo vel negligentia uti postposuerit; excusari non debet. *De Rescriptis. Cap. Si autem. init. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 9.*

XVIII. Si autem Prioribus Litteris usus non fuerit, quia Delegati Judicis copiam nequiverit habere; per Posteriores Litteras non poterit conveniri. *ibid. fin.*

XIX. Si quis Apostolicas Litteras impetrans, infra annum, postquam copiam Judicium habuerit, ex malitia vel negligentia postposuerit uti eis, autoritate Posteriorum Litterarum valet conveniri, licet in ipsis nulla de Prioribus mentio habeatur. *ibid. Cap. Plerumque. §. Cùm igitur. fin. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 23.*

XX. Quando de revocatione Litterarum ambigitur, nisi Posteriores Judices Prioribus, vel è converso, duxerint deferendum, simul utrique cognoscant. *ibid. Cap. 14. Pastoralis. §. Ad quod.*

XXI. Si fortè nequiverint simul in unam Sententiam concordare, quamvis plures sint ex una parte, quam ex alterâ, per Arbitros communiter electos à Partibus; hujusmodi concertatio sopiatur. *ibid. fin.*

XXII. Judex, qui ultimò datur, formam Litterarum debet inspicere. *De Rescriptis. Cap. Ex parte §. Mandamus. GLOSSA colligit. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 2.*

XXIII. Per Generale Mandatum posterius concessum, non derogatur Priori Speciali, quia de illo in Generali Mandato mentio non habetur. *De Officio Jud. Ordin. Cap. Grave. GLOSSA colligit. LIB. I. DECR. TIT. XXXI. Cap. 19. Species Generi derogat.*

XXIV. Secundùm Canonicas & Legitimas Sanctiones per speciem generi derogatur, quanquàm de genere in derogante specie mentio nulla fiat. *In VI. De Prabendis. Cap. Dudùm. §. Nos igitur. init. LIB. III. TIT. IV. Cap. 14.*

XXV. Posteriores Litteræ impetratæ, continententes quòd, *non obstantibus Litteris à Parte alterâ impetratis, revocari debeat, si quid immutatum est in Causâ*; intelligi non debet, ut revocetur quod factum est autoritate Priorum Litterarum, sed, si quid præsumptione vel violentiâ immutatum est. *De Restitutione Spoliatorum. Cap. Audirâ. §. Licet. §. Quia. LIB. II. DECR. TIT. XIII. Cap. 14.*

XXVI. Si Rescriptum faciat mentionem alterius Rescripti, primum Rescriptum exhibendum est. *De Rescriptis. Cap. Ex insinuatione. GLOSSA colligit. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 37.*

Circâ collectas in hac Sectione Decisiones videntur

dus GONZALES in Cap. 3. de Rescriptis & Cap. 2. de Off. & Potest. Judicis Delegati, in quibus exponit quæcumque contra illas objici possunt, conciliatque omnia Jura, quæ contraria videntur.

Notandum autem inter alia hic & alibi habita ab eodem, quòd de Regula, quæ irritat secundum Rescriptum non faciens mentionem de primo, plures casus excipiantur, nempe 1. Si posterius sit Speciale. 2. si prius nullum sit ipso Jure, ut potè subreptitium aut obreptitium, vel concessum Incapaci. 3. Si prius valere desierit ex negligentia illo utendi per annum. 4. si utrumque sit ejusdem datæ, & de Collatione Beneficii agatur, tunc enim neutrum valet. 5. Si utrumque ad Lites spectet, & prius sine speciali Mandato impetratum fuerit.

CAPUT I.

Regula circa RESCRIPTA à JURE CANONICO, quoad sensum depromptæ, quibus singula, quæ præcedentibus desunt, sive quoad Ordinem, sive quoad Divisiones, sive quoad Materiam, Suppletur.

Antequàm componantur vel colligantur Regulae circa Rescripta, Quædam scienda sunt. Sciendum est enim 1. Rescripti nomine, intelligi omnem Epistolam, quæ circa aliquid alicui responderetur.

2. Hic sumi tantum pro Epistolâ, quâ Romani Pontifices repondeant, vel dubia Proponentibus, vel Judices, aliudve simile ad Lites pertinens Postulantibus, vel Gratiâ Petentibus, vel, quâ motu proprio alicui aliquid concedunt, vel alteri dare præcipiunt, vel quid aliud facere jubent. Hinc sequi, Rescripta, de quibus hic, posse ex parte Materie in tres Classes dividi, nempe 1. in Rescripta Decretoria, vel Decretalia quibus Summi Pontifices, vel consulti, vel motu proprio aliquid decidunt, vel decernunt. 2. in Rescripta Justitiæ, quæ, quidquid ad Lites pertinet, respiciunt. 3. in Rescripta Gratiæ, quæ ad Gratiâ spectantia contingunt.

Sciendum est 3. primæ Classis Rescripta ex se ipsis apta esse, ut sint Juris Publici Partes, quia vel aliquid novi decernunt & Jus Novum constituunt, vel Vetus interpretantur, & ejus Pars habenda, sicut, cum Legis interpretatio, ab Habente potestatem condendi Legem facta, ad Legem pertineat; alia verò in se considerata nihil aliud esse, quàm Juris Publici exempla, meramque illius executionem continere, ita ut juxta illud interpretanda sint, & ad illud, prout fieri potest, reducenda; considerata autem, ut in Corpore Juris inserta, ad Jus Publicum pertinere, veluti Pars ad Totum spectat, undè, si quid habent Juri Communi, tempore, quo missa sunt, usu recepto dissonum, id ad Jus Commune nunc usitatum pertinet, ut & cætera, quæ in eodem Juris Corpore continentur.

Sciendum 4. Rescripta dividi etiam posse, Ratione Autoris sive Causæ efficientis, in Vera, Falsa, Suspecta; Ratione Formæ, in Valida, Nulla, Annullanda, Dubia, & Obscura, atque etiam in ea, quæ motu proprio; & Ratione Accidentium, in Conditionata, Absoluta, Disjunctiva, & Indeterminata; Ratione Modi illa exequendi, in ea, quæ promptè exequenda sunt, & illa, quorum executio suspendenda est.

5. Rescripta ad alias Res vel Personas non extendi, quàm, quæ Papæ Jurisdictioni subsunt; quædam esse Rescriptis omnibus communia, quædam cuique Rescriptorum speciei propria, idèque prius consideranda esse in genere Rescripta, deindè in particulari, ut separatis, quæ communia ab iis, quæ propria; ab aliis facilius discernantur Rescripta: ob eandem quoque rationem comparandas inter se præcipuas eorum species singulaque, in quibus vel conveniant vel differant, seorsim colligenda esse.

Hinc fit, ut paucis delibatis, circa Rescriptorum autoritatem, notatas à nobis illorum Divisiones per-

curremus, à communiore, nempe ea, quæ ex Auctore petitur, incipientes; atque etiam cum Rescripta Justitiæ, & Rescripta Gratiæ, sint præcipua Rescriptorum genera, inter se accuratius ea conferemus.

Sciendum est, tantam esse Rescriptorum Gratiæ & Justitiæ cum Delegatione connexionem, ut Major pars eorum, quæ docet Jus Canonicum circa Rescripta, ad Delegationem pertineat; idcirco, si quæ hic circa Rescripta omittantur, in Tractatu de Jurisdictione requirenda. Sciendum etiam, Rescripta in Jure Canonico vulgò Litteras Apostolicas appellari, nec non & Mandatum, Commissiones, ut legenti Titulum de Rescriptis patebit. Sciendum præterea, Rescripti nomen Jus Canonicum à Jure Civili sumptissè, in quo eodem sensu sumitur, quo in Canonico: in isto verò Celestinum III. videri Primum, Rescripti nomen eo modo, quo nunc, usurpasse: Idque in C. 13. de Rescript. sed antea eodem sensu sumptum esse patet ex Titulo de Rescript.posito in 1. Collect. Antiquarum.

SECTIO I.

DE RESCRIPTORUM AUTHORITYTE.

Circa Autoritatem Rescriptorum varia considerari possunt. 1. Quanta sit hæc Autoritas. 2. Undè hauriant, quam habent, Autoritatem. 3. Quæ requirantur, ut suâ potiantur Autoritate. 4. Ad quas res se extendat.

S. I.

Quanta sit Rescriptorum Autoritas?

REGULA.

Universalis est Rescriptorum Autoritas eademque quoad amplitudinem, ac Conciliorum Generalium, non autem quoad infallibilitatem.

Prior pars patet ex Can. 1. DIST. XIX. ubi NICOLAUS docet, ab Omnibus esse recipienda.

RATIO COMPARATIONIS est: Concilium Generale Universalem habet autoritatem, quia totam representat Ecclesiam: Rescripta Pontificis Romani Universalem habere debent autoritatem, quia totam gubernant Ecclesiam. C. 1. DIST. XX. ubi LEO IV. docet, Causas Ecclesiasticas judicandas esse per Pontificum Rescripta, sicut & per Conciliorum Canones.

RATIO DISTINCTIONIS: Ecclesiæ Universali promissa est Infallibilitas, non autem Papæ; Concilium autem Generale idem est, ac Ecclesia Universalis, ac idèd istius Privilegio potitur. Posterior inferitur ex C. 6. DIST. XL. in quo dicitur, Papam à nemine judicandum, nisi deprehendatur à Fide devius: inferitur ex Extravag. JOANNIS XXII. De Verborum Signif. Prædecessorum quorundam suorum Decretis contrariâ: item ex C. 13. Qui Filii. & Extravag. II. de Privilegiis. Extravag. I. de Majorit. contrariis.

Dices forsitan contra posteriorem partem, Summorum Pontificum Rescripta ab ipsis vocari Oracula C. 25. de Rescript. C. 7. de Majorit. C. unic. de Voto in VI. hæc autem voce quid Divinum, proindèque infallibile significari. Verum respondetur, INNOCENTIUM III. à quo primum & secundum Capita desumpta, & BONIFACIUM, à quo tertium, Oraculi vocabulum usurpasse, prout significat quid reverendum.

Dices iterum, Rescripta Summorum Pontificum dici Apostolica C. 1. 2. 3. 4. 5. DIST. XIX. ac proindè, æquè parum errori obnoxia esse, ac Apostolorum Epistolæ. Verum respondetur, Rescripta hæc sic appellari, quia ab Apostolicâ Sede emanant; undè non sequitur, illa esse infallibilia, sicut Rescripta Apostolorum; alioquin essent infallibilia tam quoad Factum, quàm quoad Jus: idemque convenire, Rescriptis omnium Episcoporum, quorum

quorum Sedes fundata, vel gubernatae sunt ab Apostolis, ac idè Sedes Apostolicae appellatur. C. 6. Dist. XIX.

Oppones iterum *Agathonem*. C. 2. Dist. XIX. dicere, Sanctiones omnes Summorum Pontificum sic accipiendas tanquam Divi Petri voce firmatae sint, idèque infallibiles habendas esse, sicut haberentur & essent, si à Petro emanarent vel firmarentur. Verum Respondetur, 1. hunc *Agathonis* locum explicandum per istum S. LEONIS relatum. C. 5. CAUS. XXIV. QUÆST. I. *Manet Petri privilegium ubicumque ex ipsius fertur aequitate iudicium, nec nimia est vel severitas vel remissio, ubi nil erit ligatum, nil solutum, nisi quod S. Petrus aut solverit aut ligarit*, idèque sensum illius esse, Sanctiones Papales Petri auctoritatem habere, quando juxta relictas ab hoc Apostolo Regulas factae sunt.

S. II.

Undè suam hauriant Rescripta auctoritatem.

REGULA.

Non aliundè, quàm ex se ipsis, suam Rescripta habent auctoritatem.

C. 1. Dist. XIX. ibi NICOLAUS probat variis Argumentis, auctoritatem Rescriptorum non pendere ex eo, quòd in Codice Canonum, sive in Corpore Juris inserantur, sed ea, quae ibi non sunt inserta, pariter esse auctoritatis, ac ea, quae ibi inserta sunt, modò aliundè constet, non esse supposititia, quae Clausulâ subintellectâ in *cit. Can.* firma sunt omnino, quae continent Argumenta, quae alioquin infirma sunt.

RATIO: Rescripta, quae sunt Pars Juris, de quibus major esset difficultas, non habent auctoritatem ex eo, quòd in Corpore Juris inserantur; Quae enim sunt apud GRATIANUM, ut & alia, quae apud eumdem sunt, non majorem indè habent auctoritatem, ac si non in eo essent, ut supra dictum est; Quae verò sunt in Libris DECRETALIU, SECTI, CLEMENTINARUM &c. non possunt majorem hinc habere auctoritatem, quàm eam, quae antea potiebantur, cum hæ Collectiones vel factae vel approbatae sint à Pontificibus, quibuscumque Pontifices, quorum Rescripta his in Collectionibus continentur, pariter sunt auctoritatis.

Quæres obiter, nùm inserta in Corpore Juris Rescripta ullam hinc capiant utilitatem?

Respondetur, Rescripta in Collectionibus Authenticis, seu Auctoritate Legitima factis, inclusa, triplicem hinc haurire utilitatem; hinc enim nota sunt, Authentica declarantur, & aptiora evadunt, ut in Praxim eant; Rescripta verò in Collectionibus non Authenticis inserta, primam & tertiam hinc capere utilitatem; secundam autem hinc tantum, cum usu recepta sunt istae Collectiones: non ita tamen, ut hinc certum fiat, Rescripta talia eorum esse, quibus tribuuntur, sed solum, ut, quae continent, probentur; undè, ut facilius concipiatur hæc Responsio, distinguenda est duplex Authenticitas: altera, quae Scriptum, non suppositum, ei, cui tribuitur, esse declaratur; altera, quae Scriptum spurium, ut utile recipitur; Authenticitatem istam adepti sunt unum non paucos, ex falsis Priorum usque ad SIXTIVM Pontificum Rescriptis à *Gratiano* passim citatis.

S. III.

Quae requirantur, ut suâ Rescripta potiantur auctoritate.

REGULÆ.

Ut Rescripta quoad ea, quae Juris continent, universali suâ potiantur auctoritate, non alia requiruntur, quàm ista.

I. Ut ad certâ Loca à Summis Pontificibus non restringantur.

II. Ut omnibus Locis conveniant, utilia sint, & expediant.

III. Ut specialibus Locorum Consuetudinibus specialiter derogent, posito, quòd quaedam sint illis contrariae.

IV. Ut sufficienter promulgentur, vel aliter nota fiant.

V. Ut usu ubique recipiantur.

Hæc omnia patebunt ex subsequentiibus ad hoc congruis Dissertationibus inferius referendis.

S. IV.

Ad quas Res extendatur Rescriptorum auctoritas.

REGULA I.

Ad ea omnia extenditur Rescriptorum auctoritas, ad quae Rescribentis potestas, necnon & voluntas.

Non eget probatione.

REGULA II.

Et si innumera sint, quae per Rescripta fieri posse. Jus Canonicum exprimit, vel insinuat, inter ea tamen non alia sigillatim notanda videntur, quàm ista.

I. Rescripta Decretalia derogant Conciliis non Generalibus, etsi de his mentionem non faciant; aliis verò; si expressam de his mentionem faciant: Cujus discriminis hæc est Ratio: In priori casu censetur Pontifex attendisse ad Concilia, quibus derogat, etsi mentionem non faciat, secus in posteriore. C. 1. de *Const. in XI. C. 7. de Capell. Monach.*

II. Derogant specialibus Ecclesiarum Statutis, si de his mentionem faciant, quacumque firmitate roborentur. C. 1. de *Constit. in VI. C. 4. de Rescript.*

III. Verba narrativa Rescriptorum Papalium, quibus Papa se fecisse aliqua, puta excommunicasse, suspendisse, resignationem Beneficii recepisse narrat, & super quibus fundatur ejus Gratia & intentio, plenam fidem in Judicio faciunt. *Clementina de Probation.*

Non est in usu apud Gallos hæc *Clem.* Per *Concord. inter FRANCISCUM I. & LEONEM X.* abrogata est. *TIT. XVI. de Sublatione. Clementinae Litter.*

SECTIO II.

DE RESCRIPTIS FALSIS.

Non agimus seorsim de Rescriptis Veris, quia talia censenda sunt, quae nec Falsa sunt, nec Suspecta.

Circâ Falsa Rescripta, considerari possunt. 1. Quae Falsi Rescripti nota in Jure exprimentur. 2. Quae Cautela adhibeatur, ne fiant Falsa Rescripta. 3. Quis criminis Falsi Reus censendus sit, Quis non. 4. Quomodo puniendus sit Falsi Reus. 5. Quae poena contra Retinentes hujusmodi Rescripta.

S. I.

Quae Falsi Rescripti Nota in Jure exprimentur.

REGULA.

Non alia exprimentur in Jure Falsi Rescripti Notae, quàm ista.

I. Si, in eo Episcopi, istisque Superiores, Filii vocentur, non Fratres; alii verò aliter, quàm Filii nuncupentur. C. 6. de *Crim. Fal.*

II. Si, dum uni dirigitur, iste exprimat in Plurali. *ibid.*

III. Si

III. Si falsa sit Bulla, sive Sigillum, id est si verè collata, ab eà nonnihil absimilis videtur. C. 5. eod. Tit.

IV. Si Falsum sit Filum, id est aliud, quàm in Cancellariâ Romanâ consuetum. *ibid.*

V. Si Filum alicujus Bullæ, alteri adjunctum sit.

VI. Si immutata appareat certis in locis scriptura. *ibid.*

VII. Si Charta de novo scripta videatur. *ibid.*

VIII. Si Charta adeò spissa sit, ut Charta abraza alia tenuissima agglutinata appareat. *ibid.*

IX. Si alia sint scripturæ forma, modus dictaminis, sive Stilus, Chartæ qualitas, quàm quæ in Cancellariâ Romanâ adhiberi solent: Petita ex Bulla, Filo, & Stilo falsitatis Notæ indicantur etiam in fine C. 6. ejusd. Tit.

§. II.

Qua à Jure adhibeatur Cautela, ne fiant Falsa Rescripta.

REGULA.

Præter latam in Falsarios pœnam, de quâ postea, non alia in Jure adhibetur Cautela, ne Falsa fiant Rescripta, quàm quæ sequitur.

Prohibetur, ne Rescripta recipiantur ab alio, quàm à Papâ, vel ab alio, quàm ad id Deputato, idque sub pœnâ Excommunicationis in Laicum, & Suspensionis in Clericum C. 4. De Crim. Fals.

§. III.

Quis circâ Falsum Rescriptum Reus censendus est.

REGULA.

Non alii à Jure habentur ut Rei circâ Rescripta Falsa, quàm isti.

I. Falsitatis vitium per se Exercens, vel per alium, illiusque Fautor & Defensor. C. 7. De Crim. fals.

II. Rescripto Falso Utens. *ibid.* Idem habet C. 8. & 11. sumpta in contrario sensu.

III. Illud Impetrans. *ibid.*

IV. Ultra 20. dies illud Detinens. C. 4. eod. Tit. in fine.

Nota obiter ex postremo loco citato inferri posse, Priorem loqui tantum de Urente & Impetrante, qui cognoscit falsitatem: nam, quæ dicit de Detinente, ad Cognoscentem falsitatis vitium restringit, & non est potior ratio de isto, quàm de aliis.

§. IV.

Quomodo à Jure Canonico puniatur circâ Rescriptum Falsum Reus.

REGULA.

Non aliis plectit Jus Canonico pœnis circâ Rescriptum Falsum Reos, quàm istis.

I. Falsitatis vitium per se vel per alium Exercentem necnon & illius Fautores Anathemate innodatos declarat. C. 7. De Crim. Fals.

II. Clericos Falsarios deprehensos omni Officio, Beneficioque Ecclesiastico privat, sive per se, sive per alium hoc Crimen commiserint; si verò per se, degradari jubet, & Potestati Seculari tradi. *ibid.*

III. Urentem, Impetrantem quoque, ipso facto ab Officio & Beneficio spoliari jubet, si sit Clericus; si Laicus, Excommunicationi tandiù subijcit, donec competenter satisfecerit. *ibid.*

IV. Ultra 20. dies Detinentem Excommunicatione Papæ specialiter reservatâ illaqueat. C. 4. ejusd. Tituli.

V. Præcipit, ut Testes, qui gratiâ, odio, vel timore super Falsitate Rescripti nolunt deponere, ad id per

Censuram Ecclesiasticam compellantur. C. 9. de Testib. cogendis.

SECTIO III.

DE RESCRIPTIS SUSPECTIS.

Circâ Rescripta Falsitatis suspecta Quæri potest. 1. Quæ talia à Jure habeantur. 2. Quid circâ hujusmodi Rescripta sit faciendum.

§. I.

Quæ Rescripta Falsitatis suspecta à Jure censentur.

REGULA.

Non alia in Jure dicuntur suspecta Falsitatis Rescripta, quàm ista.

I. Si sint contraria alicui Concilio Generali, & de eo mentionem non faciant: Si tamen illud Concilium aliud sit, quàm Tridentinum; Plus enim V. expressè Brevi 1570. declaravit, Rescripta Concilio Tridentino contraria valere, etiamsi illi non derogent expressè. C. 3. de Capell. Monach.

Inferitur ex C. 17. de Rescript. in quo INNOCENTIUS III. dicit, quòd sciens nihil apponi facit in Rescriptis suis, quod de Jure debeat reprehendi: hoc Idem articulo hanc affert rationem C. 57. De Elect. Non est credendum, Romanum Pontificem, qui Jura tuetur, uno verbo velle subvertere, quod aliàs multis vigiliis est inventum & excogitatum.

II. Si quæ Falsitatis Nota ex suprâ notatis in illis ita appareat, ut meritò dubitetur, an vera sint. C. 15. De Appell.

III. Si Causæ cognitionem prohibeant. Cap. 2. De Rescr. Vid. GONZALEM in illud n. 18. Hæc prohibitio injusta esset, quia nemo inauditus damnandus est.

IV. Si manifestum in Constructione peccatum contineant. C. 11. De Rescript. C. 5. De Crim. Fals.

V. Si sit rasura in loco suspecto. C. 3. de fide Instrum.

VI. Si Gratia concessa, sit insueta exemploque, careat C. 5. 6. De Confirm. Utili &c.

§. II.

Quid faciendum circâ Rescripta Falsitatis Suspecta.

REGULA.

Circâ hujusmodi Rescripta nil aliud facere præcipit Canon, quàm istud.

I. Si Rescripta sint Juri contraria, non sunt exequenda; sed Superior super ea consulendus. C. 2. de Crim. falsi. C. 8. De fide Instrum.

II. Si quid habent Juri consonum, id executioni mandandum est. C. 8. *max. citat.*

SECTIO IV.

DE RESCRIPTIS NULLIS.

REGULA.

Rescripta non in aliis Casibus declarantur nulla à Canone, quàm in istis.

I. Si Falsi suggestionem, vel Veri suppressionem obtineantur; quod generaliter verum est, si id fiat ex malitiâ, & agatur de Gratiâ; secus, si fiat ex simplicitate, vel ignorantia, & agatur de Justitiâ; tunc enim valet quoad id quod habet Juri Communs consonum. C. 8. de Constit. C. 6. De Conc. Prob. C. 16.

C. 16. CAUS. XXVI. QUÆST. II. C. 20. De Rescript. C. 11. De Deleg. in. 1. Coll.

H. Si dent Curatum Beneficium Personis, quæ Scientiâ, Moribus, & Ætate non congruunt Concilii Lateranensis Inlilitus; Quod extendi potest ad omnia Rescripta Gratia & Justitiæ, Canonibus contraria, ipsisque non Derogantia. C. 4. De Ætat. & qual. &c. C. 3. De Capell. Monach. CAUS. XXV. QUÆST. II. C. 13. 14. 15. 16.

III. Si in his desit aliqua littera & non constet de Mandatoris intentione, nec Præcedentia per Subsequentia intelligantur; secus, si desit tantum aliqua littera. C. in 15. in Coll. 5. De Off. & Pot. Deleg.

IV. Si dentur à Pontifice per ignorantiam, vel negligentiam, vel occupationem nimiam inadvertente. C. 41. De Sent. Excomm.

V. Si ab Excommunicato impetrentur extrâ Communionis vel Appellationis Causam. C. 1. De Rescript. in VI. C. ult. De Except.

VI. Si ab eodem plures in alium Appellationes Habente, ad diversos Judices impetrentur Rescripta. C. 2. De Rescript. in VI.

VII. Si à Reo Actorem Conveniente vel Reconveniente, ad alium, quam ad illum, coram quo convenitur; Rescriptum impetretur. *ibid.*

VIII. Si Secundum Rescriptum circa eandem rem impetratum de Primo mentionem non faciat. C. 2. 3. De Rescript. Loquuntur tantum de Rescript. Justitiæ; sed ob paritatem rationis, ad alia extendi possunt. Ratio enim illorum est, ne fraus sua Autori patrocineretur, hæc autem Ratio generalis est, ideòque audienda tam circa Rescripta Gratia, quam circa Rescripta Justitiæ. *Vide Exceptionem in R. 4.*

IX. Non valet Rescriptum super his, quæ Ordini Cisterciensi Sedes Apostolica specialiter indulget, nisi in illo facta fuerit hujus Ordinis Mentio. C. 6. *ibid.*

X. Non valet Rescripta, quibus impetrantur indeterminati Judices ab ipsâ Parte eligendi. C. 10. *ibid.* *Vid. GONZALEM*, ubi notat hujus rei causas aliisque Textibus probat congruas esse.

Hic damnari videtur Usus apud Gallos receptus, quo postulati à Parte Judices à Papa vel Legato impetrantur: sed differt hic Usus à damnato, quia apud Nos determinati sunt Judices, illic verò indeterminati.

XI. Non valet impetratum post Appellationem Rescriptum, in quo nulla de illâ sit mentio. C. 12. *ibid.*

XII. Rescriptum dolo obtentum irritum est habendum: idem dic, si antè terminum obtineatur: dolo autem obtinetur, si Impetrans Dignitatis suæ nomen supprimit, ut sibi Rescriptum detur aliter denegandum. *ibid.* C. 50. De Appell. C. 50. de Rescript.

XIII. Si diversa ad diversos Judices super eodem negotio contrâ eundem impetrentur Rescripta, quorum unum de alio non faciat mentionem, nullum ex his valet. C. 18. *ibid.*

XIV. Rescriptum obtentum contrâ talem talis Dioceseos nullum est, si iste sit alterius Dioceseos. C. 34. *ead. Tit.* Hujus Causis & sequentis Ratio desumitur ex præsumptione fraudis.

XV. Impetratum contrâ Hominem Dioceseos, non valet ergâ Hominem Civitatis. C. 25. *ead. Tit.*

XVI. Excedens Concedentis Jurisdictionem non valet, quale esset quod ab Ecclesiâ daretur circa rem Fori Secularis. C. 10. 20. De For. Comp. in integrâ.

XVII. Si Secundum Rescriptum post legitimam executionem accipiat, irritum est. C. 16. De Rescript. C. 4. De Rescript. spoliat.

XVIII. Quando Rescriptum est aliquorum Privilegiis, Statutis, Consuetudinibus contrarium, nullum est, nisi adsit Clausula Derogatoria.

Inferitur ex C. 1. de Constit. in VI. Quod enim dicit de Constitutionibus, ad Rescripta extendendum est, cum sit par Ratio: Inferitur etiam ex C. 6. De Rescriptis, in quo dicitur, quod in Rescripto Ordinis Cisterciensis Privilegiis contrario, faciendâ est mentio de Privilegio hujus Ordinis, ut valeat Rescriptum; Dici

posset; quod *Caput istud* contineat Gratiam Ordini Cisterciensi specialiter indulgam, ideò ad alios similes Casus extendi non posse; sed Respondere licet, quod id unum speciale est in *cit. Cap.* quod in Rescriptis Ordini Cisterciensi adversis expressa sit mentio faciendâ de Privilegiis hujus Ordinis: in Rescriptis verò, quæ aliorum Indultis adversantur, sufficit ut generaliter derogetur omnis Privilegiis.

REGULA II.

Ignorantia Facti, quod in Rescripto, ut valeat, est exprimendum, impedit, ne Rescriptum sit irritum, quando Factum illud non exprimitur.

C. 7. De Rescript. in VI.

REGULA III.

Rescriptum quoad aliquid nullum, non ideò quoad cætera irritum est.

C. 9. de Rescript. in VI.

REGULA IV.

Secundum Rescriptum valet, non factâ de Primo mentione, quando Impetrans isto usus non est dolo vel negligentia.

C. 9. 12. de Rescript.

REGULA V.

Rescriptum nullum est, quoties non exprimit, quod, ut valeat, Jus vel Stylus exprimendum declarat.

Inferitur ex C. 17. 34. 35. de Rescript. ubi Rescripta declarantur nulla, ob id solum, quod in his non exprimentur, quæ ex solo Jure vel Stilo esse exprimenda judicantur.

Circa ea, quæ exprimenda declarat Jus Vibe R. 9. hujus Tituli.

REGULA VI.

Non est irritum Rescriptum, quoties non exprimit, quod expressum à concedendo Papam revocaret.

C. 23. de Accus. ubi Collatio facta Criminoso Beneficium Petenti, modò non sit diffamatus, valet, si illius tamen crimina expressa fuissent, à conferendo tali, retraxissent, ut inferre licet ex C. 4. de Ætate & Qual. &c.

REGULA VII.

Non sola Falsitas, seu Res Falsa, quæ cognita à concedendo Papam retraheret, Rescriptum irritat, sed quandoque & ea, quæ cognita non retraheret.

C. 34. de Rescript.

REGULA VIII.

Irritum est Quidquid sit vi Rescripti irriti.

C. 19. De Rescript. C. 6. De Conc. Prab.

REGULA IX.

Quæ exprimenda in Rescriptis, ut valeant, continent.

Non alia Canon ad id clarè exigit, ut in Rescriptis exprimentur, quam ista.

I. In Secundo Rescripto circa idem negotium impetrato, de Primo mentio haberi debet. C. 2. 3. 15. De Rescript. C. 11. 13. de Deleg. in 11. Coll. C. 12. 19. *ead. Tit.* C. 2. de Appell.

II. Si Quid impetretur contrarium Apostolicis Ordinibus Cisterciensis Indultis, hujus Ordinis faciendâ est mentio. C. 6. *ead. Tit.*

III. Obtentum post Appellationem, istius meminisse debet. C. 12. *ead. Tit.* C. 3. de Confr. util. &c.

IV. Vera Impetrantis Diocesis exprimenda est. C. 34. *ead. Tit.*

V. Idem de ipsius Patriâ vel Domicilio, quando est de Civitate Cathedrali. C. 35. *ead. Tit.*

VI. Extrâ

VI. Extrâ Diocesim ultrâ duas Diatas Reum trahens meminisse debet Constitutionis id prohibentis. C. 26. Eod. Tit.

VII. In Rescripto ad Beneficium, exprimendum illud, quod Impetrans jam possidet. C. 26. 27. 42. Eod. Tit.

VIII. In Rescripto Beneficii Restitutorio exprimenda est causa, ob quam Impetrans amotus fuit. C. 26. Eod. Tit.

IX. In Rescripto ad Beneficium obtinendum, Impetrans meminisse debet Primi, vi cuius Beneficium vel Pensionem obtinuit. C. 31. Eod. Tit.

X. Irregularis suâ irregularitatis meminisse debet in Rescripto, quo Beneficium impetrat. C. 2. de Fil. Presb.

XI. In Rescripto, quo quis à Beneficio amoveri præcipitur ob impedimentum Canonicum, à quo dispensatus fuerat, habenda est mentio Dispensationis antea sibi concessa. C. 9. Eod. Tit.

XII. In Rescripto, ad Beneficium obtinendum, Impetrans exprimere debet, se Clericum esse. C. 16. de Transact.

XIII. In Rescripto, cujus impetrationi obest Excommunicatio, de istâ mentio facienda est; secus, si non obstit. C. ult. de Except.

XIV. Cùm vi Primi Rescripti processum est, ac res, de quâ agitur, tangit Privilegia à Sede Apostolicâ concessa, Secundum Rescriptum circa eandem rem impetratum de utroque hoc puncto meminisse oportet. C. 30. de Sent. & Re Jud.

XV. Contrarium Statuto jurato & à Papâ confirmato Rescriptum de illo mentionem facere debet. C. 19. de Rescript.

XVI. In Rescripto, quo Petro Prioratus seu Temporalis Administratio confirmatur, exprimendum, Petrum esse Regularem. C. 5. 6. de Confirm. util. &c.

XVII. Rescriptum à Censurâ absolvens facti seriem, propter quod illa lata est, continere debet. C. 5. de Cohab. Cler.

XVIII. Quando Rescriptum Concilio Generali adversatur, illius meminisse debet. C. 3. de Capell. Monach. Exceptio habetur. C. 1. de Const. in IV.

REGULA X.

Expressionis defectus suppletur per Clausulam faciendâ expressioni respondentem. C. 21. de Præb. in IV.

REGULA XI.

Clausula motu proprio eundem defectum supplet, nisi agatur de damno tertii. C. 23. de Præb. in VI.

SECTIO V.

DE ANNULANDIS RESCRIPTIS.

REGULA.

Non alia in Canone leguntur circa Rescripta annullanda, quàm ista.

Quidquid fit ex Rescripto irritando quale est subreptitium, quoad Lites irritandum est. C. 22. de Rescript. C. 5. de Vicario.

SECTIO VI.

DE RESCRIPTIS, QUORUM DUBIUS EST VALOR.

REGULA.

In dubio, an Posterior Rescriptum Prius revocet, utriusque Iudices simul cognoscere debent, si alii alii deferre noluerint; quod si concordate nequiverint; Arbitri à Partibus electi concertationem sopire debent.

C. 14. de Rescript.

SECTIO VII.

DE RESCRIPTORUM, QUIBUS INEST AMBIGUITAS, INTERPRETATIONE.

REGULA.

Non alia leguntur in Canone circa Rescriptorum ambiguoarum interpretationem, quàm ista.

I. Rescripta ambigua ex Rescribentis intentione interpretanda sunt. C. 41. de Appell.

II. Quando obtinetur Rescriptum contra Petrum & Quosdam alios, hæc Clausula, *Quidam alii*, non extenditur ad Plures, quàm ad Quatuor, quorum Nomina in primâ Citatione sunt exprimenda, ne varietati detur locus. C. 2. de Rescript. in VI.

III. Si plures in eodem negotio committantur cum hæc Clausula *si non omnes simul potuerint, qui poterunt procedant*, hoc de impotentia tam facti, quàm Juris, intelligendum est. C. 13. de Rescript.

IV. Si verò aliquis interesse noluerit, alii procedere non possunt, nisi prædictæ Clausulæ additum fuerit, *aut noluerint. ibid.*

V. Rescriptum ex Jure Communi est interpretandum quoad ea, in quibus ipsi expressè non derogat. C. 18. Eod. Tit.

VI. Clausula, *si ita est*, ad omnia, quæ præcedunt, extenditur. C. 25. Eod. Tit.

VII. Clausula, *si Idoneus*, non imponit onus probandi se idoneum, Rescriptum accipienti. C. ult. de Præsumpt.

VIII. In Rescripto, quo in aliquâ Ecclesiâ de Beneficio aliquis provideri jubetur, nomine Beneficii simplex Beneficium, non illius Ecclesiæ Rectoria seu Dignitas intelligitur. C. ult. de Præb.

IX. Rescriptum Gratiam ambitionem concedens strictè est interpretandum: Talis autem censetur, quâ Prælato permittitur, ut Beneficia, quæ tempore Promotionis habet, retineat. C. 5. de Rescript. in VI.

X. Quando pluribus articulis connexis in unâ Commissionem positus, in uno tantum contingit, Appellatio nem expressè vetari, ea quoque circa alios censetur interdita, quocumque Rescripti loco Clausula inseratur; C. 41. de Appell. Sed, si de pluribus negotiis, quæ se minime contingunt, in Rescripto agatur, ad illud negotium restringenda est Clausula, quod præmissum est. C. 71. Eod. Tit.

XI. Præcedentia per Subsequentia, & è contrâ, sunt explicanda, cujus ratio est, quia Rescripti principium sæpe refertur ad medium & ad finem; medium verò ad principium & ad finem. C. 41. cit.

XII. In re gratiosa Abbates sub Monachis comprehenduntur. C. 46. de Sim.

SECTIO VIII.

DE ALIIS RESCRIPTORUM DIVISIONIBUS.

Quæ de Rescriptis dicenda supersunt, paucis Titulis comprehendimus; quia, quæ Rescripta conditionata & disjunctiva respiciunt, uno verbo expediuntur: quæ verò Rescripta tum Gratia tum Justitia spectant tribus Regulis finiuntur: postremò, quæ ad Rescriptorum executionem pertinent, pluribus quidem Regulis, sed brevissimis & facillimis continentur. Eadem de causâ possemus etiam, nullâ adhibita subdivisione, singula hæc explicare, verum, ne ulla sit hoc in Tractatu confusionis umbra; Sectionem hanc Octavam in Sex §§. pro rerum tractandarum numero subdividemus;

§. I.

De Rescriptis Conditionatis.

REGULA I.

Rescriptum conditionatum non valet, nisi adimpleatur conditio.

C. 13. de Rescript. in VI. CLEM. unic. de Conces. Præb.

REGULA

REGULA II.

Hinc si Quis sub futura conditione Beneficium impetret, alius verò purè ante conditionis hujus eventum, posterior priori præferatur.

C. 13. *De Rescript. in VI.*

§. II.

De Rescriptis Disjunctivis.

REGULA.

In Rescripto Disjunctivo (*quale, quo præcipitur aliquid fieri, si hoc, vel illud ita se habeat*) sufficit, quòd una pars sit vera.

C. 4. *De Rescriptis.*

§. III.

De Rescriptis Obreptitiis, Subreptitiisve.

Notandum, per Rescriptum Obreptitium intelligi, illud, in quo tacetur veritas exprimenda; per Subreptitium verò, intelligi illud, in quo suggeritur falsitas: Notandum iterum, Rescriptum Obreptitium dici posse Subreptitium, quia furtivè Concedenti, qui si sciret quòd tacetur, Rescriptum denegaret. His notatis hæ traduntur Regula.

REGULA I.

Fundamentum notatæ distinctionis inter Rescripta Obreptitia, Subreptitiave in Canone reperitur: ipsa verò distinctio nequaquam, imò contrarium quid in eo habetur.

I. Pars patet ex C. 20. *De Rescript.* & ex C. 7. *De Fide Instrum.*

II. Credenda, donec citetur aliquis Canon, in quo talis distinctio exprimatur.

III. Pars est in *Cap. 22. de Rescript.* & in C. 21. 23. *de Præb. C. 41. de Excom.* Vocant Surreptitia Rescripta, in quibus veritas exprimenda tacetur.

REGULA II.

Obreptio vel Surreptio non eundem habent effectum, in quovis Rescripto.

Infertur ex C. 8. & 22. *de Rescript.* quæ docent, Rescriptum Justitiæ Obreptione, vel Surreptione fieri annullationi obnoxium: Rescriptum verò Gratiæ, eadem Obreptione, vel Surreptione fieri nullum.

REGULA III.

Triplex est Clausula, quæ impedit, ne Obreptio, Surreptione noceat, Motu proprio, Nonobstante, Ex certâ scientiâ.

De Primâ fit mentio in C. 23. *de Præb. in VI.* de secundâ in C. 21. *ibid.*

§. IV.

De Rescriptis proprio Motu datis.

REGULA I.

Ut sunt Rescripta, quæ ad Impetrantium petitionem vel aliorum dantur, ita sunt, quæ ex merâ Concedentis benignitate procedunt & Rescripta de Motu proprio dicuntur.

C. 23. *de Præb. in VI.*

REGULA II.

Nullum Rescriptum proprio Motu datum reputandum est, nisi id in eo exprimatur. *ibid.*

REGULA III.

Clausulæ, proprio Motu, non alia vis, quàm ut impediatur, ne Rescriptum Obreptitium Surreptitium.

Tom. I.

tiumve censeatur, & ut denotet Papam immediatam jurisdictionem prætere in eos, quibus illa diriguntur.

Id operatur citata Clausula, aliud autem operari ex nullo juris Textu colligere fas est.

§. V.

De Rescriptorum stylo.

REGULA.

Non alia in Canone habentur ad Rescriptorum styllum pertinentia, quàm ista.

I. Episcopi, Archiepiscopi, alique Superiores vocantur à Papâ Fratres; non Filii: ceteri verò vocantur Filii.

II. Papa scribens singulis Personis plurali locutione non utitur.

§. VI.

Comprehendens ceteras Rescriptorum Divisiones.

REGULA I.

Rescripta alia sunt Excitatoria, alia Restitutoria, alia Attributionaria.

Excitatoria sunt, quibus Ordinarius ad ea faciendâ excitatur, quæ ex Officio facere potest & debet: *Restitutoria* sunt, quibus Ordinario præcipitur, ut quæ aliàs poterat, ut Ordinarius, nunc tamquàm Sedis Apostolicæ Delegatus faciat: *Attributionaria* sunt, quibus Ordinario, quæ ut Ordinarius non potest, nec aliàs potuit, committuntur.

REGULA II.

Primi & Secundi generis Rescripta à Rescriptis Tertii generis in eo differunt, quòd quæ vi illorum fiunt, autoritate *Ordinariâ* fiant, ideòque in eis Appellatio immediata ad Prælatum proximè Superiorem devolvitur. Quæ verò in istorum executionem fiunt, autoritate *Delegatâ* fiant, ideòque ad Committentem Appellatio devolvitur.

Prior Regulæ Pars expressè habetur in C. 12. *de Off. Ord.* quoad Rescripta Excitatoria: Quoad alia verò, ex pluribus Concilii Tridentini locis præfata autoritas Delegata colligitur, cum doceant Ordinarium, post factam ab eodem Concilio restitutionem, tamquàm Delegatum agere debere in iis, quæ aliàs ut Ordinarius faciebat. Infertur etiam ex *Eod. Cap. 12.* restitutione enim, quæ aliena erat jurisdictio ejus propria sit, cui restituitur. Hoc fufius explicatur in *Tractatu de Jurisdic. Ecclesiasticâ* in II. Tomo, inferendo.

SECTIO IX.

De iis, que RESCRIPTIS JUSTITIÆ sunt peculiaribus.

REGULA I.

Quidquid ratione Materiæ convenit Rescripto Justitiæ, id sibi peculiare habet. Hinc quæcumque huic Rescripto conveniunt ex eo, quòd Forum Contentiosum respiciat, sibi peculiaribus sunt.

REGULA II.

Non alia habentur in Canone Rescriptis Justitiæ peculiaribus, quàm ista.

I. Non diriguntur nisi Dignitatem vel Personatum Habentibus aut Canonicis Ecclesiæ Cathedralis, nec executioni mandantur nisi in Civitatibus vel Locis Insignibus. C. 11. *de Rescript. in VI.*

II. Si quis Duplici Rescripto delegetur ad eandem Causam, *Generali*, quo Causa non exprimitur, sed tali modo

§

modo

modo tractari jubetur, cum expressa fuerit, & *Speciali*, quo Personæ & Res exprimuntur: nonnullaque mutantur quoad procedendi formam; *Speciale*, Rescriptum Generali derogat, quoad ea, quæ specialiter exprimit. *C. 14. §. Quoniam. De Refor.*

III. Rescriptum, quo Personis & Rebus non expressis, sed postea exprimentis Causa committitur, jurisdictionem dat, sed non exercitium Jurisdictionis: istud verò accipitur Rescripto, quo postea Res & Personæ exprimuntur. *ibid.*

IV. Rescriptum expressè obtentum contrà Minores & viliores Personas, ad Majores extendi non potest. *C. 15. eod. Tit.*

V. Clausula & quidam alii non est ad multitudinem effrenatam extendenda, sed exponenda, ut in *C. 2. de Rescript. in VI. ibid.*

VI. Rescriptum, quo Impetrans non utitur contrà expressos sed contrà Minores, vel Pares non expressos, censetur dolo obtentum, ideoque ut nullum habeatur. *ibid.*

VII. In Causâ Monasterii, in quo Abbatis & Conventus negotia non sunt discreta, valet Rescriptum, quod Solius Abbatis meminit, vel quod contrà solum Abbatem impetratur. *C. 21. de Rescript.*

VIII. Rescriptum Subreptitium non est nullum: hinc patet, quòd omisso Clausulæ, si *Preces veritate nitantur*, non annullat id genus Rescripti. *C. 22. de Rescript. expressè dicit, hanc Clausulam subintelligendam, si omittatur, & de Rescriptis Justitiæ manifestè loquitur.*

IX. Qui Rescripto ex malitia vel negligentia intrà annum non utitur, alio potest conveniri, etsi Primi non meminerit. *C. 28. eod. Tit.*

X. Rescriptum ultrà duas Diœcesim extrà Diœcesim Reum trahens, non valet, nisi Partes consenserint, vel id Constitutionis id prohibentis meminerit. Gallia factam huic Constitutioni Derogationem non probaret, Parte Adversâ de hoc conquerente. *C. 28. ibid. Corrigitur hoc Caput Cap. 11. de Rescript. in VI.*

XI. Impetratum sine Speciali Domini Mandato Rescriptum non valet, nisi à Consanguineis vel litis Consortibus aliisque similibus impetratum sit; idem si Mandatum revocatum fuerit, & revocatio Procuratori innotuerit. In Gallia sine tali Mandato valde impetratur. *C. eod. §. sunt & alii. C. 33. eod. Tit.*

XII. Admittens Appellationem Rescriptum circa executionem anterioris Rescripti, pravalet Rescripto, quod Causam commisit, cujusque executio Appellationi locum præbuit. *C. 29. eod. Tit.*

XIII. Successor conveniri nequit Rescripto in Prædecessorem impetrato, si iste antè mortem vi illius ad Judicium non sit vocatus, præterquam si succedat in vitio: cuius ratio est, quia Rescriptum expirat cum eo, contrà quem impetratum est, si res sit adhuc integra. *C. 36. eod. Tit. C. 11. de Judiciis. C. 36. de Rescript.*

XIV. Rescripta Impetrantes, iisque Utentes, ut alios quoquo modo vexent, illorum commodo frustrati in expensis sunt condemnandi. *C. 44. de Rescript. huc referri potest. C. 16. eod. Tit. quod privat Prioris Rescripti commodo eum, qui aliud dolo impetrat non factâ illius mentione.*

XV. Fiunt inutilia, nisi Impetrans iis intrà annum utatur. *C. 9. & 33. De Refor.*

XVI. Vis eorum expirat, si Concedens moriatur nondum incepta executione. *C. 19. & 20. de Deleg.*

XVII. In Causa Reali Rescriptum sequitur rem, quam respicit, undè vi illius conveniri potest is, ad quem transmittitur post Rescripti Impetrationem. *C. 1. de alien. Jud. mut. causa.*

XVIII. Id ad quod Jure Communi Rescriptum extenditur, tanquam expressum habetur, si prætermittatur. *C. 1. De Mutuis Petition.*

XIX. Sub eadem Rescripti formâ reconveniri potest Actor, sub quâ Reum convenit. *C. 2. De Mur. Petit.*

XX. Rescriptum Appellationem prohibens, injustam

tantum prohibet. Clausula autem, quâ Appellatio prohibetur, non convenit nisi Rescripto Justitiæ. *C. 47. De Appell.*

XXI. Rescriptum rei litigiosæ Confirmatorium non valet, rei verò legitime possessæ ita valet, ut absque Sedis Apostolicæ Mandato de eâ cognoscere Judici non liceat. *C. 1. 2. De Conf. Util. &c.*

XXII. Prælatus in Causis Prioratum sibi subditorum, vi Rescripti Reum convenire nequit, nisi ubi Priores possent, si alibi conveniat, in expensis damnatur, & Processus est irritus. *Clem. 1. de Rescript.*

XXIII. Cum Justitiæ Rescripta facillimè impetrentur, non præsumitur Quis falsasse hujusmodi Rescriptum, nec punitur qui ex ignorantia vincibili falso Justitiæ Rescripto utitur, modò uti desierit statim, ac illius falsitas sibi nota facta est. *C. 8. De Crim. Falsi.*

XXIV. Rescriptum, quo committitur Judex notoriè suspectus, surreptitium judicatur, si de tali suspicione nulla fiat in illo mentio. *C. 2. Ut lite non Contest.*

SECTIO X.

De iis, quæ RESCRIPTIS GRATIÆ peculiaris sunt.

REGULA.

Non alia in Canone leguntur Rescriptis Gratia peculiaris, quàm quæ sequuntur.

I. Dantur ad tempus indeterminatum, scilicet ad beneplacitum, vel Pontificis vel Sedis Apostolicæ; si ad Pontificum, expirant cum illis, si ad Sedis Apostolicæ, durant, donec revocentur. *C. 5. de Refor. in VI.*

II. Tempus Data attenditur, non Præsentationis, nisi cum non apparet, Quis prius impetraverit, &, si Impetrantes in omnibus sint æquales, locus est Gratificationi. Attenditur autem tempus Data, quia Rescriptum istud ad rem jus dat, eo ipso, quo obtinetur, si Beneficia respiciat. *C. 9. 12. ibid. Idem habetur. C. 7. & 30. eod. Tit. in DECRET. C. 14. ibid.*

III. Rescriptum ad Beneficium obtinendum irritum est, si aliud ab Impetrante jam possessum in eo taceatur. *C. 17. 27. 42. eod. Tit.*

IV. Rescriptum in Beneficio restituens non valet, nisi causam, ob quam Impetrans ab eo erat amotus, exprimat. *C. 6. eod. Tit.*

V. Rescriptum, quo Beneficium conceditur ei, qui simili Rescripto renunciavit ob alia Beneficia vel Pensiones, irritum est, si Primi sic venditi non meminerit. *C. 31. eod. Tit.*

VI. Executorium de Beneficio Rescriptum non valet, nisi Monitorium, de quo mentionem facit, præcesserit. *C. 37. eod. Tit.*

VII. Rescriptum cum hac Clausulâ, si pro alio non scripsimus, non valet in Ecclesiâ, in quâ vi Rescripti ejusdem Pontificis aliquis obtinuit Beneficium, vel ad hoc receptus est. *C. 39. eod. Tit.*

VIII. Pontifex, qui in unâ Ecclesiâ Rescriptum Prædecessoris sui executus est, potest aliud in eadem alteri concedere, quin illam bis gravet. *C. 39. eod. Tit.*

IX. Speciali gravatus Rescripto non est iterum gravandus vi Generalis Rescripti, quo jubetur Episcopus, ut alicui provideri faciat in Diœcesi suâ, ubi pro alio non est scriptum. *C. 40. eod. Tit.*

X. Gratia alicui concessa sine alterius læsione interpretanda est, & si quæ fiat, compensanda est. *C. 12. De Deleg. C. 1. Lit. pend. C. 16. De Major. & Obed.*

XI. Rescriptum Gratia Obreptitium, vel Subreptitium, est nullum, sive Beneficia, sive alias Gratias respiciat. *C. 8. 17. 19. 27. 31. 32. 37. 42. De Refor. & C. 6. eod. Tit. in VI. Quæ omnia de Beneficiis loquuntur C. 16. De Refor. & C. 7. De Fid. Instr. C. 2. De Fil. Presb. CONC. TRID. Sess. XIII. C. 5. De Ref.*

XII. Hinc

XII. Hinc si, tacito Canonico ad Beneficium impedimento, præscriptum Beneficium impetretur, Rescriptum irritum est. *C. 2. De Fil. Presb. ubi Rescriptum ad Beneficium ob talem defectum nullum declaratur.*

XIII. Rescriptum Gratiae non expirat, etsi intrâ annum executioni non mandetur, nec etiam morte Concedentis antè inceptam executionem. *C. 5. De Rescr. in VI. nisi mera Gratiae executio demandetur. C. 36. De Prab. in VI. in fin. GLOSSA in Verbo Moriatur, ubi solvit contradictionem apparentem hujus Textus cum C. 9. de Offi. Deleg. in VI.*

XIV. Rescriptum, Secundum Beneficium concedens, meminisse debet primi, quod Primum Beneficium concessit. *C. 6. De Prab. GLOSS. in Verbo aliud.*

XV. Rescriptum, quo Collator Petro Beneficium jam vacans aut primum vacaturum conferre jubetur, non eum ita ligat, ut alteri illud invalidè conferat, illum tamen obligat, ut, si Petrus Beneficio sufficiens careat, illum de redditibus Ecclesiae alat, donec aliud Beneficium sufficiens contulerit. *C. 27. De Prab.*

XVI. Cum Rescriptum jubet, ut quis Apostolicâ autoritate recipiatur, Receptus vi talis Rescripti eâ autoritate receptus dicitur. Idem quoque si ad eos, ad quos dirigitur Rescriptum, receptio non pertineat, alias verò autoritate Ordinaria receptus censetur. *C. 4. De Rescr. in VI.*

XVII. Rescriptum concedens Beneficium certo modo vacaturum, jus nullum dat ad aliud modò vacans. *C. 6. De Rescr. in VI.*

XVIII. Impetratam à Sede Apostolicâ Gratiam sentire Volens, Litteris probare debet. *C. 1. De Elect. EXTRAV. COM.*

XIX. Rescriptum Gratiam revocans, quæstum jus non tollit, sed querendum, nisi istud digniori quæsto juri sit annexum. *C. 39. De Prab. in VI.*

XX. Qui ex ignorantia vincibili (quâ intelligitur, quæ ex merâ negligentia oritur) falso Gratiae Rescripto utitur, pœnâ plectitur. *C. 7. De Crim. falsi.*

XXI. Rescriptum Gratiam concedens cum Decreto irritante ligat Ignorantes. *C. 40. De Prab. in VI.*

Nota circa Art. II. in eo fundari Regulam 54. in VI. *Qui prior est Tempore potior est Jure:* sed hanc Regulam varias pati exceptiones, quæ ad tres reduci possunt. I. est, quando Prius Rescriptum est nullum vel annullandum. Prima Exceptio habetur. *C. 7. de Rescript. in VI. II. Quando qui prius impetravit, verbo vel facto renunciavit Rescripto suo; facto autem Quis Rescripto renunciat 1. si intrâ tempus congruum eo uti negligat. 2. Si post Rescriptum impetratum Uxorem ducat. Secunda infertur ex C. 1. 3. de Cler. Conjug. III. Si in Posteriori jubeatur, ut istius Impetrans, Prioris Impetranti præferatur. Tertia legitur in C. 7. de Concess. Prab. in VI. in quo fit prima mentio Clausulæ *anteferri*, in Gratiis Expectativis postmodum multoties insertæ, necnon Effati, *si vinco vincentem te, à fortiori vinco te.**

SECTIO XI.

De iis, quæ RESCRIPTIS TAM GRATIÆ, QUAM JUSTITIÆ COMMUNIA SUNT.

REGULA.

Non alia in Canone leguntur, Rescriptis tam Gratiae, quam Justitiæ communia, præter ista.

I. Speciale derogat Generali, etsi de Generali mentionem non faciat, non è contrâ, licet Generale posterius sit. *C. 1. 14. De Rescr. C. 14. De Prab. in VI. C. 2. De Dolo & Contum.*

II. Derogant Statutis Ecclesiarum, dum id exprimunt. *C. 4. De Rescr. in VI.*

III. Juri Communi Contraria restringenda. *C. 5. Eod. Tit. & Loco.*

Tom. I.

IV. Ab unâ re ad aliam alterius speciei non extenduntur. *C. 6. Eod. Tit. & L.*

V. Alieno juri non nocent, nisi id expressè caveant. *C. 8. 10. Eod. Tit. & L. C. 15. De Prab. in VI.*

VI. Rescriptum Statuto à Papa confirmato contrarium, irritum est, si huic Statuto expressè non deroget. *C. 19. De Rescript.*

VII. Non valet Rescriptum, in quo non fit mentio rei, quæ, si cognita Concedenti fuisset, expressè à concedendo avocasset. *C. 2. Ut lit. non contest.*

VIII. Secundum Rescriptum non revocat, quod per Primum legitime factum sit. *C. 13. De Restitu. Spoliat. C. 29. De Off. Jud. Deleg.*

IX. Cum post Rescriptorum Concessionem fit Diocesum divisio, eodem modo exequenda, ac antea fuissent. *C. 1. De Conc. Prab. Extravag. JOANNIS XXII.*

X. Rescriptorum tenor est servandus, alioquin vana est illorum executio. *C. 7. De Conc. Prab. in VI. C. 22. De Rescriptis.*

XI. Clausula Derogatoria, si Generalis sit, impedit, ne Rescriptum sit irritum. Infertur ex *C. 21. De Prab. in VI.* in quo Clausula Particularis Derogatoria supplet defectum particularem, cui responderet; undè sequitur, quòd Clausula Generalis Derogatoria supplet quoscumque defectus.

XII. Si illorum executioni terminus præfigatur, elapso termino expirant. *C. 4. De Off. Deleg.* Loquitur quidem tantum de Rescripto Justitiæ, sed ad aliud extendi potest, nam v. g. dum Litteris Dimissoriis terminus præfigitur, ut sit, quando dantur eâ lege, ut Impetrans intrâ sex menses iis utatur, transacto termino nullius sunt roboris.

XIII. Expirat cum Delegato, si Delegatio facta sit Personæ; si enim Dignitati facta sit, durat post mortem illius, quo possidente datum est Rescriptum. *C. 14. De Off. Deleg.*

XIV. Dum plures eodem Rescripto committuntur sine clausula, *Quòd si non omnes*, uno ex his defuncto, vel recusato, aut nolente, Rescriptum vim suam amittit. *C. 30. C. 42. De Rescript.*

XV. Si ab eo, qui in Rescripto delegatur, non acceptetur Delegatio, vis ejus excidit. *C. 13. De Rescript.*

XVI. Si revocetur Rescriptum, & nota facta sit Delegato revocatio, eo ipso fit inutile. *C. 6. De Off. Deleg. in VI.*

XVII. Nullum Rescriptum revocari potest re incepta. *C. 29. De Off. Deleg. & C. 6. Eod. Tit. in VI.*

XVIII. Datur cum Clausula, *Remotâ Appellatione*, quæ Clausula intelligitur de Appellatione, quæ à Jure non indulgetur expressè, ideòque de injustis & frivolis Appellationibus, quæ in Jure nullibi indulgentur, quales Moratoria, Frustratoria à futuro gravamine. De his loquitur. *C. 53. De Appell. C. 12. De Rescript.*

Nota obiter duplex Appellationum genus aliàs extitisse, quorum Prius Judicia respiciebat & in Judiciis fiebat; ideòque Appellationes sub hoc comprehensæ *Judiciales* vocabantur; Posterius Gratias respiciebat, & extrâ Judicia fiebat, ac idcirco Appellationes hujus generis *Extra-judiciales* dicebantur; Prius ergò contingebat Rescripta Justitiæ, Posterius Rescripta Gratiae.

SECTIO XII.

De RESCRIPTORUM Executione.

Possemus hîc agere de Personis, quibus dirigenda sunt Rescripta: id enim ad eorum executionem pertinet; verum, cum de hac re abundè egerimus, dum de Jurisdictione Delegatâ tractavimus, satius est, ut ad ea, quæ dicta sunt, remittamus, quàm ut illa hîc sine necessitate repetamus.

REGULA I.

Gratis exequenda sunt Rescripta. C. 16. De Vit. & Hon. C. 1. Sess. XXI. C. 5. Sess. XXII. C. 4. Sess. XXIV. CONC. TRID.

Nota circa hunc Articulum, quod Executori licet pro labore aliquid moderatum accipere, nisi Impe- trans sit pauper, vel deputatos ad hoc redditus aliunde habeat Executor.

REGULA II.

Non est omittenda Rescriptorum executio sine rationabili causâ, istaque exponenda est Summo Pontifici. C. 5. De Rescr. C. 34. De Prab. Hinc ratione frivola Exceptionis Executor non debet interloqui *ibid.*

REGULA III.

Injusti Rescripti suspendenda est executio, donec melius instructus Pontifex quid fieri velit, responderit. *ibid.*

REGULA IV.

Apostolica de conferendo alicui Beneficio Rescripta, si Sede vacante, Capitulo directâ executioni non fuerint mandata, ex eo quod Beneficiorum Collatio ad Episcopum spectat, ab isto exequenda sunt, ubi confirmatus est. C. 6. De Rescript.

Non est inutilis ista Regula, licet Mandata Apostolica exoleverint, cum ad Indulta Graduatorum, aliave familia, quæ in usu sunt, applicari possit.

REGULA V.

Processus factus, non servatâ Rescripti Formâ, est ipso Jure irritus; factus verò ex Rescripto subreptio, est irritandus. C. 22. De Rescript. C. 21. 32. De Deleg. C. 19. De Restit. Spoliat. Nota obiter, non servare Rescripti Formam & Rescripti Fines excedere, unum & idem esse, ac proinde Capita, quæ ad istud spectant, ad aliud pertinere, ideòque hic simul omnia collecta esse.

REGULA VI.

In Rescripti executione, Mandantis intentio est attendenda. C. 36. 38. De Prab.

REGULA VII.

Lata ex Rescripto Sententiæ executio suspendenda est, cum dubitatur de Jurisdictione illam Demandantis, idque, donec dubitandi locus tollatur. C. 24. EODEM TIT.

REGULA VIII.

Cum Rescripto, quo Excommunicatori injungitur, ut injustè Excommunicatum absolvat, Judices deputantur ad illud exequendum posito, quod ille non pareat, ad istos cognitio demandatur C. 44. Eod. TIT.

REGULA IX.

Rescriptum, suppressâ veritate, vel expressâ falsitate, bonâ fide obtentum, exequendum non est juxtâ Formam, quam præ se fert, sed juxtâ Formam Communem. C. 20. De Rescript. C. 11. De Deleg. in 1. Collect.

REGULA X.

Rescriptum, quod alios tangit, quàm eos, propter quos datur, non est exequendum, nisi prius vocatis & auditis aliis omnibus, quorum interest. C. 17. De Maj. & Obed.

REGULA XI.

Insufficiens est Rescripti executio, cum è Duobus, quæ æqualiter mandat, unum dumtaxat adimpletur C. 19. De Rest. Spol.

REGULA XII.

Nullus tenetur Rescriptum exequi, si absque Scandalo id fieri nequeat. Idem dicendum, si cesset Mandati causa C. 6. De Prab. C. 30. De Prab. in VI.

REGULA XIII.

In Galliâ Papæ Rescripta absque Patentibus Regis Litteris non sunt exequenda; illis exceptis, quæ Forum Internum respiciunt.

RATIO. Eo in Regno habetur Papa tanquam Princeps Externus, cujus Litteræ Executioni non mandatur absque Pareatis, vel Cautio hæc adhibetur, ne Ecclesiæ Gallicanæ Privilegia, vel Regni Jura incantè violentur. PITHOËUS in Comment. sup. Libert. Eccles. Gallic. C. 44. FEVRETUS Tom. 1. p. 19. n. 10.

REGULA XIV.

In eodem Regno, si Papa jubeat in Rescripto, ut autoritate Apostolicâ procedatur, vel non admittitur tale Rescriptum ob istam Clausulam; vel, si admittitur Clausula, habetur pro non scriptâ.

Excienda sunt Rescripta Attributionaria quæ, aliâ autoritate, quàm Apostolicâ, executioni mandari nequeunt.

SECTIO XIII.

In quibus differat Jus CANONICUM à JURE CIVILI circa RESCRIPTA.

REGULA.

Non aliâ notandæ veniunt differentiæ hujus generis, quàm istæ.

I. **Jure Civili**, si Clausula (*si Preces veritate nitantur*) omittatur, Rescriptum est nullum: **Jure Canonico** subintelligitur, ideòque illius omisso non annullat Rescriptum. GONZALEZ in C. 2. De Rescriptis n. 18. & FLORENS in TIT. De Rescript. subministrant, quæ hic de Jure Civili dicuntur, quæque adjiciuntur. Cætera, quæ de Canonico, patent ex dictis, quibus adde quæ extant apud GRATIANUM in §. Rescripta CAUS. XXV. QUÆST. II. ubi colligit Leges, quæ declarant irrita Rescripta, in quibus deest Clausula (*Si Preces &c.*)

II. **Jure Civili** Rescripta Justitiæ perpetuò durant, si Jus Commune contineant; Rescripta Gratia anno finiuntur **Jure verò Canonico**, Rescripta Justitiæ finiuntur anno, si dolo vel negligentia intra illum non fuerint executioni data; finiuntur etiam morte Concedentis, si res sit adhuc integra; Rescripta Gratia non expirant morte Concedentis, licet res sit adhuc integra, Quod patet ex eo, quod à Successore revocari soleant, quando vult, ut effectu suo careant, sive Lites, sive Gratias respiciant. C. 16. CAUS. XXV. QUÆST. II. ex Theodosio & Valentiniano.

III. **Jure Civili** Rescripta subreptitia irrita sunt; **Jure Canonico** sunt tantum irritanda, si Lites tangant.

IV. **Jure Civili** Mendax Precator à Judice puniendus est, **Jure Canonico** non iterum. FLORENS p. 82. 1. Part.

CAPUT III.

Appendix ad Tractatum de Rescriptis, in qua comparantur Gratia Expectativa Apostolica cum Expectativis Usu receptis in Galliâ.

Gratia Expectativa Apostolica, quæ etiam Mandata Apostolica vocitari solent, maximam connexionem

nexionem habent cum Rescriptis, idque duplici ratione, 1. In se consideratae, sunt Rescriptum Gratiae. 2. Ob innumeras, quas suscitaverunt lites, plurimis Rescriptis Justitiae ansam praeberunt, quorum non pauca utriusque generis in Corpore Juris reperiuntur, ut ex Tractatu de Rescriptis apparet: praeterea Gratiae Expectativae apud Gallos receptae, non abfimiles praedictis Gratiis Apostolicis esse videntur; cum utraque vacatura Beneficia respiciant, atque ad illa jus conferant, nec non in concessione & in executione nonnullis Formulis alligatae sunt obnoxiaeque: his ergo de causis visum est conveniens, ut huic Tractatui annecteretur Comparatio Gratiarum prioris generis cum Gratiis posterioris.

RUSOEVUS in Tractatu de Mandatis Apostolicis simile quid praestitit: siquidem Primam Parte contulit illa prout regebantur Veteri Jure, quod in Corpore Juris continetur, cum iisdem consideratis juxta Ordinationes Regias, nempe Pragmaticam Sanctionem & Concordata, relativae octo ab illo Jure praescriptis Formulis, Quatuor peculiariter Juri Gallicano notavit, quorum Primum est, Quod hoc Jure Mandatum debet esse simplex & purum de primo Beneficio, sine Clausula quod duxeris acceptandum, hoc autem discrimen justum esse ostendit triplici ratione.

Secundum, Quod Gallicano non apponatur Clausula Decreti irritantis, probatque, illam periculosam esse, quia hinc irritat quaecumque Collationem alteri factam, quam Impetranti; illinc vero evenire potest, ut Impetrans renunciet Mandato, vel negligat requirere Beneficium, vel ut habeat illud pro derelicto, vel ut illius incapax fiat, unde in longum tempus vacatio Beneficii protraheretur, in dispendium Divini Cultus, Salutis Animarum, rerum Ecclesiasticarum, illarumque fructuum.

Tertium, Quod Mandatum executioni mandari non possit, nisi post Mensem, ab Insnuationis die numerandum, idque aequum demonstrat ex eo, quod si Mandatarius Beneficium obtineret immediatè post Insnuationem, suspectus fieret, se procurasse mortem Defuncto, ut illius Beneficium assequeretur, statim vero post Mensem permititur ei, ut impetret Beneficium, ne diutius vacet.

Quartum, Quod distincta sint omnino Mandata ad Praebendas respectu Praebendarum, & ad Dignitates respectu Dignitatum, ita ut vi illorum obtineri nequeat Dignitas, nec istorum virtute Praebenda.

Hæc RUSOEVUS docet de Quatuor discriminibus inter Jus Canonicum Romanum & Jus Canonicum Gallicanum suo tempore servatum circa Mandata Apostolica, sub quo exemplo movet ad comparandas Gratias Expectativas hodiè vigentes apud Gallos, cum Veteribus, de quibus in Corpore Juris plurima sub variis Titulis illius, sed potissimum sub istis. 1. De Rescriptis. 2. De Praebendis. 3. De Concessione Praebendarum. Facta ab illo praedicta Comparatio profuit, quamdiu post Tractatum suum Mandata Apostolica in usu esse perrexerunt, videlicet usque ad abolitionem illorum à Concilio Tridentino factam, anno 1563. eamque sufficienter publicatam, & ab omnibus, quorum intererat, acceptatam: quam autem suscipimus faciendam inter memoratas Gratias utriusque generis nonnihil conferre poterit, quamdiu Hodiernarum Usus vigeat.

Ut autem hæc Comparatio methodicè fiat, Consideranda sunt istae Expectativae; 1. in se, quoad Concedentem, & modum, quo conceduntur. 2. Quoad Beneficia, quae ipsis subsunt. 3. Quoad illos, quibus diriguntur, ut illas implent. 4. Quoad durationem, modumve, quo expirant. Hæc divisione RUSOEVUS usus est in explicandis Mandatis Apostolicis, cum quibus comparandae sunt Hodiernae Gratiae Expectativae, ac circa quodlibet Divisionis Membrum collegit Textus Juris Canonici de illo loquentes, illos-

Tom. I.

que exposuit. Eundem sequentes Ordinem examinabimus, an collecti expositique Textus accommodari possint praedictis Gratiis.

Sed praemittendum est I. quod istarum Gratiarum Quatuor sint species, hisque nominibus donari soleant. 1. Vocatur Privilegium Graduatorum. 2. Indultum Curiae Parisiensis. 3. Mandatum jucundum ad Regnum adventus. 4. Mandatum praestiti ab Episcopo recens promoti Fidelitatis Sacramenti. II. Quod Prima concessa sit Universitatibus à Concilio Basileensi, distribuenda ab ipsis, Membris suis, acceptata à CAROLO VII. & ab Ecclesia Gallicana ad hoc congregata, & confirmata à FRANCISCO I. & LEONE X. per Concordata inter illos inita. Secunda dictae Curiae concessa à Pontificibus EUGENIO III. PAULO III. & CLEMENTE IX. à Rege praecipuis illius Membris distribuenda. Utraque autem Gratia in hoc convenit, quod Corpori concessa sit in perpetuum, illiusque à Membris participatio seorsum fit à distribuente Corpore vel Rege: è contra quodlibet Mandatum Apostolicum emanabat sigillatim à Papà vel Legato; idque duobus modis, nimirum vel motu proprio Concedentis, vel precibus Impetrantis, neutra autem motu proprio fiat, sed precibus datur concediturve.

Tertia & Quarta à Rege conceduntur motu proprio, nullà facta mentione Precum, sed solius Meriti illius, cui conceditur. Hinc Rescripta, quibus utraque dantur, sunt Rescripta Gratiae, ex solâ Regis benevolentia procedentis; duae priores è contra sunt Litterae, partim Justitiae, partim Gratiae, cum debeantur Graduatibus vel Magistratibus, quibus conceduntur: in quo ista conveniunt cum Mandatis Apostolicis, quae concedebantur Clericis Pauperibus, vel Ordinatis sine Titulo Clericali, seu Beneficio, seu Patrimonio; Caetera verò conveniunt cum Mandatis Apostolicis, quae ex mera liberalitate Pontificum concedebantur: singula autem, ut & singula Mandata Apostolica, revocari possunt ob subsequentem Impetrantium indignitatem, vel antecedentem posterius notam. Singula à Mandatis Apostolicis in formâ differunt, sed potissimum quod nullas habeant Clausulas in illis usitatas, nempe: Anteferri; si pro alio non scripserimus; Quod duxeris acceptandum: Decreti irritantis. Vid. RUSOEVUM loco citato à n. 9. ad 14. Differunt etiam in eo, quod per Mandata Apostolica creabantur interdum Canonici cum expectatione Praebendae, quod à nullâ illarum Gratiarum efficitur.

Hæc sufficiant quoad Primum Divisionis Membrum seu Gratias praedictas in se consideratas, Personam Concedentis & concedendi Formam, hincque nascentes inter illas & Mandata Apostolica Concordiam & Discrepantiam.

Nunc de Secundo, in quo de Beneficiis, quae subjiciuntur Gratiis Expectativis Gallicis, quæ ab illis eximuntur: Utraque autem in genere spectata eadem sunt, ac illa, quae Mandatis Apostolicis suberant, vel non: Quod patet Collatione facta istorum, quae RUSOEVUS recenset in 2. Parte cit. Tract. cum illis, quae enumerantur in 2. Parte Institutionum Ecclesiasticarum & Beneficiorum. Tit. XXIV. ubi de Beneficiis Graduatorum Privilegio subjectis, & Tit. XLVIII. ubi de illis, quae subsunt Indulto Curiae Parisiensis. In utroque autem Titulo observare est, Beneficia quaecumque his Gratiis obnoxia esse, praeter Electiva, Reservata, vel Affectata Summo Pontifici, Resignata, vel Permutata, à Patrono Laico Pendencia, Regi Reservata, ut quae vacant in Regalia: atqui idem videre fas est in 2. Parte Tractatus citati, ibi enim non alia eximuntur à Mandatis Apostolicis, quam, quae duximus, exempla ab his Expectativis, quod si praedictam Comparationem restringimus ad duas istas Expectativas, ad id astringimur; quia aliae duo non

comprehendunt, nisi Canonatus. TIT. LVIII. *Institutionum citatarum*, Parte etiam citata in quo conveniunt cum quibusdam Mandatis Apostolicis, quæ ad solos Canonatus nominabant, siquidem, cum Mandata illa à solâ voluntate Pontificis dependerent, multiplicis generis erant: alia nempe Amplissima, extendebanturque, ad quævis Beneficia Collativa, ideòque Generalia vocabantur; alia multò minis ampla, quæ Particularia dicebantur, istaque non unius speciei erant, nimirum vel ad simplicia omnia Beneficia mittebantur, vel ad nonnullas istorum species refringebantur: ad Mandata hujus postremi generis accedunt Mandata Regia tum Jucundi Adventus, tum Sacramenti Fidelitatis: prædictam autem Mandatorum divisionem RUSOVS memorat loco citato, ubi observat Beneficia, quæ in Regalia vacabant, comprehensa nunquam fuisse in Mandato Apostolico quantumvis Generali.

Hinc patet, maximam affinitatem esse inter Gratias Expectativas Gallicanas, & Indulta Apostolica, quoad Beneficia, quæ utrique subjiciuntur aut ab illis eximuntur.

Tertia Pars Comparationis tria complectitur, nempe 1. Quo tempore istæ Gratia insinuandæ. 2. Cui insinuandæ. 3. Quid faciendum, si is, cui diriguntur, illas adimplere noluerit.

Quoad Primum, conveniunt cum Mandatis Apostolicis in eo, quòd nullum sit à Jure præfixum tempus ad illas insinuandas, vel notificandas, idque Mandatarii voluntati relictum, quia de ipsius comodo unice agitur.

Quoad Secundum, concordant in eo, quòd Collatori tam Gratia ista, quam Mandata Apostolica dirigi soleant, sed cum Vicarius illius vices gerat, insinuatio fieri possit Vicario sicut & Collatori, quod intelligendum de Vicario quoad Jurisdictionem Voluntariam, ad quam pertinet Beneficiorum Collatio, non autem de Vicario in Jurisdictione Contentiosa, qui Officialis nuncupari consuevit apud Gallos, quia hæc Collatio ad Jurisdictionem Contentiosam non spectat. Differunt verò in eo, quòd Gratia prædicta numquam dirigantur illarum Executori specialiter Deputato: Mandata verò Apostolica ipsi Executori quandoque dirigebantur, ut notat RUSOVS in primâ Parte. n. 10. probatque per C. Executor. De Concess. Præb. in VI. Id autem fiebat, ut Impetrans impetratis citius potiretur, remotâ sic quavis Collatoris dilatione.

Quoad Tertium, Gratia prædicta cum Mandatis Apostolicis conveniunt in eo, quòd utrinque provifum sit negligentia, malitiae Collatoris, nominatis ad hoc Executoribus, qui concedant quod à Collatore denegatur; cum hoc tamen discrimine, quòd in Expectativis apud Gallos usitatis deputantur Executores Generales in favorem tam Graduatorum, quam Indultariorum: in Mandatis verò Apostolicis delegabantur Executores Speciales cuique Mandatario, idque Litteris peculiaribus, quæ ideò Executoria dicebantur; unde alia differentia inter prædictas Gratias & præfata Mandata, scilicet quòd in istis triplex genus Litterarum mittebatur, quarum 1. Monitoria erant. 2. Præceptoris. 3. Executoris, Quod in illis numquam observatum. De solis Graduatæ & Indultariis diximus Executores habere suarum Expectatarum, quia de Brevetariis, ut aiunt, incertum, an habeant.

Quod RUSOVS dicit non uno loco, Mandata Apostolica apud Gallos executioni mandari non posse intrâ Mensem Insinuationis factæ, non servatur in Gratiis Expectativis, de quibus hic Sermo; idque rectissime, cum allatæ ab illo rationes differendæ post Mensem executionis, tanti momenti esse non videantur, quibus attendendum sit immorandumque.

RUSOVS in fine 3. Partis. Sex Casus refert, in quibus Collatio facta in præjudicium Mandatarii, irrita erat ipso Jure, qui locum non habent saltem quoad modum in Gratiis Expectativis apud Gallos

usitatis. 1. Si Mandatum dirigeretur Collatori dato Executori. 2. Si solo Executori dirigeretur. 3. Cum inerat Mandato Decretum irritans. 4. Quando Executor interdixerat Ordinario, ne primum vacaturum alii conferret, quam Mandatario. 5. Quando Mandatarius creabatur Canonicus cum expectatione primæ Præbendæ, tunc si Præbenda alii concederetur, quam Mandatario, concessio nulla erat. 6. Quando acceptationi tempus præfixum erat à Papâ, tunc alteri facta intrâ hoc tempus, Collatio nulla erat. Hi autem Casus non respiciunt prædictas Gratias Expectativas in eo, quod provenit ex parte Specialis Executoris dati cum Mandato, cum hujusmodi nullus sit in istis Gratiis; ex parte verò Decreti irritantis, differunt istæ Gratia à Mandatis Apostolicis, quòd Mandata irritabant Collationes factas in contrarium ratione Clausulæ in illis insertæ, nullitas autem Collationum adversantium prædictis Gratiis provenit ex Lege illas concedente & irritante quiddid sit contra ipsam; talia sunt, ergâ Graduatos, Concordata & quoad Indultarios, Declarationes in illorum favorem factæ, cum ipsâ Jurisprudentiâ Arrestorum Magni Consilii. Quoad Mandatum Sacramenti Fidelitatis nullâ adhuc Lex irritat Collationes sibi contrarias; Secus de Mandato Jucundi Adventus, extant plures Declarationes, quæ irritas declararunt Collationes contrarias, quæ demùm prævaluerunt aliis, quæ Decretum irritans revocaverant.

Hæc fatis de Similitudine & Dissimilitudine inter Mandata Apostolica & Gratias Expectativas apud Gallos receptas quoad illos, quibus diriguntur, tempus Insinuationis ac utrorumque effectus: Jam de Quartâ Suscepta Comparationis Parte inter istas & illa circa durationem modumque expirandi: Hoc autem ut dilucidè fiat, notandum, quòd Mandata Apostolica expirabant variis modis. 1. & frequentius morte Concedentis, re adhuc integrâ. 2. negligentia Impetrantis infra tempus præfixum non Notificantis, vel non Petentis sibi debitum Beneficium. 3. negligentia Executoris, cui commissâ fuerat potestas conferendi primum vacaturum eâ lege, ut intrâ tempus certum conferret. 4. cessante causâ in Mandato expressâ; nempe v. gr. paupertate Impetrantis, qui antè obtentionem Beneficii pauper esse desierat. 5. adeptione Beneficii incompatibilis cum sibi debito vi Mandati. Hactenus observata RUSOVS probat in 4. Parte cit. Traçtat.

At verò certum est, Gratiam Graduatorum non posse expirare morte Concedentis re integrâ, cum Academia illam Concedentes vel Distribuentes morti obnoxia non sint; secus dicendum videtur de aliis, quæ à Rege conceduntur, vel distribuuntur: hoc enim moriente, Gratia nondum significata Collatori, expirare posset quoad Litteras obtentas & antè mortem non significatas, Successor tamen illas renovare posset, in quantum opus esset, quia succedit Juri-bus Antecessori debitis, seu fructibus illorum, qui antè Deceffum obvenerant, ideòque, jam erant in Bonis Defuncti, quibus succedit Hæres, sicut & Coronæ; sed de hoc fufius suo loco, dum de illis Gratiis sigillatim fermo fiet. Interim notandum circa Litteras Indulti Magistrati Parisiensi concessas, sibi vel alii, cui jus cessit, profuturas, quòd, cum illa debeantur ratione Officii, cujus post obitum Regis in possessione permanet, illarum renovatio, si hac morte perierint, jure facienda existimatur.

Alii modi, quibus Mandata Apostolica expirabant, non conveniunt Gratiis prædictis, præter negligentiam Impetrantis, qui isdem renunciat: nihil enim sibi timendum est ex parte Executoris Specialis, cum nullum habeat; nec ex adeptione Beneficii incompatibilis, cum in Gallia plura simul acquiri possint, eâ lege, ut intrâ annum, unum ex illis eligatur; pec de Bonis profanis antè vel post Gratiam obtentam acquisitis, cum causâ paupertatis in illis exprimi non soleat, tanquam motivum Concessionis, quo cessante, cessat Gratia.

TITU.

TITULUS XI.

DE CONSUETUDINE.

CAPUT PRIMUM.

Decisiones Juris propriis verbis deprompte.

Ubi Leges & Præcepta Particularia deficiunt, tùm ad Consuetudines recurri solet in Galliâ, tamquàm ad Legem aut Generalem aut Municipalem: quare valdè necessarium est nosse, quid in Jure Canonico de eâ statuatur, & quam vim habeat, & quouſque extendatur. Sit itaque

SECTIO I.

Quid sit Consuetudo, & Quæ sit ejus autoritas.

I. Consuetudo est Jus Quoddam Moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cùm deficit Lex. *DIST. I. Cap. 5. Consuetudo. init.*

II. Vocatur Consuetudo, quia in communi est usu. *ibid. §. Porro. fin. Mos est longa Consuetudo de Moribus tantummodò tracta. ibid. Cap. 4. Mos.*

III. Non differt an scripturâ, an ratione Consuetudo consistat. *ibid. Cap. 5. Consuetudo. §. nec differt.*

IV. Longa Consuetudo censetur, quæ tanto tempore est servata, quod in contrarium memoria non existit. *In VI. De Consuetudine. Cap. Consuetudinem. LIB. I. TIT. IV. Cap. 1.*

V. Consuetudo præcedens, & ratio quæ Consuetudinem suavit, tenenda est. *DISTINCT. XII. Cap. 7.*

VI. Consuetudo perhibetur esse Legum Interpretes. *De Verb. Signif. Cap. Abbate. in fin. LIB. V. TIT. XL. Cap. 25.*

VII. Consuetudinis Ususque longævi non levis debet esse autoritas, & plerumque discordiam pariunt Novitates. *De Consuetudine. Cap. Cùm Consuetudinis. LIB. I. DECR. TIT. IV. Cap. 9.*

VIII. Diuturni Mores consensu Utentium approbati Legem imitantur. *DISTINCT. XII. Cap. 6. Diuturni.*

IX. Consuetudo approbata optima est Legum Interpretes. *ibid. Cap. 8. Cùm Dilectus. §. 1. dictus.*

X. Consuetudo approbata pro Lege servatur in Partibus Gallicanis. *De Arbitris. Cap. Dilecti. LIB. I. DECRET. TIT. XLIII. Cap. 4.*

XI. Sicut Prævaricatores Divinarum Legum, ita Contemptores Ecclesiasticarum Consuetudinum coercendi sunt. *DISTINCT. XI. Cap. 7. In his. fin.*

XII. Juxtâ Municipii cujuslibet Consuetudinem approbatam licet agere. *De in integrum Restitutione. Cap. Constitutus. Colligitur. LIB. I. DECR. TIT. XLI. Cap. 8.*

SECTIO II

Conservatur autoritas CONSUECUDINIS CUM LEGIBUS, Æternâ, Naturali, Divinâ, Humanâ.

I. Cùm Consuetudini veritas suffragatur nihil oportet firmius retineri. *DISTINCT. VIII. Cap. 7. Frustrâ. §. hoc. fin.*

II. Licet Usus vel Consuetudinis non minima sit autoritas, nunquàm tamen Veritati aut Legi præjudicat. *De Sent. & Re Jud. Cap. Cùm causa §. Nos autem. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. Cap. 8. Consuetudo sine veritate vetustas erroris est. DIST. VIII. Cap. 8.*

III. Veritati manifestatæ debet Consuetudo cedere. *ibid. Cap. 4. Veritate. init.*

IV. Nemo Consuetudinem Rationi & Veritati præponat: quia Consuetudinem Ratio & Veritas semper excludunt. *ibid. §. Nemo. fin. Dominus non dixit, Ego sum Consuetudo, sed Veritas. ibid. Cap. 5. si Consuetudinem.*

V. Quælibet Consuetudo quantumvis vetusta, quamvis vulgata, Veritati omninò est postponenda; & Usus, qui Veritati est contrarius, abolendus. *ibid. Cap. 5. fin.*

VI. Nemo sanæ mentis intelligit Naturali Juri quæcumque Consuetudine (quæ dicenda est veriùs in hac parte Corruptela) posse aliquatenùs derogari. *de Consuetudine. Cap. Cum tanto. init. LIB. I. DECR. TIT. IV. Cap. 11. quod est ultimum.*

VII. In his, quæ sunt contrâ Legem Divinam, Consuetudo quavis longa non juvat nec excusat; quia non debet attendi solùm quid sit factum, sed potius quid sit faciendum. *De Electione. Cap. Cùm causam. LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 27.*

VIII. Consuetudo, quæ contrâ Fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur, immota permanere debet. *DISTINCT. XII. Cap. 8. Nos. init.*

IX. Obtentu alicujus Consuetudinis nemo debet contrâ Sanctorum Patrum Constitutiones venire, & quod ad suum non spectat officium vindicare. *De Officio Archidiaconi Cap. Cùm satis. LIB. I. DECR. TIT. XXIII. Cap. 4.*

X. Consuetudo contrâ Ecclesiasticam Libertatem est penitus abolenda. *De Electione. Cap. Cùm terra. LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 14.*

XI. Consuetudo, quæ Canonicis obviat Institutis, nullius debet esse momenti. *De Consuetudine. Cap. Ad nostram. §. Nos igitur. init. LIB. I. DECR. TIT. IV. Cap. 3.*

XII. Hæc non tam Consuetudo, quàm Corruptela meritò est censenda, quæ profectò Sacris est Canonibus inimica. *ibid. Cap. 7. Cùm Venerabilis. §. postmodùm. fin.*

XIII. Consuetudo Ecclesiasticæ Institutioni inimica, est penitus improbanda. *De Temporibus Ordinationum. Cap. Sanè. LIB. I. DECR. TIT. XI. Cap. 2. med.*

XIV. Consuetudo, ex quâ disrumperetur nervus Ecclesiasticæ Disciplinæ, est irritanda. *ibid. Cap. Cùm inter. §. Nos igitur. fin. LIB. I. DECR. TIT. IV. Cap. 5.*

XV. Quod ab Apostolicæ Sedis Reçtoribus plena autoritate sancitur, nullius Consuetudinis præpediente occasione, proprias tantùm sequendo voluntates, removeatur, sed firmiter atque inconsulse teneatur. *DIST. XI. Cap. 2. Consequens est, Consuetudo Loci alicujus Particularis, quæ à Divina Lege & Sanctorum Patrum Institutis, & à Generali Ecclesiæ Consuetudine esse noscitur aliena, debet improbari. De Testamentis. Cap. Cùm esses. §. Quia verò. LIB. III. DECR. TIT. XXVI. Cap. 10.*

XVI. Generaliter est omni Consuetudini derogandum, quæ absque mortali peccato non potest observari. *De Præscriptionibus. Cap. Quoniam. LIB. II. DECR. TIT. XXVI. Cap. 20. quod est ultimum.*

XVII. Licet etiam longæva Consuetudinis non sit vilis autoritas, non tamen est usque ad eò valitura, ut vel Juri Positivo debeat præjudicium generare, nisi fuerit rationalis, & legitime sit præscripta. *De Consuetudine. Cap. Cùm Sancto. fin. LIB. I. DECR. TIT. IV. CAP. II. quod est ultimum.*

XVIII. Si talis fuerit Consuetudo probata, quæ Juri Communi præjudicet, secundùm illam, debet Juxta decernere. *ibid. Cap. 8. Cùm dilectus. §. Quia nobis. fin.*

XIX. Secundùm posteriorem Canonem debet observari.

servari, nisi Consuetudo Ecclesiae, quae scandalum generet, aliter se habere noscatur. *De Cognatione Spirituali*. Cap. *Utrum*. fin. LIB. IV. DECR. TIT. XI. Cap. 1.

XX. Consuetudinem laudamus, quae tamen contra Fidem Catholicam nihil usurpare dignoscitur. DIST. XI. Cap. 6. *Ex Decretis Pii I. Decreto Septimo habentur in I. LIB. I. Regelli* --- S. GREGORII. *Epistolâ* 75.

XXI. Ex collectis supra Canonibus, sequitur, servandam non esse Consuetudinem, quae repugnat Legibus, vel Aeternae, quae eadem est ac ipsa Veritas; vel Naturali; vel Divina; vel Humanae illarum Executrici; servandam verò, quae derogat tantum Legi purè Humanae; si legitime sit praescripta, id est observata per 40. annos consentiente Superiore. Haec Observatio applicanda est ad sequentes Canones ejusdem generis.

SECTIO III.

De Malâ Consuetudine.

I. Mala Consuetudo non minus, quam Perniciosa Corruptela vitanda est. DIST. VIII. Cap. 3. *Mala. init.*

II. Sicut Consuetudo Laudabilis nullâ debet novitate divelli, sic quod noscitur contra Jus Moribus introductum obviâ ratione debet dissolvi. *De Probat. Cap. Sicut initio in integra*. LIB. II. DECR. TIT. XIX. Cap. 2.

III. Nisi citius radicibus evellatur, in Privilegorum Jus ab Improbis assumitur: & incipiunt pravariationes & variae praesumptiones celerrimè non compressa Privilegorum more perpetuò celebrari. *ibid.* Consuetudo, quae Legi contraria est, non obstat. *De Juramento Calumnia*. Cap. *Ceterum, fin.* LIB. II. DECR. TIT. VII. Cap. 5.

IV. Nullus tenetur ad observandas Consuetudines abusivas. *De Consuetudine*. Cap. *Ex parte. S. tenere, fin.*

V. Ad Observantiam Consuetudinis, quae Sacris est inimica Canonibus, & de Ambitionis radice procedit, etiam si juramento firmata extiterit, Nullus tenetur. *In VI. De Consuetudine*. Cap. *Consuetudinem*. LIB. I. TIT. IV. Cap. 1.

VI. Consuetudines, quae Ecclesiis gravamen inducere dignoscuntur, decet remittere. *De Consuetudine*. Cap. *Consuetudines*. LIB. I. DECR. TIT. IV. Cap. 1.

VII. Abusiva est Consuetudo, per quam Quis inducitur ad peccandum, & Bona propria dissipandum. *De Consuetudine*. Cap. *Ex parte*. Rubrica colligit. LIB. I. DECR. TIT. IV. Cap. 10.

VIII. Quod latenter vel aliâs illicitè introductum est, nullâ debet stabilitate subsistere. *De Regulis Juris*. Cap. *Quod latenter*. LIB. V. DECR. TIT. XLI. Cap. 5.

IX. Episcopus ex Officio sibi commissio iniquam Consuetudinem de Provinciâ suâ debet radicibus extirpare. *De Institutionibus*. Cap. *Ex frequentibus*. LIB. III. DECR. TIT. VII. Cap. 3.

X. Omnia talia, quae neque Sanctarum Scripturarum autoritatibus continentur, nec in Conciliis Episcoporum statuta inveniuntur, nec Consuetudine Universalis Ecclesiae roborata sunt sed diversorum Locorum diversis Moribus innumerabiliter variantur, ita ut vix aut omninò nunquam inveniri possint causae, quas in eis instituendis Homines secuti sunt, ubi facultas tribuitur, sine ullâ dubitatione sunt revocanda. DIST. XII. Cap. 12. *Omnia*.

XI. Qui à pravâ Consuetudine averti non possunt, aliquandò cum veniâ suo ingenio relinquendi sunt; ne fortè Pejores existant, si à tali Consuetudine prohibeantur. DIST. IV. Cap. 6. *Denique. S. de ipsâ. med.*

SECTIO IV.

Quomodo sint observandae Variæ Consuetudines.

I. In his rebus, de quibus nihil certi statuit Divina Scriptura, mos Populi Dei, & Instituta Majorum, pro Lege tenenda sunt. DIST. XI. Cap. 7. *In his. init.*

II. Quae contra Mores Hominum sunt flagitia, pro Morum diversitate vitanda sunt, ut pactum inter se Civitatis aut Gentis Consuetudine vel Lege firmatum nullâ Civis aut Peregrini libidine violetur: turpis enim omnis Pars est suo Univerfo non congruens. DIST. VIII. Cap. 2. Quae contra. *init.* S. AUG. LIB. III. *Confess. Cap. 8. circa an. 400.*

III. Ecclesiasticae Institutiones, quas Consuetudine roboratas approbavit Usus, eandem vim ad Pietatem habent, ac Dogmata Scripto tradita. *ibid.* Cap. 5. *Ecclesiasticarum. init.*

IV. Illa quae non scripta, sed tradita custodimus, quae quidem toto Terrarum Orbe observantur, datur intelligi, vel ab ipsis Apostolis, vel Plenariis Conciliis, quorum est in Ecclesia saluberrima autoritas, commendata atque statuta retineri. DIST. XII. Cap. 11. *Illâ. init.*

V. Rationabilis Consuetudo Ecclesiae Generalis ab Omnibus est servanda. *De Celebratione Missarum*. Cap. *Perniciosus*. colligitur. LIB. III. DECR. TIT. XLI. Cap. 13.

VI. Sive in Romanâ, sive in Gallicanâ, sive in quâlibet Ecclesiâ aliquid inventum, quod plus Omnipotenti Deo possit placere, sollicitè eligas. DIST. XII. Cap. 10. *Novit. GREGOR. I. Epist. ad AUGUSTINUM Anglorum Episcopum* LIB. XII. *Reg. Ep. 31. Cap. 3.*

VII. In Ecclesiâ, quae adhuc in Fide nova est, institutione praecipuâ, quae de multis Ecclesiis colligere potuisti, infundas &c. *ibid. circiter an. 603.*

VIII. Multum convenit, ut solum Corpus Ecclesiae in hac sibimet observatione concordet, quae indè autoritatem habet, ubi Dominus Ecclesiae totius posuit Principatum. DIST. XI. Cap. 3. *Nolite S. satis. fin.* Sumitur ex *Epistola falsè tributa JULIO I.* & est contraria desumptis Canonibus ex S. AUGUSTINO & S. GREGORIO supra relatis.

IX. Nihil obsunt Saluti Credentium diversae pro loco & Tempore Consuetudines, si illis Canonica non obstat autoritas. DIST. XII. Cap. 3. *Scit. ex LEONE IX.*

X. Traditiones Ecclesiasticae, praesertim, quae Fidei non officunt, ita observandae, ut à Majoribus traditae sunt, nec aliorum Consuetudo aliorum contrario More subvertitur. *ibid.* Cap. 4. *Illud.*

XI. Quis nesciat, id, quod à Principe Apostolorum Petro Romanae Ecclesiae traditum est, ac nunc usque custoditur, ab Omnibus debere servari, nec superinduci aut introduci aliquid, quod aut autoritatem non habeat, aut aliundè accipere videatur exemplum. DIST. XI. Cap. 11. *Quis nesciat. init.* quod ultimum est.

XII. Oportet, eos hoc sequi, quod Ecclesia Romana custodit, quos ab eâ principium accepisse non est dubium. *ibid. med.*

XIII. Rationabiles & approbatae Consuetudines cujuslibet Ecclesiae suam habere debent firmitatem. *De Consuetudine*. Cap. *Cum Olim*. LIB. I. DECR. TIT. IV. Cap. 6. *fin. cum GLOSSA.*

XIV. Cum à Diversis diversâ Consuetudo tenetur, eligendum in hoc casu quod per Consuetudinem diù obtentam ibidem noscitur observatum. *De Decimis*. Cap. *Ad Apostolica. fin.* LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 20. Responsum Pontificis GONZALEZ sic legit: *Tu verò eliges in hoc casu, quod nullum vel minus novoris scandalum generari.* GREGORIUS IX. tutius duxit, ut proscriberetur modus quo scandalum vitaretur.

XV. Ubi sunt diversae Consuetudines locorum debet

bet Episcopus Consuetudinem suæ Metropolitanæ Ecclesiæ, vel aliarum circumpositarum, inquirere & diligentius imitari. *De Cognatione Spirituali*. Cap. *Super eo. post init.* LIB. IV. DECR. TIT. XI. Cap. 3. & *De Consuetudine* Cap. *Cum Olim.* colligitur. LIB. I. DECR. TIT. IV. Cap. 6. §. *Quocirca.*

XVI. Grave est antiquam Consuetudinem circum-adjacentium Ecclesiarum super his, in quibus diversa est Ecclesiarum Consuetudo, contemnere. *ibid. fin.* LIB. IV. DECR. TIT. XI. Cap. 3.

XVII. In his, quæ de Consuetudine permittuntur alicubi, licet alibi non observantur, debet Episcopus in suâ Ecclesiâ dissimulare ita, quod nec contradicere, nec suum videatur præstare assensum. *ibid.*

XVIII. Gravius videtur, si propter eam Consuetudinem hujusmodi rebus suam indulgeret assensum; cum posset sic in exemplum assumi. *ibid. fin.*

XIX. Aut Mos omnium esse servandus; aut si aliquid specialiter dicitur esse concessum præceptum-ve, oportet ostendi. *Dist. C. Cap. 8. Contrâ Morem.* §. 1. *illud Pater. med.*

XX. Consultius Observatæ Consuetudini deferendum, quam aliud in dissensionem & scandalum Populi statuendum, quâdam adhibitâ novitate. *De Consanguinitate &c. Cap. Quod Dilectio. fin.* LIB. IV. DECR. TIT. XIV. Cap. 3.

SECTIO V.

Quos effectus pariat Consuetudo Legitima.

I. **E**X Consuetudine speciali valent aliqui contrâ Jus Commune Jurisdictionem sibi vindicare ergâ Delinquentes. *De Foro Competenti.* Cap. *Cum convingat. fin.* LIB. II. DECR. TIT. II. Cap. 13.

II. Consuetudo derogat Juri Communi etiam in Criminibus. *ibid.* GLOSSA colligit.

III. Antiqua Consuetudo Terræ excusat, quominus puniantur qui Juri Communi non obtemperant. *De Temporibus Ordinationum.* Cap. *Sanè. med.* colligitur. LIB. I. DECR. TIT. XI. Cap. 2.

IV. Consuetudo dat Jurisdictionem in Excessibus corrigendis. *De Officio Judicis Ordin.* Cap. *Irrefragabili.* colligitur. LIB. I. DECR. TIT. XXXI. Cap. 13.

V. Per Consuetudinem approbatam, Persona aliàs Inhabiles in Subditos suos ordinariam Jurisdictionem habere noscuntur. *De Arbitris.* Cap. *Dilecti.* §. *Quamvis. post init.* LIB. I. DECR. TIT. XLIII. Cap. 4. colligitur.

VI. Consuetudo confert Jurisdictionem etiam Spiritualem. *De Officio Judicis Ordin.* Cap. *Duo simul. post init.* LIB. I. DECR. TIT. XXXI. Cap. 9. colligitur.

VII. Consuetudine acquiritur jus eligendi. *C. 7. De Offic. Arch. & Cap. Dilecto, ibid.* LIB. I. DECR. TIT. XXIII. C. 10. CLEMENTINA. *De Electione.* Cap. *Statutum.* LIB. I. TIT. III. Cap. 7. colligitur.

VIII. Consuetudo Ecclesiæ tollit Jus, & ei præjudicat. *De Cognatione Spirituali.* Cap. *Utrum. fin.* GLOSSA colligit. LIB. IV. DECR. TIT. XI. Cap. 1.

IX. Antiqua Consuetudo à Tempore, cujus non extat memoria, introducta, jus sive Privilegium inducit. *De Verborum significatione.* Cap. *Super §. 2. Præterâ. fin.* GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 26.

Recenseri possunt inter præcipuos Consuetudinis effectus, infinitæ propemodum mutationes, quæ à Christo ad nos circa Disciplinam factæ sunt, sicut que in posterum usque ad ultimum ejus Adventum.

SECTIO ULTIMA.

Quomodo probetur Consuetudo?

I. **D**epositionibus Testium probatur Consuetudo. *De Verborum Significatione.* Cap. *Abbate.* §. 2. *Nos. init.* LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 26.

II. Per Majores, qui habere debent de Consuetudine notitiam plenioram, super Controversiis, sollicitè veritas inquiri debet. *De Officio Archidiaconi.* Cap. *Dilecto.* §. *penult. ideòque.* LIB. I. DECR. TIT. XXIII. Cap. 10.

III. Per eosdem Majores constare debet de pacificâ sic obtentâ Consuetudine. *ibid.*

IV. Non videtur injuriam facere, qui utitur jure suo, cum per Testes probatum est, quod hoc jure usus fuerit. *De Electione.* Cap. *Cum Ecclesia.* §. *Mandamus.* LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 31. *med.*

V. Ecclesia antiquo jure uti liberè debet, maximè si sit notorium, quod in Provincia, Generalis Consuetudo servetur, ut in cæteris Ecclesiis idem obtineat. *ibid. fin.*

VI. Unus vel alter actus non sufficit ad præscribendam Consuetudinem. *ibid.* Cap. *Cumana.* LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 50. §. *Cum Decem.* colligitur.

VII. Nemo potest nomine suo allegare Consuetudinem. *ibid.* Cap. *Constitutis:* GLOSSA. Verbo *Quo jure.* LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 47.

VIII. Maximè valet Consuetudo, cum dici potest quod quasi contradicte Judicid fuerit introducta. *De Verborum significatione.* Cap. *Abbate.* §. 4. *ad hoc.* colligitur. Dicitur *maximè;* quia Judicium contradicte non est necessarium; ut observat GONZALEZ in *C. 1. De Consuetud. n. 11.* ubi addit, Tria sufficere, nempe Usus Longævum, Principis consensum sive cujusvis aliis potestatem Habentis Jus condendi, & causam rationabilem: citatque Celebres Autores, qui docent, Actus Judiciales ad id non requiri. Consentit quoque GLOSSA in Verbo *contradicte Judicio,* declarans, illo opus non esse, nisi in dubio, an ex ter Consuetudo, aliis asserentibus, aliis negantibus.

CAPUT II.

Regule circa Consuetudinem, quoad sensum è Jure desumptæ, cum explicatione Præcedentium Decisionum, tam exemplis quàm variis Divisionibus congruo ordine digestis.

A Rescriptis ad Consuetudinem transeamus Gregorianum ordinem sequentes. Utilior erit hic Tractatus, quàm ille: Plura & Plures respicit, atque ad Praxim multò plus conducit; Tractantes ergò de Consuetudine, discutimus. 1. An sit Pars Juris, Quare, & à Quo Tempore? 2. Quid sit Consuetudo? 3. Quotplex sit Consuetudinum Divisio? 4. Quid cuique Consuetudinum generi conveniat? 5. Quæ sit Consuetudinis vis, & à Quo petatur?

Singula autem Puncta singulis, vel pluribus, pro rei necessitate §§. aliisve Subdivisionibus tractabimus; Cum igitur Primi Puncti discutiendi triplex sit Pars, ideò in tres §§. dividetur; sed unum prius notandum est, quod totius Tractatus quasi Basis est & Fundamentum, nempe rationcinandum de Consuetudine eo modo, quo de Canone, ideòque quod de isto dictum est, ad Consuetudinem extendendum esse.

PUNCTUM PRIMUM.

Circâ Consuetudinem in tres §§. divisum.

§. I.

An Consuetudo sit Pars Juris.

REGULA.

Non alia docet Canon circâ hunc §. quàm quæ sequuntur.

I. Vocatur Jus ab Isidoro. *C. 5. Dist. I.*

II. Di-

II. Dicitur ab eodem pro Lege suscipi, cum Lex deficit. *ibid.*

III. Idem annumerat inter Legis conditiones, quod fit juxta Patriæ Consuetudinem, Quod partim provenit, ex eo quod Consuetudo pro Lege habeatur. C. 2. DIST. IV.

IV. Conferitur infinitis in Locis cum aliis Juris Partibus, diciturque servanda ut Lex. C. 5. 6. 7. DIST. XI.

V. Docet JUSTINIANUS diuturnos Mores, qui idem sunt ac longa Consuetudo, vim Legis habere. C. 6. DIST. XII.

VI. Revocari jubet Idem, quod fit contra longam Consuetudinem. C. 7. d.

VII. CAROLUS MAGNUS ita agnoscit, Consuetudinem esse Juris Partem, ut Populos sibi subditos distinguat in eos, qui Lege, & eos, qui Consuetudine reguntur. C. 37. CAUS XI. QUÆST. I.

VIII. Quod à Generali Ecclesiæ Consuetudine est alienum vitandum est. C. 11. 12. DIST. XII.

§. II.

Quare Consuetudo sit Pars Juris?

REGULA.

Non alia habentur in Canone circa hunc §. quam ista.

I. Si Consuetudini suffragetur veritas, nil firmius retineri oportet, quia nil melius servatur. C. 7. DIST. VIII. §. Hoc.

II. Consuetudinis Ususque longævi non vilis est autoritas. C. 4. DIST. XI. C. 9. *De Consuetud.*

III. Si Consuetudines nihili æstimamus, hinc multum detrimenti Religio feret. C. 5. *Ead. DIST.*

Consuetudo pertinet quoque ad Jus, prout est Juris interpretatio, est enim optima Legum Interpretes. C. 9. *de Sepult.* C. 8. *de Consuet.* eaque interpretatio præfertur ei, quæ ex verborum propria significatione petitur. FAGNAN. in C. 12. *de Judic.* n. 87.

§. III

A quo tempore Consuetudo est Pars Juris?

REGULA.

Consuetudo est Juris Humani Pars antiquior. §. I. *Verò Consuet.* paulò antè initium. DIST. VII.

RATIO *Gratiani*, ex quo REGULA desumitur, hæc est; A quo Homines simul habitare cœperunt, quod accidit statim ac Civitas à Cain ædificata est, Consuetudine regi etiam cœperunt, Leges autem ab iis longè posterius conditæ sunt.

PUNCTUM SECUNDUM.

De Consuetudinis Naturâ.

Secundi Puncti duplex est sensus, nimirum. 1. Quid significet hæc vox, *Consuetudo*, & 2. Quid sit Res hæc voce significata; ideòque in duos §. dividetur.

§. I.

Quid significet hæc Vox, Consuetudo?

REGULA.

Nil aliud in Canone circa hunc §. quam istud, legitur.

Vocatur Consuetudo Quod in Communi est usu. C. 6. DIST. I.

§. II.

Quid sit Res Nomine Consuetudinis significata

REGULA.

Hoc unum docet Canon circa hunc §. Consuetudo est Jus quoddam moribus institutum, quod pro Lege suscipitur, cum deficit Lex. C. 5. DIST. I.

PUNCTUM TERTIUM.

De Consuetudinis Divisionibus.

§. I.

Quotuplex sit Consuetudinum Divisio?

REGULA.

Quadruplex tantum ex Canone infertur Consuetudinum Divisio.

I. Consuetudo est scripta, vel non scripta. C. 5. DIST. I.

II. Consuetudo est ex se bona, vel mala. C. 6. DIST. IV. C. 3. 4. 5. 6. 7. 8.

III. Consuetudo est ex se nec bona, nec mala. C. 11. DIST. XII.

IV. Consuetudo est vel Generalis, vel Particularis. C. 12. 13. DIST. XII.

Præmittitur Quinta Divisio Consuetudinis, in illam, quæ est contra Jus, & illam, quæ est præter Jus, quia de illâ non fit expressa Mentio in Canone: Posterior est ea, quæ versatur circa Res nullâ Lege præceptas, nec veritas: illius meminit GONZALEZ in C. 1. *de Consuet.* n. 11. necnon discriminis inter utramque, quod caret fundamento in Jure.

Idem sit de Divisione in Consuetudinem, quæ excedit memoriam Hominum, & eam, quæ non excedit, quia hæc Circumstantia est merum accidens, quod cuique præfatarum specierum Consuetudinis convenit, cum nulla sit, quæ immemorialis esse non possit, ideòque notasse sufficet, quòd ea, quæ huic peculiaris sunt, colligit FAGNANUS variis locis, sed præcipue in Cap. 1. *de Consuetudine à n. 49. usque ad finem C. 4. ibid. n. 33. & 36. C. 4. de Relig. Dom. n. 34. C. 14. & 27. de Jure Patr. nempe, eam habere vim Tituli, seu Privilegii, nisi sit ex illis, quæ à Jure expressè reprobantur, vel Personæ sint incapaces Rei, de quâ agitur: hinc Canones Derogantes Consuetudini addunt quandòque hæc verba, etiam immemoriali.*

PUNCTUM QUARTUM.

Quid cuique Consuetudinum generi conveniat.

Puncti IV. tot sunt Partes, quot Consuetudinum genera.

§. I.

De Primâ Consuetudinum Divisione.

SECTIO I.

REGULA.

Nil aliud docet Canon circa Primam Consuetudinis Divisionem, quam istud.

Non differt, an Consuetudo Scripturâ, an Ratione consistat; undè GRATIANUS meritò infert, Consuetudinem aliam esse scriptam, aliam non scriptam, sed non rectè judicat, scriptam idem esse ac Constitutionem, cum ista expressè fiat, ab Habente potestatem condendi Legem, Consuetudo verò à Subditis statuat.

statuatur, non dissentiente Legislatore: Cùm præterea Constitutionis certa sit vulgò origo; Consuetudinis sæpius incerta: Constitutio uno momento fiat; Consuetudo longo Temporis spatio egeat, ut stabilietur.

Nota obiter circa hanc Divisionem 1. eam esse merè accidentalem, utiq̃ petitam tantum ex modo, quo Consuetudo ad Posterios transmittitur, qui est accidens.

2. Constitutionem, quæ jamdiu servatur, dici posse Consuetudinem eo sensu, quòd in Communi sit Usu; sed Consuetudinis nomine propriè intelligi Jus Moribus introductum, eodemque modo perseverans.

§. II.

De Priore Secunda Consuetudinum Divisionis Parte.

REGULA.

Quæ docet Canon circa Bonam Consuetudinem, ad ista reducuntur. 1. Quid sit? 2. Quid faciendum circa Bonas Consuetudines? 3. Quæ Seculares vel Ecclesiasticæ Consuetudines inter Bonas ponendæ sint.

SECTIO I.

Quid ex Canone sit Bona Consuetudo.

REGULA.

Nil aliud docet circa hanc Sectionem Canon, quàm ista.

I. Consuetudo Bona est illa, quæ Ratione constat, Religioni convenit, Disciplinæ congruit, Salutique proficit. C. 5. DIST. I.

II. Bona Consuetudo est illa, quæ Juri Naturali & Divino conformis est, quæ cum Fide ac cum Veritate manifestatâ concordat. C. 8. DIST. XII.

Nota obiter, Definitiones vel Descriptiones malæ Consuetudinis, de quibus postea, posse in contrario sensu applicari bonæ Consuetudini, sicut Definitiones istius possunt in eodem sensu malæ Consuetudini pariter accommodari.

III. Est illa, quæ est rationabilis, & legitime præscripta; id est per Tempus ad legitimam præscriptionem necessarium inducta: Tempus autem, illud est 10. annorum secundum Leges, & 40. secundum Canones. C. 11. De Caus. C. 3. De Caus. Poss. PANORMITANUS C. 11. De Consuet.

SECTIO II.

Quid faciendum circa Bonas Consuetudines.

REGULA.

Non alia circa hanc Sectionem in Canone habentur, quàm ista.

I. Ur bonæ Leges diligenter, studiosè & illibatè, servandæ sunt. C. 5. 6. 7. 8. DIST. XI. Et tota ferè, DIST. XII.

II. Cùm diversæ sunt, quæ magis Rationabiles, præferendæ sunt. C. 6. de Conf.

III. Juxtâ illas judicandum. C. 3. De eo, qui mittitur &c.

IV. In Parochiis vel Episcopatibus noviter erectis servandæ sunt Consuetudines Vicinarum Ecclesiarum quoad jura Parochis vel Episcopis solvenda. C. 22. de Consib.

V. Generalis Ecclesiæ Consuetudo in celebrandis Divinis Mysteriis servanda est. C. 13. de Celeb. Miss.

VI. In Celebrandis Festis & observandis Jejuniiis,

Locorum Consuetudines sunt sequendæ. C. 2. de Observ. Jejun.

VII. Ecclesia Suffraganea servare debet quod Beati Petri Sedem vel suam Metropolim servare viderit & docere. C. 5. De Sponsâ duorum

SECTIO III.

Quæ bona Consuetudinis exempla in Canone legantur.

REGULA.

Non alia hujusmodi exempla in Canone leguntur, quàm ista.

I. Quòd Fideles Crucis signaculo se insigniant. C. 5. DIST. XI.

II. Quòd Panis & Calix eo, quo fit, modo confectur. *ibid.*

III. Versus Orientem adoretur. *ibid.*

IV. Quòd Baptismatis Fons oleo benedicatur. *ibid.*

V. Baptisandi ungantur. *ibid.*

VI. Quòd verbis Satanæ & Angelis ejus abrenuntient. *ibid.*

VII. Quòd inferior Judicis Officialis aliquid non immoderatum à Partibus accipiat. C. 15. CAUS. XIV. QUÆST. V.

VIII. Quòd die Dominicâ & diebus Pentecostes stantes oremus. C. 10. De Conf. DIST. III.

IX. Quòd die Dominicâ non jejunetur. C. 14. 15. Ead. DIST.

X. Si Ecclesiæ, Res vel Privilegia acquirat Consuetudo. C. 8. CAUS. XVI. QUÆST. III.

XI. Quòd multò plus vini, quàm aquæ, in Calice ponatur. C. 1. De Celeb. Miss.

XII. Quòd, dum evenit Nativitas Domini die Veneris, eo die Carnes comedantur. C. 3. de Observ. Jejun.

XIII. Quòd Domini Passio, Resurrectio, in Cælum Ascensio, Adventus Spiritus Sancti anniversariâ Solemnitate ubique celebrentur. C. 11. DIST. XII.

XIV. Quòd Abbas ex alterius Monasterii gremio assumatur, id postulante Monasterio, cujus sit Abbas, necessitate vel utilitate. C. 8. de Consuet.

§. III.

De altero Secunda Divisionis Membro, sive, Quæ notanda in Canone circa Consuetudinem malam.

REGULA.

Non alia notanda, quàm ista. 1. Quid sit mala Consuetudo. 2. Quæ exempla malæ Consuetudinis. 3. Quid faciendum circa malam Consuetudinem.

SECTIO I.

Quid sit mala Consuetudo.

REGULA.

Consuetudo, cui unum ex sequentibus competit, juxtâ Canonem mala est.

I. Si Rationi adversetur. C. 6. DIST. IV. C. 1. DIST. XI. C. 3. de Consuet.

II. Si Veritati manifestatæ sit contraria. C. 4. 5. 6. 7. 8. &c. DIST. IX. C. 8. de Sent. & Re jud.

III. Si Jus Naturale vel Divinum lædat. C. 2. DIST. VIII. C. 13. CAUS. XXXII. QUÆST. VII.

IV. Si Fidei officiat. C. 6. 7. 8. 9. DIST. XI.

V. Si vitio faveat. C. 1. DIST. XLIV.

VI. Si Sacris Canonibus sit inimica. C. 3. 7. de Consuet.

VII. Si Legibus Humanis opponatur. C. 1. 4. DIST. XI. C. 5. de Juram. Calumn.

VIII. Si Multorum Saluti nocere possit. C. 89. de Panit. DIST. I.

IX. Si

IX. Si in damnum publicum vergat. C. 1. CAUS. XVI. QUÆST. VI.

X. Si irreligiosa sit, id est, Dei vel Sanctorum Cultui contraria. C. 2. de Conf. DIST. III.

XI. Si æquitati adversetur. C. 10. de Consuet.

XII. Si sit contrà Ecclesiæ Libertatem. C. 49. de Sent. Excom. C. 1. de Consuet. quo damnatur Consuetudo gravamen Ecclesiæ inferens sine justâ causâ, quam restrictionem GONZALEZ in istud probat per Cap. 3. de Censib.

Nota omnia, quorum quolibet mala sit Consuetudo, reduci ad Jus Naturale vel Divinum læsa; nam quod vitio favet, quod rationi adversatur, quod Juri Naturali opponitur, quod Canonibus vel Legibus inimicum, Jus Naturale & Divinum offendit, quæ præcipiunt, ut Legislatori obediat, sive Seculari sive Ecclesiastico; unde, quandiu iste reclamatur, quæ contra Canones vel Leges fiunt, involvunt inobedientiam à Naturali & Divino Jure prohibitam. Quod Fidem vel Veritatem manifestatam lædit, Jus Divinum itidem lædit, præcipiens, ut utrique Mens Humana se subjiciat; Læsiõ boni publici à Jure Naturali & Divino prohibetur; Quidquid Salutis vel Sacro Cultui nocet, Juris Divini infractionem involvit.

Nota etiã, quod eæ Consuetudines, quæ malæ non sunt, nisi quia Juri Positivo nondum abrogato adversantur, bonæ efficiantur, si Jus revocetur, vel si contrà illud legitime præscribatur.

SECTIO II.

Quæ in Canone malæ Consuetudinis exempla, sive quæ pravæ Consuetudines in eo expressè improventur.

REGULA.

Non alias pravæ expressè improbat Canon Consuetudines, quàm istas.

I. QUÀ Fideles immoderato Carnium esu ad Sacri Quadragesimalis Temporis observationem se disponunt. C. 6. DIST. IV.

II. QUÀ commensationes & ebrietates in honorem Martyrum, tam diebus quibus solemniter coluntur, quàm aliis, celebrantur. C. 1. DIST. XLIV.

III. QUÀ aliquid exigitur pro Rebus Spiritualibus, sive prius, sive post illarum collationem. C. 15. CAUS. I. QUÆST. III.

IV. QUÀ pro Sepulturâ pecunia exigitur, idque ne venalis Ecclesia dicatur: nevé Pastores de Humanis Mortibus gratulari videantur. C. 12. CAUS. XII. QUÆST. II. C. 13. de Sepult.

V. QUÀ Parochiæ cuique Ecclesiæ deputatæ conveluntur. C. 5. CAUS. XVI. QUÆST. LXIII.

VI. QUÀ Rectores Ecclesiarum prædiis, quæ ad se pertinere putabant, More Fiscali titulos imprimebant, ac proinde suâ autoritate usurpabant, quod per Judicem reposcere debebant. C. 1. CAUS. XVI. QUÆST. VI.

VII. QUÀ publicè fiebat Confessio peccatorum. C. 89. de Penitentia. DIST. I.

VIII. QUÀ Diebus Festivis Populi saltationibus turpiter invigilant, Cantica canunt mala, ac Religiosos Officiis perstrepunt. C. 2. de Consecr. DIST. III.

IX. QUÀ in Venerèa re usus naturalis invertitur. C. 13. CAUS. XXXII. QUÆST. VII.

X. QUÆ Ecclesiæ gravamen non modicum inducit. C. de Consuet. C. 14. de Elect. C. 13. de Majorit. si sine justa causâ fiat, ut in n. 12. Sect. 1.

Nota obiter, Bullam URBANI VIII. quâ Ecclesiam in suis Immunitatibus restituens, abolet omnes Consuetudines Ecclesiæ nocivas, in Galliâ non recipi: de hac FAGNANUS fufè. in C. 1. de Consuet. à n. 49. ad finem usque.

XI. QUÀ Populi Dictum in Causis Ecclesiasticis pro Sententiâ tenetur. C. 3. de Consuet. GONZALEZ in illud citat plures alios Textus idem docentes.

XII. QUÀ Sententiâ à non suo Judice fertur. *ibid.*

XIII. QUÀ Rei Sacræ collatio fit ab eo, qui caret Ordine, cui reservatur. Cap. 4. de Consuet.

XIV. QUÀ, durante Interdicto, altâ voce & pulsatis Campanis Divina celebrantur Officia in Locis Interdicto subjectis. C. 5. eodem Tit. Quod restringendum ad Interdictum justè latum, & ad Consuetudinem præsumpto Privilegio non innixam.

XV. QUÆ dirumpit Ecclesiæ Disciplinæ nervum. *ibid.* in integrâ.

XVI. QUÀ Vir, qui vitio suo dissipavit Bona sua, potest pro libitu Bona Uxoris alienare. C. 10. de Consuet. Quod iniquum maximè, cum hinc fieret Uxor indotata, contrà vetitum Rationis Naturalis.

XVII. QUÀ Uxor, etsi adultera, medietatem Bonorum à Viro acquiritorum exigere potest. *ibid.* Repugnat Bonis Moribus.

XVIII. QUÀ Electionis libertas tollitur. C. 14. de Elect.

XIX. QUÀ Sacri Ordines extrâ Quatuor Tempora conferuntur. C. 2. 9. 11. de Temp. Ord.

XX. QUÀ non Professi Beneficia Regularia acquirunt & possident. C. 27. de Elect.

XXI. QUÀ Naufragorum Bona, navigiaque rapiuntur, nisi Piratæ vel Hostes sint. C. 4. de Consuet. in 5. Collect.

XXII. QUÀ Suffraganei Metropolitano suo graviora jurant, quàm alii suis. C. 13. De Maj. & Obed. si nullus subsit exceptionis locus. C. 9. de Offic. Ord.

XXIII. QUÀ Clericorum Causæ non juxtâ Canones, sed juxtâ Laicorum Consuetudines judicantur. (Hic Canon non servatur in Galliâ, ubi plurimæ Clericorum Causæ juxtâ Leges Regias judicantur.) C. 9. de For. Compet. in integrâ.

XXIV. QUÀ, ultrâ probationem plenam, exigitur Juramentum. C. 9. de Probationibus.

XXV. QUÀ Reis crimine convictis vel faciliè convincendis, licet se probare infontes, purgando se per Testes fide indignos. C. 12. De Probat. in integrâ. Idem dic de quavis Consuetudine, quâ Purgationes Vulgares approbantur. *Toto Tit. de Purgat. Vulgar.*

XXVI. QUÀ, post admissos Testes Matrimonii nullitatem probantes, non recipiuntur Testes contrarii. C. 2. de Testib. & Att.

XXVII. QUÀ Parochis non datur Congrua Portio ab iis, qui Decimas, aliosque Parochiæ proventus percipiunt. C. 10. de Præb.

XXVIII. QUÀ Clerici Beneficia recipiunt, sine consensu Episcopi vel Officialium illius; Restringendus Canon ad Beneficia, quæ ab aliis pleno Jure non conferuntur. C. 3. de Instit.

XXIX. QUÀ Archidiaconi Animarum curam committunt sine Episcopi autoritate. C. 3. de Instit. in 1. Col.

XXX. QUÀ, intrâ Gradus prohibitos, Matrimonium contrahitur. C. 5. de Consang.

XXXI. QUÀ Ecclesia reconciliatur per Presbyteros ab Episcopis commissos. (Nunc probatur hujusmodi Consuetudo.) C. 9. de Conf. Eccl.

XXXII. QUÀ non licet celebrare in Majori Altari, nisi oriundo ex Stirpe Militari. C. 3. de Celebratione. in 5. Coll.

XXXIII. QUÀ Judex Laicus in Ecclesiarum domibus placita teneat, de Rebus Secularibus judicet, hospitium sibi vindicet. C. 1. de Immun. Eccles.

XXXIV. QUÀ pro concedendâ docendi licentiâ pecunia exigatur. C. 1. 3. de Magistr.

XXXV. QUÆ absque mortali peccato servari nequit. C. ult. de Prescript.

XXXVI. QUÀ Judices Ecclesiastici aliquid exigunt à Partibus præter expensas victualium, conveniuntque de Decimâ litis, aliave parte, solvendâ. C. 10. de Vit. & Hon. Cler.

XXXVII. QUÀ Ludi Theatrales in Ecclesiâ & per Clericos fiunt. C. 12. de Vit. & Hon. &c.

XXXVIII.

XXXVIII. Quâ ad quarundam Ecclesiarum Beneficia soli Nobiles recipiuntur. (legitima habetur nunc ista Consuetudo.) C. 37. de *Præb.*

XXXIX. Quâ de radice Ambitionis processit, & in Cupiditate fundatur; qualis est, qua duo Beneficia incompatibilia simul possidentur absque legitima dispensatione. C. 1. de *Conf. in VI.*

XL. Quâ ab Officiali ad Episcopum appellatur. C. 2. *Eod. Tit. & loco.*

XLI. Quâ in cessatione à Divinis Sanctorum Imagines in terram sternebantur & inter spinas ponebantur. Extendendus Canon ad alios casus, in quibus idem simile quid fieret. C. 2. de *Offic. Ord. in VI. §. si autem.*

XLII. Quâ non recipiuntur Legati Sedis Apostolicæ non petiti, & de consensu non missi. C. 1. de *Consuet.* EXTRA VAG. COMM. in quâ JOANNES XXII. nedum illam damnat, sed etiam illam Sequentes excommunicat ipso facto, derogatque quibuscumque Indultis à Sede Apostolicâ in contrarium concessis. Non recipitur in Galliâ, idque merito, ut ostenditur, dum de Legatis.

XLIII. Quâ Probationum facultatem angustat. C. 1. de *Offi. Ord. Extrav. Commun.*

XLIV. Quâ pro Spiritualibus Homagium facere Quis compellitur. Restringenda Regula ad res merè Spirituales, alioquin non servatur. C. *Ult. de Reg. Jur.*

XLV. Quâ, cum Electio alicujus Prælati fieri debet, Conventus, ad quem pertinet, duas Personas nominat latenter Patriarchæ vel Principi exprimentas, ut alteram eligant vel electionem cassent irritentque. C. 14. de *Elect.*

XLVI. Quâ Abbas exemptus, sine licentia Papæ, cui immediate subest, transferatur ad aliam Abbatiam. C. 7. de *Conf. Autoritati Superioris* adversatur.

XLVII. Quâ Laici cum Canonicis Episcopum eligunt. C. 56. de *Elect.*

XLVIII. Quâ Presbyteri usurpant, quæ sunt Ordinis Episcopalis. C. 4. de *Consuet.* Quod maximâ eget expositione ad *Tractatum de Sacram. Ordinis* remittendâ.

SECTIO III.

Quid juxta Canonem faciendum circa malam Consuetudinem.

REGULA.

Hæc faciendâ circa malam Consuetudinem ex Canone inferuntur.

I. SI ita inolevit, ut averti ab illâ Homines non possint, suo genio relinquendi sunt, ne forte Pejores existant, si à tali Consuetudine prohibeantur. C. 6. DIST. IV.

II. Ut perniciofa corruptela nedum vitanda, sed citius & radicis evellenda, ne ab Impiis in Jus Privilegiorum assumatur, ac sic variæ Præsumptiones celerimè non compressæ pro Legibus haberi, & Privilegiorum more celebrari incipiant. C. 3. DIST. VIII. C. 11. de *Excessib. Prælat.*

III. Quantumvis vetusta Rationi & Veritati semper postponenda est. C. 4. 5. 6. 7. 8. 9. DIST. VIII.

IV. Consuetudines onerosæ, quæ nec autoritatibus Scripturarum, nec Episcoporum Conciliis ac Statutis, nec Consuetudine Generali roboratæ sunt, quarum vix inveniri potest ratio, quâ introductæ sunt, quando facultas se obtulerit, rescandæ sunt. C. 12. DIST. XII.

V. Mitiùs agendum in pravis Consuetudinibus extirpandis, cum apud Multos receptæ sunt, ideòque non imperiosè, sed benignè sunt amovendæ. C. 1. DIST. XLIV.

VI. Non sunt negligenter omittendæ, quæ malè usurpantur, ne excelsus via aliis aperiatur. C. 21. DIST. XCVIII. id est, quod hæc diligenter sunt reformanda.

VII. Emendandum quod sola usurpatione vel subreptione præsumitur. C. 22. *Ead. DIST.*

Tom. I.

VIII. Consuetudo, si sit reprehensibilis, vel improbabilis, vel irreligiosa, tollenda est. C. 1. CAUS. XVI. QUÆST. VI. C. 89. de *Penit. DIST. I. C. 2. De Conf. DIST. III.* idque curâ Sacerdotum & Judicum.

IX. Si Ecclesiis non modicum gravamen inducat, Judicis officio est abolenda. C. 1. de *Consuet.*

X. Contrarias Ecclesiæ Libertati Consuetudines Introducens, introductas Servans, aut servari Curans, excommunicantur. C. 49. de *Sent. Excomm.*

XI. Qui ad excusandas excusationes in peccatis, majorem ex pravâ Consuetudine usurpat delinquendi licentiam, duriùs puniendus est. C. 11. de *Excess. Prælat.*

XII. Sicut non servanda Consuetudo prava, ita nec juramentum, quo quis jurat illam servare. C. 1. de *His, quæ sunt à maj. &c.*

§. IV.

De Tertiâ Consuetudinis Divisione.

SECTIO I.

Quid sit Consuetudo Indifferens, & Quibus Notis dignoscatur.

REGULA I.

Omnis Consuetudo, quæ neque est contra Fidem, nec contra Bonos Mores, indifferens est. Propriis ferè verbis habetur. C. 11. DIST. XII.

REGULA II.

Non aliis Notis dignoscitur Consuetudo indifferens, quàm istis.

I. DIVERsa est pro Locorum diversitate. C. 8. DIST. XI.

II. Nec semper, nec ubique obligat. *Tota ferè* DIST. XII.

III. Obligat tantum pro eorum, quibuscum vivitur, societate. C. 11. DIST. XII.

SECTIO II.

Quid sit faciendum circa Consuetudinem Indifferentem.

REGULA.

Non alia circa hoc præscribit Canon, quàm ista.

I. Loci, in quo sumus, Consuetudini standum est, unde juxta eam Lites judicandæ. C. 8. DIST. XI. & alia *ibid.* C. 11. DIST. XII. & alia *ibid.* C. 2. de *Consuet. in integrâ.*

II. Si sit onerosa, est abolenda. C. 12. DIST. XII.

III. Si Consuetudo Ecclesiæ Inferioris à Superiore Ecclesiâ, cui immediate subest, prohibeatur, non est servanda. C. 13. 14. DIST. XII. C. 15. de *Consecr. DIST. II.*

IV. Generalis Ecclesiarum Consuetudo sequenda est, nisi Privilegium aliquod ab illâ eximat.

Nota, nomine *Privilegii* hîc intelligi posse quamlibet exemptionem ab Ecclesiis, de quibus agitur, approbatam, sive sit scripta, sive non scripta.

V. Romanæ Ecclesiæ Consuetudines cæteris paribus sunt aliis præferendæ. C. 10. DIST. XII. secus verò, si aliæ magis convenient. C. 2. 3. 11. DIST. XI. C. 1. 2. DIST. XII.

VI. In eligendis Consuetudinibus, non judicandum de iis ex Locis, unde sumuntur, sed potiùs considerandæ sunt in se ipsis, ac ex istis de Locis judicandum. C. 10. DIST. XII. *mox cit.*

Nota circa C. 11. DIST. XI. n. 5. *citatum* omnes ferè Ecclesias Occidentales servare Romanæ Ecclesiæ Consuetudines, quoad illud, circa quod illas servari jubet, nempe Consecranda Mysteria, cæteraque agenda Arcana: nam Missale Romanum, quod Mysteria Consecranda

cranda respicit, & Rituale itidem Romanum, quod cætera Arcana, scilicet Sacramenta, spectat, sunt apud earum plerasque usu recepta.

VII. Cùm in aliquâ Ecclesiâ erigitur novum Beneficium, eidem attribuenda sunt Prærogativæ juxta Consuetudinem Vicinarum Ecclesiarum, quæ, si variæ sint, magis rationalis aliis præferetur. C. 6. De Consuet.

VIII. Cùm diversæ sunt, præferenda est, quæ à peccato removel ei, quæ peccato exponit. C. 6. in 1. Coll. De Spons. duorum ubi Matrimonium ratum præfertur Matrimonio consummato posteriori non obstante contrariâ Consuetudine.

IX. Consuetudo, cujus omisso scandalum generaret vel disensionem, servanda est, modò id, de quo agitur, non sit ex se malum. C. 1. De Cognatione Spirit. C. 3. De Consang. & Aff.

X. In Decimis solvendis spectanda Consuetudo, & in dubiis ad eam recurrendum. C. 18. 20. 32. De Decim.

XI. In Procurationibus, Visitationibus, aliisque similibus, attendenda est Consuetudo. C. 14. De Censib. in integ.

SECTIO III.

Quæ sint in Canone Consuetudinis Indifferentis exempla.

REGULA.

Non alia sunt in Canone Consuetudinis Indifferentis exempla, quàm ista.

I. Maxima Missæ & Sacramentorum, Ceremoniarum in Canone relatarum pars, quæ in Tractatibus de Missâ & de Sacramentis colligentur. De his fit mentio. C. 5. Dist. XI.

II. Quòd Jejunium Quadragesimæ incipiat à Quinquagesimâ, sive pro Omnibus, sive pro Clericis tantum. C. 4. 5. 6. Dist. IV.

III. Quòd Sabbato jejunetur, vel non. C. 11. Dist. XII.

IV. Quòd communicetur quotidie, vel certis tantum diebus. *ibid.*

V. Quòd hic, vel ille Ritus in celebrandis Divinis Officiis servetur. C. 13. 14. Dist. XII. C. 31. De Consue. Dist. II.

VI. Quòd Metropolitanus se invicem consecrent. C. 33. CAUS. XXIV. QUÆST. I.

Nota Omnes Consuetudines, quæ solam Disciplinam spectant, hic referri posse, ideòque si quæ hujusmodi inter bonas collocentur, quia ad Fidem vel ad Bonos Mores conferunt, vel aliâ de causâ, huc transferri licere.

VII. Quòd in Donationibus inter vivos, vel mortis causâ, Ecclesiæ factis Solemnitas Juris non servetur. C. 2. De Consuet.

VIII. Quòd Proximior possit intrâ annum & diem repetere possessionem venditam à Propinquo, offerendo Emptori pretium, quod solvit. C. 8. De Restit. in integrum.

IX. Quòd Canonicatum Collatio à solo Capitulo fiat, Episcopo irrequisito. C. 31. De Elect.

X. Quòd Archidiaconus excommunicare, suspendere, absolvere Presbyteros & Priores, Parochiales Ecclesias interdiceret, inquirere, & visitare possit. C. 54. De Elect.

XI. Quòd idem habeat in Monasteriis jurisdictionem. C. 10. De Off. Archid.

XII. Quòd Patriarchæ & Primates jurisdictione gaudeant in Subditos Archiepiscoporum & Episcoporum Patriarchatus vel Primatû. C. 8. CAUS. IX. QUÆST. III. C. 9. De Off. Jud. Ord.

XIII. Quòd Canonici à Capitulo corrigantur. C. 13. De Off. Jud. Ord.

XIV. Quòd Ecclesia Malefactores suos conveniat, vel coram Judice Ecclesiastico, vel coram Seculari. (Hoc non servatur in Galliâ, ubi Ecclesia hac in re est ejusdem conditionis, ac alii Actores.) C. 8. De for. compet.

XV. Quòd Festa à Vesperâ ad Vesperam, vel aliter celebrentur, quòdque Festum Trinitatis in Octavis Pentecostes, vel in Dominica Prima Adventus fiat. C. 2. De feriis.

XVI. Quòd tertiam vel quartam partem habeat Episcopus de his, quæ Ecclesiæ legantur. C. 15. De Testament.

XVII. Quòd Parochus hanc vel illam portionem habeat de relictis Ecclesiæ à Parochianis suis extrâ Parochiam Sepulturam eligentibus. C. 9. De Sepult.

XVIII. Quòd filius Sacerdotis Græci in Sacerdotio legitime genitus, Episcopus eligi non possit. C. 6. De Cler. conjug.

XIX. Quòd Episcopo liceat inquirere, punire, corrigere Subditorum excessus, inconsulto Capitulo. C. 3. De Consuet. in VI.

XX. Quòd Antiquiores Canonici gradatim meliores possint, cùm vacant, per se vel per alios optare Præbendas, nisi vacant in Curiâ Romanâ. C. 4. De Consuet. in VI. hujus usus ratio est in C. 15. De Majorit. & Obed. jubente, ut Prior ordine, potior sit in portione percipiendâ. Nota obiter, quòd Consuetudines exurgentes ex præscriptione Superiorum contra Inferiores, rigorosè examinandæ sint, quotiès emergunt circa illas inter utrosque Controversiæ.

PUNCTUM QUARTUM.

De Consuetudinis Vi.

Quartum de Consuetudine Punctum, illius vim respiciens, in 4. §§. dividetur. In 1. quæretur, A quo habeat vim suam Consuetudo. In 2. Quid possit. In 3. Quid non possit. In 4. An quæ sunt vi malæ Consuetudinis, istâ abrogatâ, abrogentur.

§. I.

Unde oriatur Consuetudinis vis?

REGULA.

Non aliudè haurit Consuetudo vim suam, quàm ex Legislatoris consensu tacito vel expresso, aut ex ipsâ Lege.

Infertur ex. C. 9. & C. 11. De Consuet. in quorum Primo prohibetur Capitulo Parisiensi, ne novas Consuetudines in Ecclesiâ Parisiensi introducat sine consensu Episcopi Parisiensis, qui est illius Ecclesiæ Legislator: In Secundo verò declaratur, valere Consuetudinem legitime præscriptam, id est legitimo tempore servatam, sive conscio sive incscio Legislatore; nam præscribitur, vel incscio Domino, vel eo conscio, sed negligente jus suum, cùm Lex nullibi ad id requirat Domini noticiam.

RATIO: Consuetudo est Lex, ideòque oportet, ut, ab Habente potestatem Legis condendæ quodanmodo proficiatur; hoc autem tribus modis fieri potest, vel enim agitur de Consuetudine, quæ Legem aliquam abroget, vel de aliâ; si de Primâ, requiritur consensus illius, qui Legem tulerat: Si de Secundâ, requiritur consensus illius, cujus est Legem condere in Locis, in quibus stabilitur Consuetudo; hic verò consensus dari potest vel expressè, ut cùm Legislator sciens Consuetudinem stabiliri, illam expressè approbat; vel tacitè, ut cùm Legislator sciens Consuetudinem stabiliri, contra illam non reclamât: vel datus est ab ipsâ Lege, ut cùm incscio alicujus Loci Legislatore, in eo Consuetudo stabilitur, tunc enim Lex consentit, ut, si legitimo tempore servetur, vim Legis habeat. C. 1. De Consuet. in VI. supponit, Consuetudines quòdque introduci ac stabiliri, incscio Legislatore, cùm causam afferens, cur Lex nova non deroget Consuetudinibus contrariis, nisi de illis expressè meminerit, dicat, hoc provenire ex eo quòd Legislator illas plerumque ignoret: hic consensus à Lege datus, differt à consensu, de quo priùs dictum est, in eo quòd sit generalis & cadat in quasvis Consuetudines Legislatori etiam ignotas; ille verò sit particularis, cadatque in Consuetudines determi-

determinatas, ipsi Legislatori cognitae, eoque modo facile conciliantur Juris Textus, ac Interpretes, qui contrarii esse videntur circa consensum Legislatoris ad institutionem Consuetudinis requisitum.

Hinc, cum ejus sit solvere, cuius est ligare, ejusdem est Consuetudinem abrogare, cuius est statuere, unde fit, ut, quoties Legislator vult Consuetudines abrogare, iis expressè derogat Clausula adjectione *non obstante quavis Consuetudine C. 9. de Consuet. in integ.* quod docet ad Capitulum pertinere, ut immutet Consuetudines ipsum solum tangentes, quae ab eodem statui potuerunt.

Nunc inquirendum, quid Consuetudo possit vel non possit; sed prius notandum, haberi in exemplis malae Consuetudinis supra collectis Quid Consuetudo non possit; in Exemplis verò Bonae Consuetudinis fidei supra collectis, Quid possit; ideòque hic tantum collecturi sumus loca, in quibus Canon expressè dicit, hoc vel illud per Consuetudinem posse vel non posse fieri.

§. II.

Quid possit Consuetudo, sive Generalis, sive Particularis, & quid circa istam expressè prohibeatur.

REGULA I.

Non alia circa hunc Paragraphum in Canone expressè habentur, quam ista.

I. Prisca Consuetudine acquiri potest Jurisdictio & Privilegium: hinc, cum circa Dignitates diversae esse possint Consuetudines, esse quoque possunt eandem Dignitatem Prerogativae variae in diversis Ecclesiis. C. 6. *De Consuet.*

II. Consuetudo determinare potest jura à Parochis Episcopis solvenda. C. 5. *CAUS. X. QUÆST. III.*

III. Introducere potest, ut una Ecclesia, de gremio alterius Prælatum eligere teneatur. Idem dic de Abbate erga Monasterium C. 8. *De Consuet. C. 25. De Verb. Signif.*

IV. Potest vis ejus ad Legis & Statuti interpretationem extendi; est enim optima utriusque Interpretis. C. 8. *De Consuet.*

V. Consuetudo rationalis ac legitime præscripta Juri Positivo sive Commune sit, sive Particulare, derogare potest. C. 6. & C. 11. *Eod. Tit. C. 31. De Elect. C. 13. De For. Compet. C. 7. De Appel. §. denique. C. 3. De Consuet. in VI.*

Nota contra quantum circa Consuetudinis vim exemplum, plures opponi posse Canones, talesque esse, qui infra citantur, & in quibus Consuetudo Canonibus vel Legi contraria nullius roboris esse declaratur: verum non responderi posse, hos omnes Canones loqui de Consuetudine non rationabili, vel de ea, quae nondum legitime præscripta est; nec aliam tolli viam posse apparentem hanc contrarietatem, cum hic recurrere non liceat ad Disciplinam diversitatem, quae ex Temporibus vel Locorum varietate oritur. Semper enim & ubique agnitus est, Consuetudinem vim Legis habere, ut alibi ostensum est. Attamen, ut clarius Responso hæc innotescat, ecce Canones, qui præfatam contrarietatem continent. C. 3. 7. *De Consuet. C. 5. De Juram. Cal. C. 1. 4. Dist. XI. C. 26. De Testib. & Attest. C. 3. De Celeb. Miss. in 5. Coll. C. 1. De His, quae sunt à Prælati & c. C. 3. De Donationibus. C. 1. De Consuet. in VI.*

Et circa illos, aliosque similes Observa iterum, inter Canones quosdam esse (de Lege idem dicito) qui Jus merè Humanum non inducunt, sed Jus Naturale vel Divinum exequuntur, idemque poenae adjectione servandum curant, ideòque Consuetudinem, quae talibus adversatur Canonibus, utpotè Juri Naturali vel Divino contrariam, omni prorsus vi carere: alios verò esse Canones Jus merè Humanum statuentes, eosque reclamare contra Consuetudinem, donec legitime præscripta sit, eo planè modo, quo res pro Domino suo reclamant, usque ad legitimam præscriptio-

Tom. I.

nem; ideòque sicut alienae rei Possessor ante legitimam Præscriptionem injustus Detentor haberi potest, ita Consuetudinis non præscriptae Observator, Canonis, cui adversatur, Transgressor judicari potest.

Observa 3. Consuetudinem, ut Jure Canonico sit legitime præscripta, tria requirere 1. ut sit Rationalis, qualis non est, quae Juri Naturali vel Divino adversatur. 2. est Spatium 40. annorum. 3. Ut per illos annos inceptum usum Legislator non improbarit. Primum patet, ex his omnibus Canonibus, in quibus Consuetudo, quantumvis vetusta, declaratur Corruptela, quia vel Naturali vel Divino Juri adversatur. Secundum inferitur ex C. 25. *De Verb. Signif.* in quo Consuetudo probatur legitima ex eo, quod 40. annis duraverit, ex C. 4. 6. 8. *De Præscript.* quae ad Præscriptionem 40. annos requirunt indistinctè, ideòque tam ad Legem, quam ad alias res extendi possunt. Tertium colligitur ex *cit. C. 25.* in quo Consuetudo probatur legitima ex eo, quod per 40. annos, per quos duravit, nil huic contrarium intervenerit. Colligitur ex PANORMITANO in *idem C. ubi* requirit tacitum consensum ejus, cui præjudicatur, ut Consuetudo legitime præscribatur. Consuetudo autem semper Legislatori præjudicat, cum vel facta Legi derogat, vel faciendi jus usurpet.

VI. Efficere potest, ut Donatio, quae alias non valeret, valeat. C. 3. *De Donationibus.*

VII. Obligare potest ad aliquid dandum pro Rerum Spiritualium receptione. C. 42. *De Simon.*

VIII. Dare potest aliis, quam Canonicis, jus Episcopum eligendi. C. 50. *De Elect. C. 3. De Causa poss. & propr.*

IX. Personae alias inhabili ad judicandum, ut Feminae, Jurisdictionem dare potest; Personae verò ad id idoneae illam dare potest in Casibus, in quibus illa carebat. C. 4. *de Arbitr. C. 1. 2. 5. De Off. Ord. in VI. C. 1. De For. compet. in VI. §. denique §. nec.*

X. Consuetudo, etsi mala, eximit à poenâ, quamdiù ab Ecclesiâ toleratur. C. 11. *De Tempor. Ordin.*

XI. Consuetudo antiqua, etsi prava, veniam meretur, illam bonâ fide Sequentibus. C. 2. & 9. *pro ut refertur in Collect. 2. Eod. Tit.*

XII. Superior potest vi Consuetudinis in non Subditum Correctionis jus acquirere. C. 13. *De Off. Jud. Ord.*

XIII. Antiqua Consuetudo præsentandi jus dare potest. C. 24. *De Elect.*

XIV. Longa annuam solvendi Pensionem Consuetudo eam continuandi obligationem parit. *ibid.*

XV. Efficere potest, ut Actor Rei Forum sequi non teneatur. C. 5. *De For. Compet.*

XVI. Festa introducere potest, illaque celebrandi modum determinare. C. 2. *De Feriis.*

XVII. Approbatâ Loci Consuetudine fieri potest, ut quoddam Instrumenti genus authenticum habeatur, id est fide dignum. C. 9. *De Fide Instrum.*

XVIII. Jus Visitationis & Procurationis acquirere potest Archiepiscopo in omnibus Provinciis suae Ecclesiae tam Regularibus, quam Secularibus. C. 16. *De Præscript.*

XIX. Consuetudine effici potest, ut Episcopo consentiente Clericus de redditibus Beneficii sui proximo anno post mortem percipiendis disponat. C. 1. *De Testam. in 2. Coll.*

XX. Tanta est Consuetudinis vis, ut jura, quae Archidiacono acquirit in Ecclesiis sibi subjectis, minuire nequeat Episcopus, si aliundè justa sunt. C. 2. *De Excess. Præl.*

XXI. Poterat alias Canonicos à residendo eximere per totum annum; nunc autem non potest nisi per tres menses. C. 5. *De Constit. C. 12. Sess. XXIV. CONC. TRID.*

XXII. Efficere potest, ut Appellatio à Judice Laico ad Judicem Ecclesiasticum teneat. C. 6. *De Appel. §. denique.*

XXIII. Acquirere potest Archidiacono vel simili Vacantium in Dioceses Ecclesiarum custodiam. C. 51. *De Appel.*

XXIV. Reddere potest aliquem inhabilem ad Dignitates Ecclesiasticas. C. 6. *De Cler. Conjug.*

h 2

XXV. Effi-

XXV. Efficere potest, ut Collatio & Præsentatio ad solum Abbatem pertineant. C. 6. *De His, quæ sunt à Præl. sine cons. &c.*

XXVI. Antiqua Consuetudo ab Apostolica Sede confirmata efficere potest, ut, quod fit à majori & saniori parte Capituli, non valeat. C. 1. *De His, quæ sunt à Majori &c. in 2. Collect.*

XXVII. Antiqua Consuetudo alicui acquirere potest jus Regaliæ & Custodiæ in Ecclesiis & Monasteriis, quò Vacationis fructus percipiat. C. 13. *De Elect. in VI.*

XXVIII. Ex Consuetudine possunt Archiepiscopi in Suffraganeorum suorum Diocesium Officiales constituere pro futuris Appellationum Causis. C. 1. *De Offic. Ordin. in VI.*

XXIX. Canonicis vi Consuetudinis licebat cessationem à Divinis in Ecclesiâ inducere. C. 2. *de Offic. Ord. in VI.*

XXX. Consuetudinis vi licet Archiepiscopo Causas cognoscere, vel cognoscendas committere alibi, quam in Locis sibi à Jure Communi commissis, 1. extrâ propriam Civitatem, 2. Diocesim, 3. Dioceses, in quibus appellatum est, 4. Loca, in quibus Causæ consistunt. C. 5. *De Offic. Ord. in VI.*

XXXI. Consuetudo introducere potest, ut Vacationis fructus pertineant ad Ecclesiarum Vacantium Collatores, Præsentatores, vel Custodes. C. 9. *Eod. Tit. & loco.*

REGULA II.

Non aliis in Casibus prohibet Canon particulares Consuetudines non malas, quam in istis.

I. In Divinis Officiis & Cantu Publico; standum est enim modo in Ecclesiâ Metropolitanâ servari solito. C. 11. *Dist. XII.* Non est in usu saltem in Galliâ.

II. In adhibendo pfallendi ordine; unus enim & idem tenendus est in Matutinis vel Vespertinis Officiis, nec diversæ, nec privatæ, nec Monasteriorum Consuetudines cum Ecclesiasticâ Regulâ permisceri permittebantur. C. 14. *eod. Dist.*

Notâ circa hos Canones, Primum expressè subjicere Monachos Ecclesiæ Metropolitanæ Disciplinæ quoad Officia Publica: Secundum verò insinuare privatas circa Officia Consuetudines Monachos tunc habuisse, sed id vel de Officiis Privatis intelligendum; vel si de Publicis, correctum esse à Primo, posito quòd Braccharensis Ecclesiæ Toletanæ subiceretur tanquam Primati; nam BRACCHARENSE CONCILIUM, à quo desumitur Secundum, præcessit TOLETANUM XI. è quo educitur Primum; ideòque potuit ab isto corrigi; vel aliam fuisse Ecclesiæ Braccharensis Disciplinam, quam Ecclesiæ Toletanæ: istudque probabilius, cum CONCILIUM TOLETANUM fuerit Provinciale, ideòque locus non fuerit derogationi.

III. Quoad Jura Episcopo à Parochis persolvenda communis omnibus Diocesis Ecclesiis Consuetudo est servanda. C. 1. *CAUS. X. QUÆST. III.*

IV. In ordinandis Episcopis antiquus mos servandus. C. 20. *CAUS. XI. QUÆST. I.*

V. In attribuendis Novo Beneficio prærogativis, non alias licet sequi Consuetudines, quam Vicinarum Ecclesiarum ejusdem Regni. C. 6. *de Consuet.*

VI. In Electionibus aliisque similibus, Generalis alicujus Regionis Consuetudo cuius Particulari est præferenda in eadem Regione. C. 31. *De Elect. in quo hujusmodi Consuetudo præfertur Juri Communi, quod majus est quavis privatâ Consuetudine.*

VII. In Juramento à Suffraganeis Metropolitanò præstando, Generalis aliarum omnium Consuetudo alicujus Particulari præferenda est. C. 13. *De Major & Obed.*

VIII. Quoties Canon privatam præcipit servari Consuetudinem, qualis est unius Prælati erga aliquos in Districtu suo sitos, huic contrarios eo ipso servari prohibet, illius gratiâ, cui præjudicant. C. ult. *De Offic. Archid.*

IX. Circâ quantitatem portionis Mortuariis Curato debita, Regionis Consuetudo servanda est, nec licet sequi minus vel magis benignam, nisi consentiente eo, cujus interest. C. 9. *De Sepult.*

X. In moderandis juribus Episcopo debitis circâ Ecclesias, ad ejus jurisdictionem noviter translatas, Vicinarum Consuetudo est servanda, ideòque alia rejicienda. C. 22. *De Consib. &c.*

XI. Circâ celebrationem Fæstorum & Jejunii observationem. C. 2. *De Observ. Fejum.*

XII. Ecclesia suffraganea debet tenere & servare quod Beati Petri Sedem vel Metropolim suam sequi viderit & docere. C. 5. *De Sponsa duor.*

§. III.

Quid non possit Consuetudo?

REGULA.

Non alia circâ hunc §. in Canone expressè habentur, quam ista.

I. Consuetudo justificare nequit Simoniam Jure Divino prohibitam, nec etiam quam Jus Ecclesiasticum vetat, si contra eam reclamet Ecclesiâ. C. 15. *CAUS. I. QUÆST. III.*

II. Consuetudo efficere non potest, ut in Causis Ecclesiasticis Dictum Populi pro Sententiâ teneatur. C. 3. *De consuet.*

III. Efficere non potest, ut Sententiâ à non suo Judice lata valeat. *ibid.*

IV. Operari non potest, ut quæ Jure Divino sunt Ordinis Episcopalis, à Presbytero fieri valeant. C. 4. *De consuet.*

V. Non potest minuere peccata, quæ tantò graviora sunt, quantò infelicem animam diutius decinent obligatam. C. 4. *in Parte decisa C. 11. Eod. Tit. C. 8. 9. De Simon.*

VI. Non potest efficere, ut licita sit Prælatorum translatio sine Superioris licentiâ. C. 7. *de Consuet.*

VII. Consuetudine quantumvis vetustâ non potest effici, ut pretium Temporale licitè exigatur pro re Spirituali, quales sunt Ingressus in Religionem, Beneficiorum Collatio, Prælatorum institutio, seu intronatio, Sepultura, Chrisma, Oleum Sanctum, Benedictio Nubentium, aliæ Sacramenta, Missio in possessionem, Canonicorum Receptio. C. 8. 9. 42. *De Simon. C. 16. 21. 36. 39. 44. Eod. Tit.*

VIII. Consuetudine Laicis acquiri non potest jus Episcopum eligendi, idque, quia contra id reclamant Ecclesiâ. C. *Ad Audientiam in 1. Collect. De Consuet. C. 56. De Elect.*

IX. Non poterat aliâ Consuetudo efficere, ut Clericus coràm Judice Laico pro crimine validè conveniretur, idque, quia contra Ecclesiâ reclamabat. Nunc potest, quia jamdiù desit Ecclesiâ reclamare, saltem in Galliâ. C. 8. *De Judiciis.*

X. Inferiorem à correctione Superioris eximere non potest Consuetudo. C. 13. *De Offic. Jud. Ord.*

XI. Efficere non potest, ut non Professus in Priorem eligi valeat. C. 27. *de Elect.*

XII. Archiepiscopus non potest, vi Consuetudinis, acquirere jus utendi Pallio extrâ Provinciam suam.

XIII. Non potest derogare acquisito libertatis Privilegio, nisi duret tempore ad illam derogationem necessario, nempe ad minus 40. ann. secundum Canones. C. 8. *de Caus. Poss. in integrâ.*

XIV. Impedire nequit Consuetudo, ne qui Theologiam docent, quamdiù docuerint, & qui student per quinquennium, Beneficiorum proventus percipere possint. C. *Ult. De Magist.*

XV. Efficere non potest, ut liceat Clericis esse vel Publicis Aleatoribus, vel Manifestis Usurariis. C. 11. *De Excess. Præl.*

XVI. Consuetudo, etsi Generalis, efficere nequit, ut liceat eidem duas Præbendas habere. C. 9. *De Conc. Præb.*

XVII. Non poterat aliâ Clericum à Juramento Ca-

hominia

lumnæ eximere; sed jamdiu tam Laicam quam Clericam ab eodem eximit. C. 3. *De Fide Jussoribus.*

XVIII. Monachos, Monialesve à ferendo habitu Monachali liberare non potest. C. 2. *De Testam.*

XIX. Bigamus Clericalia Privilegia comparare non potest. C. unico *De Bigam. in VI.*

XX. Consuetudine introduci nequit, ut Capitulum Regulare visitare Episcopus solus teneatur. C. 1. *De Offi. Ord. EXTRAVAG. COMMUNI.*

S. IV.

An Facta ex Consuetudine malâ abrogentur cum ipsa.

REGULA I.

Facta vi malæ Consuetudinis non semper abrogantur cum ipsâ, si sit tantum mala ex eo, quod Juri Positivo sit opposita.

Infertur ex C. 7. *De Consuet.* ubi hujusmodi Consuetudo abrogatur, sed Facta vi illius non reformantur; & ex C. 27. *De Elect.* ubi de abrogatâ longâ Consuetudine, quâ, Qui non professi Ecclesias Regulares possidebant, obligantur profiteri, vel dictas Ecclesias dimittere. Idem habet in C. 3. *De Elect. in 5. Compil.* Unde patet, quod receptio valebat, sed eâ lege, quod Recepti profiterentur.

REGULA II.

Non aliis abrogatur viis Consuetudo, quàm istis.

I. Si ipsi expressè Legislator deroget vel ipsius Superior. C. 1. *De Constitut.* & C. 10. *De Rescript. in VI. C. 4. De Consuet.* in VI.

II. Si 40. annis abstineatur ab actibus, quibus stabilita est. C. 20. *De Decim.* Nam Decima Personalis non desit nisi cessatione actuum, quibus fuerat introducta, & statuta: Idem dic de omnibus Consuetudinibus, quæ consistunt in aliquo faciendo.

III. Si per 40. annos contrarii fiant illis actus, quibus statuta est. C. 2. *De Observ.* Nam Consuetudo celebrandi Festum S. Bartholomæi non est statuta nisi actibus contrariis iis, quibus opposita stabilita fuerat: idem dic de aliis similibus.

IV. Si iis, quibus favet, ipsi renuncient. C. 25. in quo probatur valere adhuc Consuetudinem ex eo, quod illi, quorum intererat, non renunciarent, præterea necessarius est istorum saltem tacitus consensus, hoc autem consensu fit abrenunciatio, de qua hic Sermo. Ad finem perducti eorum, quæ dicenda erant circa Consuetudinem, monendum duximus, quod inter Collectiones ad instar Decretalium compositas duæ sunt, in quibus nullus est Titulus de Consuetudine, nempe illa, quæ Clementinas continet, & ea quæ constat ex Extravagantibus Joannis XXII.

CAPUT III.

Regula extracta ex Methodo Generali compositâ à Patrono Causarum in Curia Parisiensi, & in lucem editâ Parisiis anno 1666. Ad intelligentiam Consuetudinum Gallie, & accommodatæ Juri Canonico tam Communi, quàm Particulari.

Regulæ hujusmodi numero quindecim ita ad Juri Canonici interpretationem conferre visæ sunt, ut eas Prolegomenis hujus Juris, mutatis mutandis, inferendas duxerimus, ne quid iis desit, quod ad illius Studium expecti possit. Sed prius notandum, inter illas Regulæ extare quasdam, quæ Juri, sive Communi sive Privato, congruunt, quia respiciunt Legem sive Jus generatim consideratum; hæc enim Jus & Lex idem significant: ejus generis sunt Reg. I. II. VII. VIII. IX. X. XIV. Aliæ verò conveniunt Juri Particulari, quia

Tom. I.

pertinent ad Jus speciatim sumptum, sive limitatum ad certa Loca & Personas. Huc spectant Cæterarum pleræque: Utrumque Regularum genus ex Jure Romano desumptum est, quod omnibus Nationibus commune fuit, aut ex illius Interpretibus, aut ex Expositoribus Consuetudinum Gallicanarum: id colligitur ex allatis ad Regulas probandas testimoniis.

Observandum etiam, quod sicut Jus Consuetudinarium Provinciarum & Civitatum Gallie per plura sæcula fuit ad Posterios vivâ voce transmissum, & postea scriptum, ita & Jus Ecclesiasticum Provinciarum & Dioceseon, nec non Capitulorum, & Monasteriorum; undè nonnulla Statuta vel Constitutiones ipsorum etiam nunc Usus & Consuetudines nuncupantur: item sicut Consuetudines cujusque Provinciae vel Civitatis sunt illarum Jus Privatum, ita & Statuta vel Consuetudines cujusque Capituli, vel Monasterii sunt illorum Jus Particulare.

REGULA I.

Consuetudines per ipsasmet explicandæ.

Autor non loquitur de Corpore Consuetudinum, dicto *Magnum* aut *Generale Consuetudinarium*, sed de singulis Consuetudinibus, ex quibus Corpus hoc coalescit, & quarum Articuli sese invicem explicant: hoc autem convenit Juri Ecclesiastico Communi, quod in Corpore Juris continetur. Canones, quibus constat, sese mutuo illustrant, sunt veluti Articuli ejusdem, Constitutionis; omnes siquidem emanant ex eadem autoritate, Prælatique singuli, ex quibus illa extitit, considerandi sunt tamquam una eademque Persona, quæ suam melius novit voluntatem, quàm quivis alius, non est fidelior Interpres nostræ intentionis, quàm nos ipsi, Leges Legibus concordare promptum est. *L. non omnes C. De Inofficiosis dotibus.* Sæpè sæpius contingit, ut, quod in uno loco obscurum est, lucem accipiat in alio loco; quod præcedit explicat quod sequitur, & ab eodem explicatur; Non est novum, ut priores Leges ad posteriores trahantur. *L. Non est novum ff. De Legib. sed & posteriores Leges ad priores pertinent. L. sed & posteriores. ibid.* Mox adductæ Rationes ab Autore desumptæ sunt, & inter illas nulla est, quæ Juri Canonico, tum Communi tum Particulari, non congruat.

REGULA II.

Quando Consuetudines obscuræ sunt, aut ambiguae, & per seipsas explicari nequeunt, considerandum illarum motivum & intentio.

Voluntas Legis est illius præcipua Pars: cognoscitur autem 1. ex ipsius verbis, si clara fuerint. 2. ex illius ratione, quæ Legis anima est: Undè Regula 88. *De Reg. Jur. in VI. Certum est, quod is committit in Legem, qui Legis verba complectens, contra Legis nititur voluntatem, ex Legibus Romanis desumpta est: CANISIUS in illam Regulam Leges illas laudat, & refert.*

Porro Obscuritas differt ab Ambiguitate in eo, quod ista nascitur ex varietate sensuum, quos ipsa locutio patitur; illa verò aufert cognitionem sensus.

REGULA III.

Dispositionibus Consuetudinum nihil addendum.

Hoc convenit Statutis, quæ sunt stricti Juris ut Consuetudines; attendenda quæ scripta sunt, Statuta tantum disponunt, quantum loquuntur: Contractibus Statuta ut Consuetudines comparantur; ideoque Quod in illis non exprimitur, omisum de consilio intelligitur; *Quidquid astringendæ obligationis est, id nisi per litteram exprimat, omisum intelligendum est. L. Quidquid astringendæ. ff. De Verb. Obligar.* si aliquam extensionem patiantur, illa sumenda à Statutis præcedentibus, aut ab aliis Articulis eorundem Statutorum.

h 3

REGU-

REGULA IV.

Quemadmodum non licet, quidquam Consuetudinibus adjicere, ita nec aquum est, ne quid ex eis dematur, sive dispositio, sive verbum, sive syllaba.

Quod dictum de præcedenti, illam convenire Statutis, sicut & Consuetudinibus, idem dicendum de ista: Ratio, quæ prohibet, ne quid addatur, prohibet quoque, ne quid dematur: nihil in iis mutari potest, nisi adhibitâ eâ autoritate, quâ facta sunt; alias non possunt nec plus nec minus obligare.

REGULA V.

Consuetudo per non usum aboleri potest, sicut per usum introducta & stabilita est.

Præque Consuetudinum dispositiones vigerunt, antequam scriberentur, illarum utilitas, experimento nota, ad illas in Scriptis redigendas induxit: eadem voluntate, quâ introductus est usus, abrogari potest, juxta Regulam, *Per quasumque causas res nascitur, per easdem dissolvitur.* Dispositiones Consuetudinum sunt Leges, quas Subditi sibi imposuerunt, proprio commodo studentes, cui renunciare possunt, juxta Regulam, *Licitum est unicuique renunciare ei, quod in sui favorem introductum est.*

REGULA VI.

Consuetudines adè sunt stricti Juris, ut ipsarum dispositiones, etsi exorbitantes fuerint, & contra Jus Commune; servanda sint, quando in consuetudinem non abierunt.

Ratio Regulæ poscit, ut ista habeat locum in Statutis; sunt enim stricti Juris. Excipiendi Casus, in quibus hujusmodi dispositiones adversarentur Rationi Naturali: hæc enim prævalere debet civis Statuto; quemadmodum cuicumque Consuetudini: Cùm Ratio Naturalis idem sit, ac Lex Naturalis, quæ cùm superior sit omni Lege Humanâ, nulla ex illis est, quæ illi cedere non debeat, quotiescùmque illi adversatur. *Dist. IX. nota.*

Excipiendi quoque Casus, in quibus dispositiones hujusmodi non sunt præcisæ & formales: tunc enim reducenda sunt ad Jus Commune, à quo recesserunt in iis, quæ præcisâ habent. Ratio Civilis postulat, ut quod non expresse comprehenditur in dispositione exorbitanti, remaneat subiectum Juri Communi. Subjicitur Regulæ, quod in exceptione non continetur: Jus verò Commune habendum ut Regula, dispositio Consuetudinis ut exceptio istius Juris. *Videsis CANISIUM in Reg. 28. De Reg. Jur. in VI. Quæ à Jure Communi exorbitant, ad consequentiam non sunt trahenda; ubi observat, quod, cum Jus Commune sit favorabile, Statuta verò, Privilegia, aliaque Juris stricti, sint odiosa, ad illud, quantum fieri possit, interpretatione reducenda sunt, quæ in eis obscure exprimentur.*

REGULA VII.

Accuratè distinguendum, quod dicitur per modum limitationis & restrictionis ab eo, quod per modum demonstrationis secundum usum communem.

Hæc Regula locum sibi vindicare potest tam in Jure Communi contento in Corpore Juris, quam in Jure Particulari contento in Statutis; siquidem posito, quod alterutram dispositionem suam restringat ad certos Casus, illius extensio ad similes Casus non admittitur: è contrâ, si dispositio nullo modo restringatur,

Casus verò expressi afferantur per modum exempli, quod demonstratio vocatur, extensio ad similes Casus recipitur. Restrictio verò denotatur per particulas taxativas, *dumtaxat, solum, tantum, nisi,* aliaque similes exclusivas: ubicùmque autem non recurrunt hujusmodi particule, Casus expressi referuntur per modum demonstrationis. Restrictio, quandoque nascitur ex ipsâ rei naturâ, etenim si odiosa sit, ut pænæ, dispositio semper ad Casus expressos limitatur; cùm è contrâ, si res favorabilis fuerit, dispositio excurrit ultrâ Casus expressos, ad omnes scilicet similis generis vel speciei. Dispositionis Ratio expressa facit etiam, ut ad similes, in quibus ipsa ratio cadit, dispositio quoque extendatur.

REGULA VIII.

Ubi Consuetudo non distinguit, nec nos distinguere debemus.

Regula hæc cuique Juris speciei convenit; sensus illius est, quod standum sit dispositioni Juris, admittendæ talis qualis est, nec extendendæ ultrâ, quam ratio illius illam extendit, nec restringendæ citrà, quam eadem ratione restringatur. Distinctiones captiosæ rejiciendæ. Aliter sentiendum foret, si distinctio ab unâ Lege omiſsa, ab aliâ Lege suppleretur. Siquidem omnes Leges unum Corpus constituunt, & posterior restringere potest anteriorem, adjectis distinctionibus non expressis in anteriori.

REGULA IX.

Verba Consuetudinum explicanda sunt juxta propriam, naturalem, & ordinariam significationem, aut illorum usum, aut secundum mentem & intentionem ipsarum.

Nihil est in hæc Regulâ, quod cuique Juris speciei non conveniat. Sed Prima Pars Statutis magis congruit; sunt enim stricti Juris, idèque verba scrupulosius pensanda: idcirco laudata ab Autore auctoritates ad hujus Partis expositionem, de Statutis speciatim loquuntur.

Cùm Verba plures diversasque significationes habere possint, juxta qualitatem Argumenti sive Materie, juxta Locorum usum, Temporumque mores, interpretanda sunt, idèque diligentissimè inspiciendæ sunt omnes singulæ hæc circumstantiæ, ut in illorum interpretatione omnis error vitetur. Jus Commune verba accipit in sensu communi. *Cap. 7. De Sponsal. & Matrim. eoque modo fraudibus obviat.* Ex hæc Observatione excipiendi sunt Contractus, ubi verba obscura interpretanda sunt in detrimentum Partis, iis utentis, jubente *R. 57. in VI. ut contrâ eum, qui potuit Legem apertius dicere, interpretatio fiat.* Extant ibidem tres aliæ Regulæ, quæ eandem interpretationem verborum respiciunt, nimirum *R. 30. 45. & 49. Vide CANISIUM in 30. qui cum istâ, simul illas explicat.*

Tertia Pars supra exposita est in expositione Regulæ II.

REGULA X.

Exceptio firmat Regulam.

Convenit quoque hæc Regula civis Juris speciei: Ratio ipſius est, quod Legislator excipiendo nonnullos Casus, manifestat se velle, ut Lex servetur in singulis Casibus non exceptis: indè fit, ut exceptio non admittat exceptionem; quod enim in exceptione non comprehenditur, remanet, & includitur in Regulâ, attamen exceptio ad omnes Casus similes extenditur. *FAGNANUS in Cap. Officii. De Panit. & Remiss. n. 42.*

REGU-

REGULA XI.

Quando Dispositiones Consuetudinum Juri Communi conformes sunt, recipiunt omnes explicationes, limitationes, extensiones Juris Communis.

Locum sibi vindicat hæc Regula in Statutis, quando illorum dispositiones Juri Communi consentiunt; Ratio hujus Regulæ est, quod Dispositiones Juris Communis, ubicumque reperiantur, retinent naturam suam; ideòque licet sint in Statutis, quæ sunt stricti Juris, efficiunt, ut quod Juri Communi convenit, Statutis quoque congruere debeat in iis, quæ communia habent; cum Jure Communi; nec enim Statuta sunt Juris stricti, nisi in iis, quæ à Jure Communi exorbitant, in cæteris ejusdem conditionis sunt, ac Jus Commune.

REGULA XII.

Dispositiones Consuetudinum cessant roburque suum & auctoritatem amittunt, quando iisdem derogatur per Edicta & Ordinationes Regias: imò sine derogatione expressâ, quotiescumque Edicta Ordinationesve Regiae attinent ad Regulamentum Generale Justitiæ, administranda Disciplina, Politicæque Regni.

Quod hic dicitur de Consuetudinibus, convenit Statutis, quæ simili derogationi subjiciuntur: quod verò de Regno Franciæ, ad alia Regna extenditur: quod autem de Legibus Sæcularibus Universalibus quoad Dictionem Legislatoris Sæcularis, vim suam habet in Canonibus Generalibus sive Ecclesiæ Universalis, sive Ecclesiæ Particularis auctoritatem habentibus in Statutis; in istis derogatio expressâ requiritur, quia Statuta specialia sunt facta, quæ ignorari possunt à Condente Canones. *Cap. 1. De Constit. in VI.* Hinc quotiescumque CONCILIUM TRIDENTINUM derogare voluit Statutis, Clausulâ expressâ iis derogavit; aut æquipollente, Qualis est ea, quæ derogat his, quæ suis Dispositionibus adversantur *Cap. 1. Sess. XXIII. Cap. 12. Sess. XXIV. De Ref. Cap. 1. De Constit. in VI.* jam laudatum postulat derogationem expressâ; patet his verbis *nisi expressè caveatur in ipsâ*; sed Derogatio æquivalens quodammodo expressâ est, cum notum faciat, voluntatem Ecclesiæ esse adimendi vim, cuicumque Dispositioni contrariâ. Porro Ordinationes Regiæ, quæ statuere volunt Juris uniformitatem quoad nonnulla Capita in toto Regno, derogare solent cuicumque obstanti Dispositioni:

REGULÆ XIII. XIV. XV.

Prætermittendæ essent hæc tres Regulæ; quia, etsi Statutis accomodari possent, illarum applicatio satis naturalis seu genuina non foret, ac operis labor illius utilitatem excederet: Sed, cum circa illas nonnulla observanda sint, conveniens videtur, ut infra referantur prout jacent, id enim necessarium ad intelligentiam illorum, quæ de illis notanda sunt.

OBSERVATIO in REGULAM. XIII.

Juxta Regulam contentas in *DIST. XCV. XCVI.* & in *TIT. de Major & Obed.* circa subjectionem Inferiorum Superioribus suis, Statuta Ecclesiarum Collegiatarum, quæ imperfecta sunt, perficienda essent, reductione ad Statuta Ecclesiæ Cathedralis; & Statuta Cathedralium Ecclesiarum, similem defectum patientia, reductione ad Statuta Ecclesiæ Metropolitanæ: æquum siquidem est, ut Ecclesiæ Inferiores Superioribus conformentur. Hinc CONCILIUM AQUENSE celebratum *an. 1585. TIT. de Capitulis* iussit, ut Statuta Ecclesiarum Cathedralium totius Provinciæ redigerentur ad formam Statutorum Ecclesiæ Metropolitanæ. Hujus Decreti ratio: quod Ecclesiæ Suffraganeæ plerumque Fidem acceperunt ab Ecclesiâ Metropolitanâ, quæ cense-

tur aliarum Mater, proindeque conveniens est, ut ab eadem recipiant quoque Disciplinam. Quoad verò Capita, quibus provifum non est à Statutis Ecclesiæ Metropolitanæ, bonus ordo postulat, ut ea à Jure Communi hauriantur; quod comparatum cum Jure Particulari idem planè videtur, quod Fons ergâ Rivulos.

Hujus autem REGULÆ XIII. hæc sunt Verba: *Quando Consuetudo est imperfecta; & non continet omnes Dispositiones necessarias ad decidendas Quæstiones occurrentes, recurrendum est. 1. Ad Usus Provincia. 2. ad Ordinationes Regias. 3. ad Consuetudines Viciniores. 4. ad Mentem Generalem Consuetudinum Galliæ, & præsertim Consuetudinis Pariensis: postremò ad rationem Juris Romani.*

OBSERVATIO in REG. XIV. quæ sic se habet.

Dispositiones Consuetudinum sunt Personales, Reales, aut Mixtæ.

Statuta, ut & Consuetudines, esse possunt Personalialia, Realialia & Mixta. Personalialia sunt, quæ respiciunt obligationes seu Officia Personarum; Realialia sunt, quæ spectant Administrationem Canonum Ecclesiasticorum; Mixta, quæ comprehendunt Personas & res simul; sed plerumque Personalialia magis sunt, quàm Realialia, quia ad Officia Personarum præcipue attinent.

OBSERVATIO in XV. REGULAM. Hæc ferentem.

Dispositio Hominis cessare facit, Dispositionem Consuetudinis.

Hæc Regula respicit Dispositionem Bonorum Temporalium Sæcularium in quibusdam Contractibus præscriptam à Consuetudine, datâ tamen Contrahentibus facultate, aliam inter se faciendi, quibus Casibus Provisio Hominis prævalere debet, Provisio Consuetudinis.

Hinc patet, illam non convenire Statutis Ecclesiasticis, quorum non est præscribere modum disponendi de Bonis Temporalibus.

Præterea non contingit, quòd hujusmodi Statuta relinquunt Subditis facultatem plus minusve faciendi, quàm præcipiunt; ideòque, quoad illa, dici non potest, quòd provisio Hominis cessare faciat Provisionem Consuetudinis, sive Statuti.

TITULUS XII.

REGULÆ

Circâ Canones non servatos, quibus ab aliis discernuntur ostenditurque, illos non esse omnino inutiles.

Utilissimum Juris Canonici Studium non pauci negligunt, illud miserâ animi præoccupatione inutile existimantes: hunc in errorem labuntur varias ob causas. Vident, aut audiunt plurimos Canones hoc in Jure contentos non servari, sive quia nunquam recepti sunt, sive quia recepti in defuetudinem abierunt, putant Canones, qui non sunt in usu, ita cum aliis permixtos, ut sine maximò labore, cujus sunt re vel voluntate incapaces, discerni non valeant. Judicant memoratos Canones ad alia, ut ad id, propter quod conditi sunt, æque inutiles.

Ad avertendam ergò tantam à Jure Canonico injuriam, tria ad id necessaria præstanda suscipimus. 1. Palam faciemus unicâ Regulâ, Canonum non servatorum numerum longè minorem esse, aliorum numero, ideòque, non magis deferendum esse Juris Canonici Studium, ob quosdam non servatos Canones, quàm Legum Studium, ob nonnullas inobservatas Leges. 2. Paucis Regulis ostensuri sumus, Canones non servatos, ab aliis facile discerni posse.

h 4

3. Non-

3. Nonnullis aliis Regulis, prædictos Canones, ad alia, propter quæ non sunt conditi, nonnihil conferre monstrabimus.

Sed prius unâ aut alterâ Regulâ discutiemus, An omnes Canones non servati, sint abrogati; Quomodò abrogati Canones ab aliis non servatis, sed non abrogatis distinguantur. Denique An omnes Canones, qui non servari dicuntur, reverâ non servantur.

REGULA I.

Non omnis Canon non servatus, est abrogatus.

RATIO sunt plurimi Canones non servati, reclamante Ecclesiâ, cujus tamen consensus tacitus vel expressus ad Canonum abrogationem requiritur. Tales sunt, qui Clericis omnibus præcipiunt, ut togam talarem gestent; ne calamistrati incedant; ut ab alearum lusu, tabernis, popinisque nec non venatione abstineant; nam pluribus in Locis Canones hi non servantur, sed Episcopi reclamant, dum Canones hos suis Constitutionibus in dies innovant. *TIT. de Simon. quoad plura Capita, TIT. de Usuris*, quoad pœnas Fœneratorum, confirmant Regulam non minus, quàm *TIT. de Clero Venatore, & TIT. de Vit. & Honest.*

Sunt etiam Canones nonnulli inter non servatos, qui ab usu contrario, etiamsi taceret Ecclesia, non possent aboleri; Tales sunt, qui res à Jure Divino vel præceptas, vel prohibitas, jubent, vel vetant: hinc Canones præcipientes, ut Horæ Canonicae devotè, studiosè, & attentè recitentur; ut Sacramenta dignè administrantur & suscipiantur; ut Missa sine voluntariâ mentis divagatione audiatur; ut diebus Dominicis, aliisque Festivis à quibuscumque malis operibus abstinere, nunquam abrogari poterunt.

REGULA II.

Ut Canon per usum contrarium abrogetur, non alia requiruntur, quàm ista.

I. Ut sit rationabilis, id est Bonis Moribus non adverfetur. *Cult. de Consuet.*

II. Ut sit legitime præscriptus, id est ut à 40. annis vigeat, non reclamante Ecclesiâ. *ibid.*

III. Ut sit communis, id est Ecclesiæ Universæ; si de abrogatione Universali agatur: vel totius Nationis; si de abrogatione factâ in Ecclesiâ Nationali; vel totius Provinciæ vel Diœcesis; si de abrogatione factâ in Provincia vel in Diœcesi aliquâ sermo sit. *ibid.*

REGULA III.

Canon non servatus differt ab abrogato in eo, quòd posterior non liget, prior verò liget.

Patet ex dictis. Nam per Canonem non servatum intelligimus illum, qui præterit reclamante Ecclesiâ, cujus autoritas ad abrogationem requiritur.

REGULA IV.

Non omnis Canon abrogatus, quoad aliquid, est quoad cætera abrogatus.

RATIO: sunt, qui subsistunt, quoad substantiam, licet abrogentur, quoad pœnas. Inter Canones de Usuris, vel de Simonia, plurimi sunt abrogati, quoad pœnas.

REGULA UNICA.

CIRCA CANONUM NON SERVATORUM NUMERUM.

Canonum non servatorum numerus cum servatorum, vel servandorum numero comparatus minimus est.

Patet Regula ex eo, quòd longè major sit numerus Canonum, qui ad Dogma vel ad Mores pertinent, quàm eorum, qui ad Disciplinam: nam Canones, quibus constat Jus Canonicum, vel è Conciliis, vel è Pontificum Decretalibus, vel è Patrum Scriptis desumpti

sunt: atqui Conciliorum præcipui fines sunt Fidei Quæstionum Definitio, & Morum Reformatio; Pontifices sæpius consulti sunt circa Fidem & Mores, quàm circa Disciplinam; Patres parùm curarunt de Disciplinâ, multùm de Fide & Moribus: plures ergò sunt Canones, qui respiciunt Fidem & Mores, quàm qui Disciplinam tangant.

Primi autem generis Canones servantur, aut servandi sunt. Secundi verò generis Canonum longè plures servantur, quàm non servantur.

Quod postremum ostendere licet duplici exemplo. Alterum desumitur è VI. *Decretalium* in Galliâ non recepto, cujus plures Canones ad Disciplinam spectantes servantur in Galliâ, quàm non servantur: nam nihil magis ad Disciplinam, aliave ad Judicia pertinentia spectat, quàm ordo in Judiciis servandus, & plures sunt Canones, qui illum respiciunt, cum totus Secundus Liber, & bona Pars Primi & Quinti nonnihil ad id infumantur: hæc autem in Galliâ servantur, ut Gallicanum Judiciorum ordinem cum *Bonifaciano* conferenti clarè patebit: hoc etiam à Viro Utriusque Juris peritissimo observatum est, & ab illo hanc observationem non ita pridem accepimus. Alterum deducitur è CONCILIO TRIDENTINO in Galliâ similiter non recepto, cujus Pars major Decretorum, quæ spectant ad Disciplinam, in Galliâ servatur, cum pleraque de Reformatione Decreta, quæ ut plurimum Disciplinam respiciunt, ibidem servantur.

Jam tempus adest colligendi Regulas, quibus non servati Canones ab aliis fecernantur; sed cum plurima & varia sint ea, circa quæ versantur colligendæ Regulae, divisionis præsidio egemus, ut confusionem vitemus; Argumentum ergò istud dividemus in Personas, Res, Loca, & Judicia. Personas verò subdividemus in Personas Ecclesiasticas, Regulares & Laicas; Personas Ecclesiasticas in Pontificem, Archiepiscopum, Episcopum, Archidiaconum, similesque Prælatos, & Inferiores Clericos; Res autem in Spirituales & Temporales; Spirituales in Officia Divina, Missam, Sacramenta, & Beneficia. Colligendas Regulas ad Gallorum usum, quandòque restringemus, quia aliorum mores nobis ignoti sunt, nec perquirere vacat. Hujus autem Collectionis exemplum unicum hic afferemus, cætera daturi, Deo juvante, loco congruentiori.

REGULÆ.

Circâ Canones non servatos, qui Summum Pontificem tangunt.

REGULA I.

Non servantur in Galliâ Canones, qui absolutam in Ecclesiâ Potestatem Summo Pontifici tribuunt.

Hinc non servantur Canones, qui quoquo modo indicant

I. Possè illum Causas, quaslibet Ecclesiasticas ad se evocare sibi referre.

II. Possè Beneficiorum, quæ voluerit, dispositionem sibi vindicare.

III. Possè unire, vel suppressere, aliudve simile facere, in *Formâ Gratiôsâ*, id est non Deputatis in Locis, Commissariis, qui de necessitate, vel utilitate inquirent, audiantque eos, quorum interest.

IV. Possè alienis Subditis Litteras Dimissorias dare ad Ordines, vel sine Dimissoriis ad Ordines illos admittere.

V. Possè alienos Subditos ab Ordinariis Jurisdictione pro voluntate suâ eximere.

REGULA II.

Non servantur in Galliâ Canones, qui nonnullis in Casibus Summo Pontifici in Principum Temporalia tribuunt Potestatem,

Hinc

Hinc non servantur in Galliâ Canones, qui quocumque modo docent illum posse

I. Principes deponere.

II. Principis à Sede depositi Ditionem alii, cui voluerit, dare.

III. Principi ad gubernandum inhabili Coadjutorem vel Tutorem aut Curatorem dare.

Quam plures hinc aliæ circa Summum Pontificem adduci possent, quæ cum Regulis circa cætera præfata Divisionis Membra congruentius collocabuntur. Nunc præstat plurimis exemplis ostendere, quibus usibus Canones abrogati infervere possint.

REGULA GENERALIS.

CIRCA CANONUM ABROGATORUM UTILITATEM.

Nullus est Canon abrogatus, qui ad Theoriam, vel Praxim Juris Canonici, vel ad Historiam Ecclesiasticam non inferviat.

C. 2. §. *Paulatim*. DIST. VII. *Necessaria dicitur Legum abolarum notitia.*

Patet Regula frequentibus exemplis, quoad Primam & Secundam Partem: nam quoad Tertiam non eget probatione: manifestum est enim, Canones abrogatos docere saltem quid tali Tempore fieret, vel non fieret, in tali, vel tali loco, à talibus vel aliis Personis; sed antequam exempla afferamus.

Notandum est I. hic dici Canones ad Theoriam infervere, quando docent quæ ad illius, vel istius, in se spectati Jurisdictionem vel Potestatem pertinent; ad Praxim verò, quando quid faciendum sit, docent.

2. Canones ad Praxim utiles, ad Theoriam posse conferre.

Ad Exempla veniamus.

Vel Canones abrogati respiciunt modum agendæ Pœnitentiæ, eamve redimendi, & utiles sunt ad Praxim; docent enim quanta sit peccati gravitas; quæ ratio habenda sit hujus gravitatis in Pœnitentiâ imponendâ: quo Jure certis in casibus probentur Pœnitentes antè Absolutionem, iisque Eucharistia denegetur, donec satisfacere coperint.

Vel Canones abrogati tangunt communem Ordinariorum Jurisdictionem per Exemptiones Romanas diminutam; & ita ad Theoriam pertinent: monstrant etenim, quæ Ordinarii in se considerati possint; quæ sit potestas illorum, qui has Exemptiones concesserunt.

Vel spectant ad Exemptiones usu contrario aliæ viâ abolitas; & isti ad Theoriam etiam inferviunt, cum ostendant, quid possint illarum Exemptionum Auctores; quid valeat Consuetudo.

Vel respiciunt non servatas ad Episcopatus, Abbatiasve Electiones; & isti ad Praxim etiam utiles sunt, quia hujusmodi Electiones adhuc vigent quibusdam in Locis, & quæ præscribuntur circa istas, servari possunt & debent in Monasteriis, in quibus Electione fiunt Superiores, nec non in Electione imperfectâ, quâ in Capitulis Beneficia dantur, quæque Collatio dicitur, quibusdam tantum exceptis, quæ faciendâ à Superiore Electionum confirmationem tangunt.

Vel eligendi modos tam per Inspirationem, quam per Compromissum spectant; & hi sua non carent utilitate; nam præterquam quod Papa eligi possit per Adorationem, qui eligendi modus respondet eligendi modo per Inspirationem, & Electio per Compromissum adhuc fieri possit in Locis, in quibus Concilium Tridentinum receptum non est, Quæ de Compromisso ad eligendum dicuntur, ad alia Compromissorum genera extendere licet.

Vel Canones abrogati loquuntur de Beneficiorum Reservationibus; & isti ad Praxim quoque conferunt; nam præterquam quod Reservatio Beneficiorum Vacantium in Curia, est adhuc in usu; Regalia est quædam Reservatio Beneficiorum, quæ vacant, dum Ecclesia Episcopalis viduata est Pastore.

Vel agunt de Mandatis ad Vacatura, sive de Gratiis Expectativis, & isti ad Praxim etiam conducunt; nam Graduatorum & Nominatorum ab Universitatibus Privilegia, Indulta à Rege concessa pro Juramento Fidelitatis ab Episcopo præfatio; vel pro fausto ad Coronam adventu, Indulta quoque Magistratibus Supremæ Parisiensis Curia data, sunt quædam Gratia Expectativa iis, quas alias Papa dabant, confimiles, ut patet ex Comparatione inter utraque initâ & *Traſſatui de Rescriptis* adjunctâ.

Vel Ecclesiæ Bonorum in partes Quatuor Divisionem, quarum una Episcopo, alia Clero, alia Ecclesiarum reparationi, alia Pauperibus dabatur; & isti ad Praxim multum juvant; docent enim de Beneficiorum redditibus, cum sint eorum Bonorum Pars Beneficium Possessori administranda concredita, simile quid faciendum.

Vel tractant de Dispositionibus ad Sacramenta aliis requisitis, nunc autem non necessariis, vel de similibus rebus; & isti ad Theoriam utiles sunt, monstrant siquidem, quod possit Ecclesia nonnulla Sacramentis æccidentia constituere & abrogare; ad Praxim etiam conferunt, excitant etenim ad debitum Sacramentis honorem majori cum devotione exhibendum.

Vel spectant abolitas quasdam Dignitates, seu Ordines Ecclesiasticos, qualis erat Corepiscopatus; & hi ad Praxim non sunt inutiles, quædam enim Corepiscoporum jura ad Decanos Rurales transferunt: ad Theoriam quoque conferunt, cum hinc pateat, quid circa Ordines Minores Corepiscopatus multò Inferiores, Ecclesia facere possit.

Vel tangunt amissa jura, vel munia ad Archidiaconatum similese Dignitates aliis pertinentia, quales erant omnium Ecclesiæ alicujus Bonorum Administratio, eorumque ex Episcopi Conscientiâ vel Mandato distributio, ad Archidiaconum pertinentes; & hi partim ad Theoriam, partim ad Praxim faciunt; ad Theoriam, docent siquidem, quid possit Ecclesia circa Dignitates ab ipsâ institutas; ad Praxim, quæ enim circa hujusmodi Administrationem statuta erant, Capitulorum Administratoribus accommodari possunt.

Vel Jurisdictionem, quæ alicubi ad Judicem Secularem pertinet, Judici Ecclesiastico tribuunt; & hi ad Praxim conferunt, si Judex Ecclesiasticus eos interpretetur de curâ à se adhibendâ, ut id, de quo agitur, fiat ab his, ad quos spectat. Idem quoque si, ut par est, agnoscat, Judicis Ecclesiastici culpæ non nihil imputandam esse Jurisdictionis Ecclesiasticæ Diminutionem.

Vel respiciunt cautelâs olim adhibitas ad injustas Lites impediendas; qualis erat Juramentum calumniæ, quo in exordio litis Actor jurabat, se non vexandi animo litem movere, Reus verò se putare, bonâ uti instantiâ; & isti Canones ad Praxim juvant. Hinc enim discitur, quàm Lites injustæ abhorrendæ sint, & quo studio illas Judices à suo Tribunali longius evocare debeant.

Vel pertinent ad Ordinationem, Conjugiumve Servorum, & Utrique ad Praxim conducunt, nam Primi docent non Ordinandum Rebus Temporalibus, vitivise Implicatum, Isti verò monstrant, quid circa Filiorum-familias Matrimonium, faciendum sit.

Vel Servos, quoad Bonorum Possessionem, Dispositionemve, eorumque ergâ Dominos subjectionem respiciunt; & isti Praxi inferviunt, quia extendi possunt ad Monachos, qui Servis sunt similes quoad Bonorum Possessionem, vel Dispositionem, & subjectionem ergâ Superiores.

Vel tangunt Purgationem Vulgarem alicubi aliquandò permissam; & isti docent, quantum in necessitate à Deo sperandum, cum tantum creditum sit, ab eo sperandum extrâ necessitatem; ideòque Praxi utiles sunt: ad Theoriam quoque conferre possunt. Hinc enim etiam discitur Ecclesias Particulares errare posse: cum à talibus prædicta Purgatio probata fuerit.

Vel respiciunt usum abolitum, quo se purgare Coactus, tenebatur secum habere certum Aliorum paris

condi-

conditionis numerum, qui jurarent, se credere, eum, qui se pargabat, verum jurare, quique Compurgatores dicebantur; & Isti Canones, ut abrogati considerati, Praxi etiam inserviunt; docent enim locum non dandum perjuro: Si verò, prout vignerunt, spectentur: ad Praxim quoque conferunt: cum hinc pateat quantum juramento tribuendum, ac etiam quæ cura adhibenda, ut Ministro Sacro fama laesa restituatur, vel si restitui nequeat, ab Officio amoveatur.

Vel eximunt Clericos à Jurisdictione Seculari; & movent illos ad vitam Statui congruentem agendam, ipsi in memoriam revocantes, se per corruptos mores Privilegium hoc similiae perdidisse, quæ sua ad Divinum Cultum Consecratio, vitaque huic Consecrationi conformis sibi comparaverant, ac proinde bonis moribus maximè profunt.

Vel prohibent Laïcis Beneficiorum Collationem, & isti ad Theoriam & ad Praxim pertinent: Ad Theoriam, docent enim quid possit Ecclesia circa hujusmodi Res, cum olim vetuerit omnibus Laïcis quod postea quibusdam permisit: Ad Praxim, demonstrant enim Beneficiorum Collationem esse rem admodum periculosam, atque exigentem in eo, ad quem pertinet, animi dotes, quæ in Laïcis rarè reperiuntur.

Vel declarant Laïcos inhabiles ad possidendas Res Spirituales; quale est Jus Decimarum: & Isti Theoriz & Praxi inserviunt, monstrant siquidem 1. hanc inhabilitatem esse ex Jure Ecclesiastico; ideòque Ecclesiam ab illa dispensare posse. 2. Jura Spiritualia ita esse Muniis Spiritualibus annexa, ut sine maximâ causâ, qualis fuit, quæ Jus Decimarum in quosdam Laïcos transfudit, separari nequeant.

Vel respiciunt plurimos Censurarum Casus ferendæ Sententiæ, ac nonnullos latæ Sententiæ, necnon quosdam illarum effectus; Isti autem ad Praxim conducunt. Casus enim illi Censurarum obsoleti peccata, quæ tangunt, abhorre faciant, aboliti verò Censurarum effectus, quo loco ex veterum judicio habendæ sint Censuræ, quàmque maximè timendæ sint ostendunt: vel abolita Censurarum genera spectant, & hi ad Theoriam utiles, cum Ecclesiæ potestatem circa Censuras demonstrant.

Vel tangunt illam Jurisdictionis proprietatem in eo sitam, quòd Causæ continentia non dividatur, ita ut qui de Principali vel Proprietate cognoscit, de Accessorio vel de Possessorio etiam cognoscat; nam Isti profunt ad Theoriam: ostendunt siquidem non esse usquequaque verum, eum, qui potest majus, posse & minus, ideòque malè concludi, Ecclesiam in Temporalia potestatem habere ex eo, quòd in Spiritualia habeat.

Vel respiciunt Causas Temporales, quæ olim pertinebant ad Ecclesiam ratione juramenti vel peccati inde vel aliunde sequentis; & Isti, prout vignerunt, considerati, ad Praxim utiles sunt: hinc enim discitur Spirituales Res Temporalibus more Majorum esse præferendas, si is, cui hinc damnum inferitur, consentiat; monstrant siquidem Majores nostros, ut par erat, existimasse Juramentum, vel peccatum, quæ sunt Res Spirituales, majus quidem esse rebus Temporalibus, quibus jungebantur; ideòque Temporalia ad se trahere debere, ipsomet, cujus intererat, consentiente; spectati verò ut aboliti, ad Praxim quoque conducunt; nam justa illorum abrogatio docet, jure suo temporali invitum neminem spoliandum, ut rebus Spiritualibus honos indebitus deferatur.

Vel determinant penas à Judice Ecclesiastico imponendas, quæ in Galliâ sunt arbitrariæ, nisi Ordinationibus Regiis vel Episcoporum Statutis determinentur; & Isti Theoriz & Praxi inserviunt: Theoriz, ostendunt enim quæ sit Culparum malitia; Praxi, indicant enim quæ sit poena imponenda, habitâ tantum ratione peccati.

Vel spectant modum tuendi Jurisdictionem Ecclesiasticam, nempe per Censuras Ecclesiasticas, qui in Galliâ non recipitur in Casibus, qui Temporales judican-

tur; & Isti Theoriz Praxique utiles sunt; docent enim quibus armis defendi debeant, quæ verè Spiritualia sunt, quibusque e contra illa, quæ verè Temporalia.

Vel præcipiunt Decimas tam Personales, quàm Reales, tamquam Jure Divino debitas, solvi: & Isti ad Praxim juvant, monstrant etenim Dei Ministros saltem sustentandos ab his, quibus Spiritualia administrant.

Vel obligant Clericos, ut alios Clericos in quacumque Causâ coram proprio eorum Episcopo conveniant, vel de istius consilio coram aliis; & Isti ad Praxim non inutiles; docent enim illos, ut Episcopum pro Arbitro eligant, aliumve de istius consilio.

Vel Judici Ecclesiastico dant potestatem supplendi negligentiam, malitiamve Judicis Secularis; & Isti Praxi famulantur, cum Judicem Secularem doceant quid mereatur, quando cuique jus suum non reddit, vel negligenter justitiam administrat, scijcet ut priveatur hæc vice saltem, jure cognoscendi, à Principe, à quo illud accepit.

Vel plectunt Excommunicatione actiones, quæ nunc sunt prorsus impunitæ; nec Isti hinc quoad Mores infructuosi, excitant enim Prælatorum Zelum ad actiones illas, quibus dignæ sunt, pœnis puniendas, deplorandamque præteritam negligentiam, vel suam, vel aliorum.

Vel loquuntur de Abbatum Potestate circa Priorum destitutionem, quamdiù Prioratus perpetui non fuerunt; & Isti ad Theoriam non sunt inutiles, docent enim quid possit Ecclesia circa Officia Regularia, cum ipsius autoritate facta sint perpetua, quæ ad nutum erant.

Vel Parentibus dant impuberes Filios Monasteriis in perpetuum tradendi Potestatem; & Isti Theoriz inserviunt; docent siquidem, Ecclesiam posse Principe consentiente Patriam Potestatem augere vel minuere. Ad Praxim etiam conferunt; ostendunt etenim, quòd, si Principi & Ecclesiæ simul placet, irrita sunt omnino Filiorum Matrimonia sine Parentum consensu contracta.

Vel docent Monachos Professos Successionis Temporalis capaces, Monachisque hujusmodi Monasteria succedere posse; & Isti Theoriz & Praxi non inutiles: monstrant siquidem, Supremos rerum Temporalium Dominos Principes, quibus consentientibus hi Canones viguere, succedendi jus dare ac auferre posse, quibus volunt; ex iis tamen, quibus propter emissum paupertatis Votum Bonorum Temporalium possessio, ab Ecclesiâ vice Dei, non prohibetur.

Vel respiciunt Prærogativas, quæ Episcopis à CONSTANTINO concessæ, & à CAROLO MAGNO confirmatæ sunt, quales quòd Pars etiam Laïca, in quocumque statu Causa sit, ab aliâ etsi invitâ coram Episcopo trahi possit; quòd Sententia ab Episcopo quacumque in Causâ prolata retractari non debeat; quòd Episcopi unius Testimonium sufficiat, non obstante axiomate, Testis unus, Testis nullus; Hi enim Canones ad Praxim conferunt, cum Episcopos doceant se tantæ prohibitatis, justitiæ, fideique esse debere, ut iis Prærogativis gaudere mereantur.

Vel pertinent ad veterem Jejuniorum severitatem, à quibus nostra, velut à Corpore Umbra, differunt; & Hi etiam Praxi utiles, dum enim per illos, prout vignerunt, consideratos, ostenditur quid circa Jejunium optet Ecclesia & per eosdem, prout abrogati sunt, spectatos, demonstratur, quid permittere eadem Ecclesia cogatur, Prælati docentur similem in rebus similibus prudentiam abhibere.

Vel de ætate ad Ordines, Dignitatesve requisitâ loquuntur, quæ dum meliores erant Mores, major erat, quàm nunc sit, ut Gregi Pastor conformior esset, & quam Moribus Grex habebat, maturitatem Pastor saltem ætate haberet; & Isti ad Praxim conferunt, cum doceant Tempori serviendum. Quod de Canonibus circa ætatem ad Ordines requisitam mox dicendum

dictum est, ad Canones circa Interstitia ab uno ad alios Ordines extendendum est.

Vel Subdiaconis Matrimonium permittunt, ratave habent Matrimonia, sive post Ordines Sacros, sive post Vota, contracta; & Isti quoad Theoriam utiles: hinc enim discitur, quid circa Ministrorum Sacrorum Cœlibatum, quid circa Voventium Matrimonia præstare possit Ecclesia. Utilitas eadem percipitur ex Canonibus, quibus Matrimonia Claudefina rata sunt.

Vel effrænem Testium multitudinem ad Episcoporum & Presbyterorum condemnationem, eosque ejusdem Ordinis postulant; & Hi Praxi utiles: Ex his enim Canonibus, tam ut constitutis, quam ut abrogatis, consideratis, colligitur convenire, nec non & expedire, ut qui in aliorum correctionem positi sunt, non nisi cum labore multo condemnari possint, atque ad illorum condemnationem, major Testium numerus requiratur istorumque defectus fiat, accuratiusque examinentur, sed periculosissimum fore, ad hoc tantum requiri Testium numerum ejusque generis, qui reperiri vix possent.

Vel præscribunt, quæ faciendæ erant dum Bella Privata vigeant, ac inter alia, quibus Temporibus, & circa quas Personas treuga & pax servandæ erant; & Isti Canones ad Theoriam utiles, cum doceant circa Temporalia Ecclesiam Leges condere posse, iis, quorum interest, consentientibus; ad Praxim quoque profunt; hinc enim discitur etiam in Bellis, Rerum Sacrarum, ut & Personarum rationem aliquam habendam esse, cum in his Bellis utrarumque ratio haberetur maxima.

Vel Canones abrogati versantur circa Ecclesiarum Episcopatum vacantium administrationem, sive à Metropolitanis, sive à Episcopo antiquiori, sive à Capitulo ipso alias faciendam, nunc verò à Vicario Capituli, quoad Spiritualia, & ab Oeconomis Regiis, quoad Temporalia; & Isti etiam Praxi utiles, cum eadem ferè ab Hodiernis Administratoribus faciendæ sint, quæ ab Antiquis agenda erant.

Vel Ecclesiarum, Personarum Ecclesiasticarum, Bonorumque Ecclesiasticorum Immunitates à Potestate Temporalis expressè concessas, vel illâ consentiente aliter introductas respiciunt; & Hi profectò etiam utiles tam quoad Theoriam, quam quoad Praxim; cum doceant quibus Ecclesiæ, Personæ Ecclesiasticæ, Bonaque ad Ecclesias pertinentia privilegiis frui debeant, quotiès Publicæ Res id patiuntur.

Vel privilegium Ecclesiis concessum, quo ad illas Confugientes, hinc inviti extrahi non possent, spectant, & propter incommoda hinc secuta, abolitum; & Isti Canones Theoriæ & Praxi utiles; ostendunt siquidem, quæ reverentia Locis Sacris debeat, & quamdiù ipsis exhibenda.

Vel nonnulla Impedimenta Matrimonium dirimentia, vel prohibentia tantum, omninò vel partim sublata respiciunt; & Isti Theoriæ utiles, quia docent, quid possint, circa Matrimonia, qui illos Canones vel constituerunt, vel abrogarunt.

TRACTATUS DE PRIVILEGIIS,

PARS PRIMA.

Continens Decisiones Juris propriis ipsius verbis desumptas.

Genus quoddam Legis est Privilegium, cum, & secundum nomen, & secundum rem, nihil aliud significet, quam privatam Legem, quæ & Gratia, & Beneficium, & Indulgentia, & Favor passim dicitur in Jure Canonico; multum verò affinitatis habet cum Rescripto, & Mandato, utpotè cum Rescripto concedatur; quare pleraque, quæ de Rescriptis dicta sunt, intelligi possunt de Privilegiis, & vicissim, quæ de Pri-

viligiis decisa sunt, possunt Mandatis attribui. Hic primùm colligentur, quæ propriis verbis in Jure continentur; postea, quæ quoad sensum comprehenduntur, additâ illorum explicatione.

SECTIO I.

Quid sit Privilegium, & Quotuplex, ac Quomodo intelligendum?

I. Privilegium est Lex privata. *De Verborum significatione. Cap. Abbate. §. penult. contra quod. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 25.*

II. Confitemini aliam esse Generalis Ecclesiæ Consuetudinem, postquam ea, quæ vos geritis, vobis ex Privilegio vindicatis: nulla vobis in hac re poterit remanere dubietas. *DIST. C. 8. Contra morem. §. 1.*

III. Privilegium est id, quo Quidpiam conceditur. *ibid.*

IV. Non esset Lex privata, nisi aliquid specialiter indulgeret. *ibid.*

V. Privilegii Concessio debet, aliquid conferre Gratiæ specialis. *in VI. De Privilegiis. Cap. Si Papa. §. 1. Si autem. fin. in VI. LIB. V. TIT. VII. Cap. 10.*

VI. Privilegia sunt Leges Privatorum, quasi privatæ Leges. *DIST. III. Cap. 3. Privilegia. init.*

VII. Privilegium inde dictum est, quòd in privato feratur. *ibid.*

VIII. Privilegia Apostolica sunt Romanæ Ecclesiæ Scripta Authentica. *De Privilegiis. Cap. Dilecti. fin. Colligitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 4.*

IX. Privilegium personale Personam sequitur. *in VI. De Regul. Juris. Regulâ 7.*

X. Tale Privilegium non continet Jus Publicum, nec est Publicum utilitate & autoritate. *De foro Competenti. Cap. Dilecti. GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. II. Cap. 17.*

XI. Privilegium aliud Donationis, aliud Confirmationis. *De Fide Instrumentorum. Cap. Inter Dilectos. §. Caterum. LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 6.*

XII. Privilegium Reale est, per quod res ipsa est privilegiata. *De Privilegiis. Cap. Consultationi. Cum GLOSSA colligitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 33. Quod est ultimum.*

XIII. Privilegium Donationis, quò donantur res tamquam sunt traditæ & concessæ; seu per quod rerum Dominium intelligitur acquiri Donatario. *ibid.*

XIV. Privilegium Confirmationis, quo res prius habitæ & possessæ confirmantur. *ibid.*

XV. Sic intelligenda sunt verba Privilegii, ut res, de quâ agitur, valere possit potius, quam perire. *De Verborum significatione. Cap. Abbate. §. Penult. Contra quod. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 25.*

XVI. Privilegium ita intelligendum est, quòd ii, quibus concessum est, aliquam ex Indulgentiâ datâ videantur Gratiam consecuti. *De Privilegiis. Cap. In his. §. Undè. fin. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 30.*

XVII. Verba Privilegii aliquid operari debent. *in VI. De Privilegiis. Cap. Si Papa. §. 1. Si autem. fin. LIB. V. TIT. VII. Cap. 10.*

XVIII. Verba Privilegii sic intelligenda sunt, ut omnis ambiguitas tollatur. *De Verborum significatione. Cap. Abbate. §. Penult. Contra quod. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 25.*

XIX. Privilegium debet intelligi eo modo, quo potest magis valere. *De fide Instrumentorum. Cap. Inter Dilectos. LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 6. §. Caterum.*

XX. Verba Privilegii secundum propriam significationem sunt intelligenda. *De Decimis. Cap. Ad Audientiam. Colligitur. LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 12.*

XXI. Non decipi beneficio nos oportet, sed juvari. *De Commodato. Cap. Unico. §. Contra. fin. LIB. III. DECR. TIT. XV. Cap. unico.*

XXII. Privilegia sic intelligenda sunt, ut intellexit

Au. or

Autor ipsorum. *De Decimis*. Cap. *Dilecti*. GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 8.

XXIII. Indulgentia intelligitur esse concessa sine alterius injuriâ. *De Privilegiis* Cap. *Pastoralis* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 19. nisi alieno juri expressè derogat. *ibid.*

SECTIO II.

Quomodo observanda sint Privilegia, & ad quæ se extendant?

I. Privilegiis Apostolicis deferri debet reverenter. *De Privilegiis* Cap. *Cum Capella*. §. *Quocirca* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 16.

II. Apostolicorum Privilegiorum vim & potestatem non solo verbo servare debemus. *De Privilegiis*. Cap. *Quanto. med.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 26.

III. Sententiæ in fraudem Privilegiorum Apostolicorum ferri non debent. *ibid.* §. *Nolentes*.

IV. Secundum quod invenitur in Privilegio ita observandum est. *De Privilegiis*. Cap. *Porrò*. LIB. V. TIT. XXXIII. Cap. 7.

V. Sic quisque Privilegiorum suorum servare tenorem debet, quod eorum metas transgredi minimè videatur. *ibid.* Cap. 7. *fin.*

VI. Licet Papa alicui Privilegium concedat, non tamen vult, quod ille, cui concessit, eo utatur in præjudicium alterius. *De autorit. & usu Pall.* Cap. *Ex suorum*. §. *licet*. LIB. I. DECR. TIT. VIII. Cap. 5. nisi expressè derogat juri alterius.

VII. Privilegiati ita sint suo jure contenti, quod justitiam non impediunt aliorum. *De Privilegiis*. Cap. *Patentibus*. *fin.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 10.

VIII. Nunquam contingere debet, ut Indulgentia plus dispendii, quam utilitatis, afferat. *ibid.* Cap. *consultationi* *fin.* Colligitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 31. quod est ultimum.

IX. Privilegium sic integrum observari debet, ut & ipsum alii non infringant; & qui illud habent, ejus limites non excedant. *in VI. De Privilegiis*. Cap. *Volentes*. *init.* Colligitur. LIB. V. TIT. VII. Cap. 1.

X. Subditus non tenetur parere Superiori aliquid exigenti vel præcipienti contra tenorem sui Privilegii. *De Excessib. Prælatorum*. Cap. *Sanè*. LIB. V. DECR. TIT. XXXI. Cap. 5. *Rubr.*

XI. Privilegium non extenditur principaliter ad alias Personas, quam ad expressas. *in VI. De Privilegiis*. Cap. *Licet. cum* GLOSSA. LIB. V. TIT. VII. Cap. 11.

XII. Temerarium est & indignum, aliquem sibi suâ autoritate præsumere, quod alii singulari Privilegio concessum est. *De Privilegiis*. Cap. *Sanè. init.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 9.

XIII. Privilegium uni concessum non potest ad alium extendi propter identitatem rationis. *ibid.* *Rubr.* seu TITULUS, vel potius *Summarium*.

XIV. Privilegium Personale ad Jus Commune trahi non debet. *De Concessione Præbend.* Cap. *Constitutus*. GLOSSA Colligit. LIB. III. DECR. TIT. VIII. Cap. 11.

XV. Quod ob Gratiâ alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum. *in VI. De Reg. Juris*. Reg. 61.

XVI. Privilegia singulorum non possunt Legem facere Communem. CAUSA XXV. QUÆST. II. Cap. 2. *Non statim*. CAUSA. XXV. QUÆST. I. post Cap. 16. *GRAT. circa fin.*

XVII. Aliquod Privilegium ita est alicujus Ecclesiæ, ut Communem Legem omnino dare non possit, non enim quod uni sigillatim conceditur, statim omnibus convenit CAUSA XVI. QUÆST. I. Cap. 39. *Hinc est. fin.*

XVIII. Privilegiati suorum Privilegiorum frustrari non debent effectu. *in VI. De Privilegiis*. Cap. *Ut Apostolica. init.* LIB. V. TIT. VII. Cap. 6.

XIX. In Generali Concessione illa non veniunt, quæ

non esset Quis verisimiliter in specie concessurus. *in VI. De Penitentiis*. Cap. *Si Episcopus med. & in VI. De Reg. Juris*. Reg. 81. C. 2. *De Penit. in VI.*

XX. Quod aliquibus pro pietate conceditur, ad aliorum injuriam Papa non vult redundare. *De Ecclesiis edificandis*, Cap. *Cum dicat*. LIB. III. DECR. TIT. XLVIII. Cap. 2.

XXI. Quod alicui gratiosè conceditur, trahi non debet ab aliis in exemplum. *ibid.* Reg. 74.

XXII. In Argumentum trahi nequeunt, quæ propter necessitatem aliquandò sunt concessa. *ibid.* Reg. 78.

XXIII. Non licet Episcopis contra libertatem à Sede Apostolicâ alicui concessam, aliquid exigere; alioquin liberum est, quod petitur, denegare. *De Excessib. Prælator.* Cap. *Sanè*. GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. III. Cap. 5.

XXIV. Odia restringi, & Favores convenit ampliari. *ibid.* Reg. 15.

XXV. Quæ à Jure Communi exorbitant, nequaquam ad consequentiam sunt trahenda. *ibid.* Reg. 28.

XXVI. Privilegium derogat Juri Communi. *De foro Competenti*. Cap. *Cum contingat* GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. II. Cap. 13.

XXVII. Privilegium saltem causam præscribendi præbet. *in VI. De Privilegiis* Cap. *Cum Persona*. §. *Quod si*. LIB. V. TIT. VII. Cap. 7.

XXVIII. Qui concessit Privilegium, intentionem suam declarare debet, cum dubitatur ad quid se extendat. *De Verborum significatione* Cap. *Dilecto*. §. *autoritate, init.* Colligitur.

XXIX. Quod conceditur in uno Casu, non propterea in aliis Casibus intelligitur concessum, vel permissum. *in VI. De Hereticis* Cap. *Præsidentes. fin.* LIB. V. TIT. II. Cap. 6.

XXX. Privilegium, cum sit odiosum, non debet extendi, nisi quatenus in eo expressè continetur. *De Privilegiis*. Cap. *Pastoralis*. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 19.

XXXI. Quod in majori conceditur, licitum esse videtur & in minori. *Qui Filii sint legitimi*. Cap. *Per Venerabilem. init.* LIB. IV. DECR. TIT. XVII. Cap. 13.

XXXII. Ubi majus conceditur, minus concessum esse videtur. *De Decimis*. Cap. *Ex parte. fin.* LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 27.

XXXIII. Privilegium, quod convenit alicui ratione unius rei, eidem non prodest respectu alterius rei, vel loci. *ibid. de Privilegiis*. Cap. *Cum Capella*. §. *Quocirca juncta Rubr.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 16.

XXXIV. Privilegium in expressis Casibus tantum valet. *De autoritate & usu Pallii*. Cap. *Ex tuarum*. §. *licet*. LIB. I. DECR. TIT. VIII. Cap. 5. Colligitur.

XXXV. Indulgentia non valet, nisi secundum, id quod in eâ expressum est. *De Translat. Episcopi* Cap. *Licet* Colligitur. LIB. I. DECR. TIT. V. Cap. 4.

XXXVI. Per Privilegium Conventioni non derogatur, nisi de ipsâ contineatur in eo. *De Decimis* Cap. *Ex multiplici*. §. *Undè* LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 3.

XXXVII. Privilegium non est extendendum ultra intentionem Autoris. *De Decimis*. Cap. *Dilecti* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 8.

XXXVIII. Nulli possunt se tueri Privilegio ad iniquum compendium. *De Sent. Excom.* Cap. *Nulli*, GLOSSA colligit LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 8.

XXXIX. Privilegium ad unam rem datum, non debet extendi ad aliud. *ibid.* Colligitur.

XL. Privilegium trahitur ad res futuras & consecuturas. *De Decimis*. Cap. *Ex parte* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 27.

XLI. Privilegium non debet extendi ad id, ex quo alius gravaretur enormiter. *ibid.* Colligitur.

XLII. In Privilegiis Verbum Generale & indefinitè prolatum, ad futurum extenditur. *De Privilegiis*. Cap. *Quia circa fin.* GLOSSA coll. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 22.

SECTIO III.

Que Interpretatio adhibenda sit in Privilegiis?

I. Beneficia Principum sunt interpretenda largissimè. *De Verborum Significatione. Cap. Olim. med. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 16.*

II. Eorum interpretatio reprobanda est, qui Indulgentiam nimis strictè interpretantur. *De Privil. Cap. In his. §. undè. init. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 30.*

III. Ea, quæ in favorem alicujus introducta sunt; in ejusdem læsionem non debent redundare. *De Elect. Cap. Scriptum. med. in integrâ. LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 40.*

IV. Interpretatio hujusmodi reprobari debet, quæ positâ, Indulgentia nihil conferret. *ibid.*

V. Verba Privilegii sic esse interpretanda subsequens Consuetudo declarat. *De Verb. Signif. Cap. Abbate. in fin. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 25.*

VI. Cùm in Privilegiis aliquid permittentibus, de uno loco expressè nihil dicitur, non debent ad illum restringi. *De Verborum Significatione. Cap. Cùm in partibus. §. cùm autem. init. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 17.*

VII. Privilegium contrâ Consuetudinem Juri Comuni obviantem receptam indultum, largè est interpretandum. *ibid. Cap. Cùm sibi. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 18.*

VIII. Interpretatio Privilegii, si dubitetur de illo, debet fieri ab eo, qui dedit Privilegium. *ibid. Cap. Ex parte. GLOSSA colligit. Cap. 23.*

IX. Indulgentia sic est intelligenda, quod Multitudinis sensui & observatâ Consuetudini potius deferatur. *De Consanguinitate. Cap. Quod Dilectio LIB. IV. DECR. TIT. XIV. Cap. 3.*

X. Privilegii verba in novâ Concessione, etsi sint generalia, non tamen sunt in præjudicium aliorum interpretanda. *De Consuetudine. Cap. Cùm olim. GLOSSA colligit. Verbo, prejudicio. LIB. I. DECR. TIT. IV. Cap. 6.*

XI. Privilegium non est malitosè interpretandum. *De Decimis. Cap. Ad Audientiam GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 12.*

XII. In Beneficiis plenissima est Interpretatio adhibenda. *De Privilegiis. Cap. Quia circa. §. Super quo. med. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 22.*

XIII. Privilegium in quo Quidpiam conceditur juxta præteriti temporis morem, non ita intelligendum est, ut vox juxta conditionaliter sumatur; quasi sensus sit, si mos præteriti temporis talis fuerit, sed casualiter debet intelligi, ut sensus sit; quia mos præteriti temporis sic obtinuit. *De Verb. Signif. Cap. Abbate. §. penult. contrâ quod. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 25.*

XIV. Quædam in Privilegiis aliquandò sunt declaranda, ne minùs sanè intellecta, pertrahantur ad abusum. *De Privil. Cap. Ut Privilegia. init. Colligitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 24.*

XV. Maximè Papa, qui Prædecessori è vicino successit, credendus est verbis æquioribus usus, determinationem prorsùs amovisse, ut ambiguitas tolleretur. *De Verb. Signif. Cap. Abbate. §. penult. contrâ quod. LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 25.* Determinatio hæc erat (juxta præteriti temporis morem) quæ, cùm Causalis, vel Conditionalis esse posset, ambigua erat, tollenda ergò erat, ut ambiguitas cessaret.

SECTIO IV.

Quid exprimi debeat in Privilegio, ut valere possit, & Quomodo in notitiam venire debeat?

I. Indulgentia reputari debet invalida, cùm in eâ falsitas suggesta est, vel veritas suppressa, quæ tacitâ, vel expressâ, Impetrans ipsam nullatenus ha-

Tom. I.

buisset. *De Electione. Cap. Dudum. LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 54.*

II. Indulgentia, tacitâ veritate obtenta, non valet. *De Privileg. Cap. Dudum. GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 31.*

III. Privilegium in præjudicium alterius per subreptionem obtentum, non valet. *De Verb. Significatione Cap. Venerabili. §. ideoque LIB. V. DECR. TIT. XL. Cap. 22.*

IV. Primâ Generali Gratia alicui factâ derogat Posterior Specialis, licet de illâ non fecerit mentionem. *In VI. De Præb. Cap. Quamvis. LIB. III. TIT. IV. Cap. 38.*

V. Privilegium dicitur per Subreptionem obtentum, quod est, veritate tacitâ, impetratum. *ibid. Colligitur.*

VI. Indulgentia sine alterius præjudicio concedi debet. *De Privilegiis. Cap. In his. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 30.* nisi ex se ipso alteri obstit; ut Privilegium non solvendi Decimas, aut eas percipiendi, vel sepeliendi Mortuos, aliudve simile Parochiis nocens.

VII. Secundùm Canonicas & Legitimas Sanctiones per Speciem Generi derogatur, quamquàm de Genere in Derogante Specie mentio nulla fiat. *In VI. De Præb. Cap. Dudum. §. 1. post. init. LIB. III. TIT. IV. Cap. 14.* Vide *ibid.* alia de Derogatione hujusmodi, quæ etiam ignorata Habenti Generale Rescriptum, irritat quæ sunt postea contrâ Rescriptum Speciale, necnon Argumenta, quibus hæc nullitas probatur.

VIII. Privilegium super re litigiosâ, non faciens de eâ mentionem, obtentum, non valet, nec impedit processum Judicis. *ibid. Cap. 31. Dudum GLOSSA colligit.*

IX. Privilegium obtentum, pendente lite, nullâ illius factâ mentione, non valet. *Ut lite pendente. Cap. Diectus. LIB. II. DECR. TIT. XVI. Cap. 5.*

X. Privilegium, cui quædam Capitula sunt inserta, quæ Rationi nimis obviare videntur, non valet. *De Testib. Cap. Causam. §. Quia verò. LIB. II. TIT. XX. Cap. 19.*

XI. Privilegium debet facere mentionem aliorum Titulorum & Privilegiorum, quibus Donatio facta esse dicitur. *De fide Instrumentorum. Cap. Inter Dilectos. §. Porro. cum GLOSSA. verbo mentio. LIB. II. DECR. TIT. II. Cap. 6.*

XII. In Privilegiis illa Clausula solet apponi, *Subvâ justitiâ aliorum. De Sepulturis. Cap. Certificari. init. LIB. III. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 9.*

XIII. In Privilegiis, & Indulgentiis, seu Concessionibus Specialibus, sufficit, quod ad illorum, quibus conceduntur, notitiam perveniant. *In VI. De Concessione Præbende. Cap. Quia cunctis. §. Nec obstaret. In VI. LIB. III. TIT. VII. C. 1.*

Hæc de illis Privilegiis & Indulgentiis æquitate suadente debent intelligi, quæ vim suam habent mox, cùm ad illos, quibus conceduntur, perveniunt; ex quorum tenore liquidò nosci potest, quod talis circa ea fuerit intentio Concedentis. *ibid. in VI. De Concessione Præbende. Cap. Quia cunctis. §. ex parte. LIB. I. TIT. VII. Cap. 1.*

SECTIO V.

Quibus concedi possit Privilegium, & Quinam illa debeant gaudere?

I. Non potest Privilegium de Jure deferri, cùm nulli adhuc existunt, quibus Privilegium concedatur. *De Ecclesiis edificandis. Cap. Ad Audientiam. LIB. V. DECR. TIT. XLVIII. Cap. 5.* Excipendus Casus, quo Privilegium datur in Fundatione Ecclesiæ, vel Monasterii, vel Collegii, vel Seminarii, quibus Locis adhuc futuris Indulgentia, vel Privilegia concedi possunt, quibus, post Constructionem, potentur, gaudebuntque.

II. Nulli

II. Nulli debent gaudere Privilegio, quo faciunt se indignos. *De Immunitate Ecclesiarum. Cap. Immunitatem. §. cum in eo* LIB. III. DECR. TIT. XLIX. Cap. 10.

III. Qui similem cum aliis vitam suscipiunt, simili debent Privilegio gaudere. *De Statu Monach. Cap. Re-colentes. §. si enim.* GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXXV. Cap. 3.

IV. Eis, qui fraudem committunt, Indulgentia competere non debet. *De Clericis non residentibus. Cap. Tua Fraternalitatis.* LIB. III. DECRETAL. TIT. IV. Cap. 12.

V. In conferendis Gratiis, qui est tempore anterior, preferendus est, ex quo de intentione Mandantis contrarium non apparet. *In VI. De Prabendis. Cap. Quia sepè. fn.* LIB. III. TIT. IV. Cap. 15.

VI. Occasione Mandati, quod Gratiam continet personalem, fraudem adhibere Volentibus licentia non concedatur. *De Concessione Prabendæ. Cap. Constitutus. fn.* §. Quia verò. LIB. III. DECR. TIT. VIII. Cap. 11.

VII. Qui in Privilegiatorum Fraternitate sunt recepti, Privilegiis plenè non gaudent, nisi ad eos se omninò transfulerint. *De Privilegiis. Cap. Quidam. junctâ GLOSSA.* LIB. V. DECRET. TIT. XXXIII. Cap. 32.

SECTIO VI.

Ad Quantum tempus durent Privilegia, & Quandoam extinguantur?

I. Decet concessum à Principe beneficium esse mansurum. *In VI. De Reg. Juris. Reg. 16.*

II. Privilegia Ecclesiarum & Monasteriorum Sanctorum Patrum auctoritate instituta, nullà possunt improbitate convelli, nullà novitate mutari. CAUSA XXV. QUÆST. II. Cap. 2. *Privilegia. init.*

III. Ecclesiæ Venerabilis Privilegia, quæ olim reverentia Religionis obtinuit, plenissimum per omnia obtineant vigorem. *ibid.* Cap. 20. *Quæcumque. fn.*

IV. Privilegia Ecclesiarum, & Sacerdotum, intemerata & inviolata cunctis manere debent temporibus. CAUSA XXV. QUÆST. I. Cap. 1. *Privilegia. initio.*

V. Ex quo res semel est Privilegiata, semper erit Privilegiata, quia Privilegia perpetua sunt. *De Privilegiis. Cap. Consultationi.* GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 33. quod est ultimum.

VI. Privilegium Personale cum Personâ extinguitur. *In VI. De Reg. juris. Reg. 7.*

VII. Privilegium, seu favor indultus ratione minoris ætatis, postquam cæpit habere locum, non extinguitur; licet Minor pervenerit ad majorem ætatem. *De Sent. Excom. Cap. Pueris.* Summarium sic se habet. LIB. V. DECR. TIT. XXXIX. Cap. 60. quod est optimum.

Quæ hic collecta sunt de Privilegiis perpetuitate, per ea interpretanda & moderanda sunt, quæ Sect. IX. colligenda sunt de Modis, quibus Privilegia amittuntur, nec non per ea, quæ notat VAN ESPEN in Commentario in CAUS. XXV. ubi insinuat, quòd sicut Canones subjiciuntur Dispensationi, quando urget necessitas, vel evidens utilitas id exposcit, ita Privilegia subsunt Derogationi, Restrictioni, imò & Revocationi, cum similes causæ id postulant; probatque, quòd circa utrumque GRATIANUS Papæ nimium tribuat, & à Pristinâ Disciplina multum discedat, dum docet, illum esse Canonum Dominum atque ab his dispensare, atque illis derogare per Privilegia, prout sibi faciendum videtur, ad id ductus falsarum Decretalium lectione, quas pro genuinis habebat. Sed de his fufius & dilucidius, dum conferetur Gratiani Collectio cum aliis, ubi de ejus nævis agetur.

SECTIO VII.

De Privilegiis in ordine ad Forum Contentiosum.

I. Privilegium à Papâ concessum præsumitur verum, cujus tenor in Registro ipsius Papæ invenitur incorruptus. *De in integrum Restitutione. Cap. Tam ex literis. §. nos igitur. fn.* LIB. I. DECR. TIT. XLI. Cap. 5.

II. Litteræ prohibitionis contra Privilegium obtentæ, nullum debent præjudicium facere, quominus liberum sit illo uti ei, qui in possessione ejus est; quò usque Definitivâ Sententiâ decernatur, an illud jus debeat habere. *Ut lite pendente &c.* Cap. *A memoriâ* LIB. II. DECR. TIT. XVI. Cap. 1.

III. Cum Privilegia in possessionibus abraduntur, judicari falsa non possunt, nec etiam haberi suspecta. *De Fide Instrument. Cap. Ex litteris.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 3.

IV. Privilegiorum copia faciendâ est Adversario ad inspiciendum. *ibid.* Colligitur.

V. Privilegia non inspecta non valent argui falsitatis. *De Fide Instrum. Cap. Accepimus.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 4.

VI. Cum difficile sit & periculosum Privilegia exhiberi apud Sedem Apostolicam, præcipi debet, ut exhibeantur in Loco vicino, congruo, & securo. *ibid.*

VII. Volenti Privilegia falsitatis arguere debet exhiberi in Loco congruo & securo, intrâ certum tempus à Judice definiendum. *ibid.*

VIII. Interim non debent illa Privilegia vacillare, sed Sententiâ eorum obtentu lata, debet inviolabiliter observari. *ibid.*

IX. Falsitas Privilegiorum deprehendi potest ex annotatione Indictionis, ex qualitate Chartæ, ex Sigillo, ex scripturâ Notarii. *De Fide Instrum. Cap. Inter Dilectos.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 6.

X. Privilegium est sine vitio falsitatis, quod sine reprehensione Bullæ, Chartæ, vel litteræ apparet. *De Privilegiis. Cap. Cum olim. fn.* LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 12.

XI. Ex Formâ petitionis, quæ in ipso Privilegio declaratur, judicari debet, quale sit Privilegium. *ibid.* Cap. 6. §. ceterum.

XII. Idem Privilegium non potest esse Donationis & Confirmationis ejusdem rei, cum eadem legitime nequeant confirmari pariter & donari. *ibid.* §. ceterum.

XIII. Si Privilegium Donationis, quod est principale, non tenet, nec Privilegium Confirmationis, quod est accessorium, ac ex eo, vel ob id, dignoscitur esse secutum, valere potest. *ibid.* §. Cum igitur.

XIV. Privilegium, quod videtur esse Donationis, si de rebus prius habitis & possessis, sermo sit, intelligi debet esse Confirmationis. *De Fide Instrum. Cap. Inter Dilectos. §. ceterum.* LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 6.

XV. Magis autoritas Privilegii, quàm depositio Testium attendi debet. *De Prescriptionib. Cap. Ad Audientiam. init.* LIB. II. DECRET. TIT. XXVI. Cap. 13.

XVI. Privilegium obscurum non probat: *De Prescriptionib. Cap. Auditis.* GLOSSA colligit. Ex §. verum & §. Quocirca. LIB. II. DECRET. TIT. XXVI. Cap. 15.

XVII. Juxtâ tenorem Arbitrii, judicatur contra Privilegia tam antè, quàm post Arbitrium promulgata. *De Præsript. Cap. Cum olim. fn.* LIB. II. DECRET. TIT. XXVI. Cap. 18.

XVIII. Qui habet Privilegium, Præscriptio quoad hoc nihil addit. *ibid.* Cap. 19. *Veniens. §. ult.* GLOSSA colligit, & in Verbo renunciavit, asserit, quòd Præscriptio & Privilegium contraria sunt, ex quo simul esse non possunt, quia ingressus unius operatur egressum alterius.

XIX. Contra Privilegium admittitur probatio, seu defensio. *De Sent. & Re Judic. Cap. Subortâ.* GLOSSA colligit. §. Verum.

XX. Non sufficit obicere aliquid rationale contra Privilegium, nisi probetur, quòd objectum est. *De Sent. & Re Judic. Cap. Subortâ.* junctâ GLOSSA. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. Cap. 21.

XXI. Si Privilegium non fuit coram Papâ exhibitum, prætextu Privilegii de novo reperti, non debet Sententiâ retractari. *De Sent. & Re Judic. Cap. Subortâ. §. Judicib. fn.* LIB. II. DECR. TIT. XXVII. Cap. 12.

XXII. In-

XXII. Indulgentia Apostolica Sedis Legati, quâ quid permiffum est Hominibus terræ alicujus, sic est intelligenda, ut consultius fit Multitudini & observatæ Conſuetudini deferre, quam aliud in diſſentionem & ſcandalum Populi ſtatueret, quâdam adhibita novitate. *De Conſanguinitate. Cap. Quod Dilectio. LIB. IV. DECR. TIT. XIV. Cap. 3.*

XXIII. Si Prædeceſſoris Privilegium fuit Papæ Succeſſori in Judicio præſentatum, & ipſe tulit Sententiam contrâ illud, intelligitur reprobaffe. *ibid. §. Judicibus.*

XXIV. Si Summus Pontifex in Privilegio intelligeret tantummodo de unâ re, de illâ tantum poneret. *De Decimis. Cap. Ad Audientiam. §. Mandamus. ſin. LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 12.*

XXV. Romana Eccleſia alicui nonniſi certâ ratione inſpectâ ſingularibus voluit Beneficiis indulgere. *De Privilegiis. Cap. Sanè. ſin. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 9.*

XXVI. Inſpicienda ſunt Eccleſiarum Privilegia; & ipſorum tenor eſt diligentius attendendus. *ibid. Cap. Recipimus. §. Inſpicienda. init. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 9.*

XXVII. Perſpiciendum eſt, quid in Privilegio continetur, ad verum ejus tenorem ſervandum. *De Privilegiis. Cap. Ex ore. §. Porrò. Colligitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 17.*

XXVIII. Nulli Privilegiato credendum eſt, niſi Privilegium ſuum inſpiciendum concedat. *ibid. Cap. Porrò. GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 7.*

XXIX. Quod aliquibus donatum eſt, totum ex inſpectione Privilegiorum ſuorum adverti debet. *ibid. Cap. Porrò. ſeu Cap. 7.*

XXX. Super amiſſione ac tenore Privilegiorum Teſtes recipi poſſunt, quos Pars duxerit producendos. *De Privilegiis. Cap. Cùm olim. §. Te igitur. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 12.*

XXXI. Eccleſia utens duplici Privilegio, licet ſuccumbat ex uno, poteſt nihilominus ex alio ſe juvare, & obtinere: *De Privileg. Cap. Cùm olim. juncto Summario. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 14.*

XXXII. Sententia lata contrâ Privilegium Sedis Apoſtolice non tenet. *De Privil. Cap. Ex parte. §. Nos autem. GLOSSA colligit. ſin. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 13.*

SECTIO VIII.

De Innovatione & Confirmatione Privilegiorum.

I. Sicut Teſtes ex cauſâ (lite non conteſtatâ) admittuntur; ſic ex æquitate ſimilitudine, Privilegia quaſi jam nimia vetuſtate conſumpta innovari convenit. *De Confirmatione utili &c. Cap. Cùm Dilectâ. §. Nos igitur. LIB. II. DECR. TIT. XXX. Cap. 4.* Utrumque ſic, ne pereant probationes.

II. Ut innovari poſſint Privilegia à Sede Apoſtolica, propter viarum diſcrimen injungit Summus Pontifex Commiſſariis aliquibus, ut ea inſpiciantur diligenter, & tenorem ipſorum fideliter tranſcribentes, ſub ſigillis ſuis ad Romanam Curiam tranſmittant. *De Confirmatione utili &c. Cap. Cùm Dilectâ. LIB. II. DECR. TIT. XXX. Cap. 4. init. hâc cautelâ tutè jactura Privilegii prævenitur.*

III. Pendente Cauſâ, peti poteſt Innovatio Privilegii. *De Privilegiis. Cap. Ex parte. GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 13.*

IV. Privilegii Innovatio propter contradiccionem Partis aſſerentis, hoc in ſuum præjudicium redundare, non debet effectui mancipari. *ibid. De Privilegiis. Cap. Cùm olim. init. GLOSSA coll. & De Confirm. utili. Cap. Cùm Dilectâ. GLOSSA coll. LIB. II. DECR. TIT. XXX. Cap. 4.*

V. Per Innovationem Privilegii, non plus juris Eccleſiæ accreſcit, quam per Privilegia præcedentia obtinuit. *De Privil. Cap. Ex parte. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 13.*

Tom. I.

VI. Per Innovationem Privilegii non novum conceditur, ſed antiquum jus conſervatur. *ibid. ſin.*

VII. Ex Innovatione Privilegii novum jus non acquiritur, ſed antiquum, ſi quod habetur, per Innovationem Privilegii conſervatur. *De Confirm. utili &c. Cap. Cùm Dilectâ. §. Nos igitur. LIB. II. DECR. TIT. XXX. Cap. 4.*

VIII. Innovatio Privilegii nec jus novum conſert, nec etiam tollit vetus. *De Privileg. Cap. Quia intentionis. init. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 29.*

IX. Poſt Innovationem in eo ſtatu eſt Privilegiatus, in quo, tempore impetratæ Innovationis, dignoſcitur extiſſe. *ibid.*

X. Per Innovationem nullum juris aliâs eidem Privilegiato competentis præjudicium generatur. *ibid. ſin. Vide De fide inſtrum. Cap. Inter Dilectos. §. 7. & 8. LIB. II. DECR. TIT. XXII. Cap. 6.*

XI. Cùm Donationis titulus allegatus nullus eſt, Confirmatio Papæ ſuper tali Donatione etiamſi Authenticum appareat, juri alterius nullatenus derogat. *De Decimis. Cap. Dudum. §. Ulr. LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 31.*

XII. Quod n. 4. dixit *Gloſſa* de ſuſpendendâ Privilegii Innovatione ob contradiccionem Adverſæ Partis aſſerentis, quòd noxia ſibi foret, admittendum non videtur, quia hæc contradiccionis frivola eſſet, cùm Innovatio obefſe Parti non poſſit, idque cuique evidens eſt: nec confirmatur *Gloſſa* ſententia ex facto narrato in Textu, nempe quòd Papa ob talem contradiccionem abſtinuit ab Innovatione ſibi petita, cùm expoſitio Partium facta in Reſcripto vi deciſivâ careat, iſtaque tota maneat, reſideatque in Definitione datâ à Papâ.

SECTIO IX.

De variis Modis, quibus amitti poſſunt Privilegia.

I. Sic decet fidem Sanctorum Patrum in Eccleſiâ ſervari Catholicâ; ut quod habuit, amittat, qui improbabili temeritate, qua non accepit, aſſumpſerit. CAUSA XXV. QUEST. II. Cap. 22.

II. Liberum eſt unicuique ſuo juri renunciare. *De Privilegiis. Cap. Si de terrâ. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 6. ſin.*

III. Quilibet renunciare valet ei, quod pro ſe noſcitur introductum. *De Regularib. Cap. Statuimus. LIB. III. DECR. TIT. XXXI. Cap. 31.*

IV. Privilegium meretur amittere, qui permiſſâ ſibi abutitur poteſtate. *De Sent. Cap. Cùm olim. med. in int. LIB. II. DECR. TIT. XXVIII. Cap. 12.*

V. Privilegio libertatis nullus renunciare poteſt in præjudicium Papæ. *De Sent. & Re Judicatâ. Cap. Subortâ. GLOSSA colligit. LIB. II. DECR. TIT. XXVII. Cap. 21.*

VI. Privilegium Perſonale per unum actum contrarium amittitur. *De Constitutionib. Cap. Cùm acceſſerit. §. Quocirca. ſin. GLOS. coll. LIB. I. DECR. TIT. II. Cap. 8.*

VII. Qui per Quadraginta annos contrâ Indulta Privilegia egit, eis renunciare tacite præſumitur. *De Privilegiis. Cap. De accedentibus. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 15. juxta Cap. 6. Eod. TIT. ſufficit tempus triennale, quia Præſcriptio concurrebat cum Jure Communi, ideòque favorabilior. Vide GONZALEM in illud & GLOS. Cap. 15. in Verbo 40.*

VIII. Si qua Privilegia Ordini alicui ſpecialiter Sedes Apoſtolica indulſit, non factâ mentione illius Ordinis non amittuntur. *De Reſcriptis. Cap. Cùm Ordinem. LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 6.*

IX. Privilegium meretur amittere, qui conceſſâ ſibi abutitur poteſtate; *DISTINCT. VII. C. 7. Ubi. init.*

X. Eccleſia, qua non utitur Privilegio ſuo per 40. annos continuos, illud amittit. *ibid. GLOSSA colligit. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 15.*

XI. Idem habent iſdem verbis plures alii Textus, quorum

quorum præcipui sunt. CAUS. XI. QUÆS. III. Cap. 63. *Privilegium. De Regul. Cap. Licet. init. Et §. Talis. LIB. III. DECR. TIT. XXI. Cap. 18. De Privilegiis. Cap. Tuarum. §. 2. Verum. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 11. De Elect. Cap. Venerabilem. post init. LIB. I. DECR. TIT. VI. Cap. 34. Ex illorum læsione hic fructus saltem percipitur, quòd doceant quibus modis quisque possit abuti suis Privilegiis, varique hujus abusus exempla.*

XII. Qui Indulgentiam, quam habet, non servat & contra illam autoritate propria agit, illam amittit. *De Præbendis. Cap. Pro illorum. §. Quia verò. GLOSSA coll. LIB. III. DECR. TIT. V. Cap. 22.*

XIII. Qui aliorum Privilegia recipere contemnit, concessa sibi Privilegia meretur amittere. *De Privilegiis. Cap. Dilecti. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. C. p. 4.*

XIV. Sancta Romana Ecclesia, suâ autoritate, congregata valet disjungere, & disjuncta congregare, Rationis tamen æquitate considerata: Undè vel pietatis, vel necessitatis intuitu, semel à se concessa valet vel in totum vel in partem commutare. Pro necessitate namque vitiatorum corrigendorum Privilegia Ecclesiarum multarum, vel imminuuntur, vel penitus immutantur, sive personaliter, sive generaliter. *GRATIANUS post Cap. 21. Posteaquam. QUÆS. II. CAUS. XXV.*

XV. Qui non utitur Privilegio sibi indulto legitimo tempore, amittit illud, eoque modo non potest se in hac parte tueri. *Cap. Si de terrâ. Junctâ GLOSSA. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 6.*

XVI. Privilegia propter abulum possunt merito revocari. *De Privilegiis. Cap. Ut Privilegia. LIB. V. DECR. TIT. XXXIII. Cap. 24.*

XVII. Detestanda Iniquorum perveritas abstinere nesciens vetitis, nec gaudere debito modo concessis, dignè plerumque Officium excitat Præsidentis, ad ea, quæ justâ fuerant consideratione concessa, cum in abulum ea vergere circumspicit, discretionè prævia revocanda. *In VI. De Concessione Præbenda. Cap. Detestanda. init. In VI. LIB. III. TIT. VII. Cap. 2.*

XVIII. Per Privilegium Papæ Privilegiis suorum Prædecessorum non extitit derogatum, cum de ipsis nullam fecerit mentionem. *De Præscriptionibus. Cap. Veniens. §. Chrisma. fin. LIB. II. DECR. TIT. XXVI. Cap. 19.*

XIX. Præsertim, cum & ipse Papa Privilegium illud concessit sævis Constitutionibus non solum Romanæ Ecclesiæ, sed ipsius etiam Legatorum. *ibid. Cap. 19.*

XX. Si occasione Privilegiorum Ecclesiæ prægraventur; iis derogandum est in toto, vel in parte. *De Decimis. Cap. Nuper. GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 34.*

XXI. Generali Privilegio per Speciale derogatur. *De Rescriptis. Cap. Pastoralis LIB. I. DECR. TIT. III. Cap. 14.*

XXII. Legitima causa revocandi Privilegium, cum aliqui Indultis Apostolicis confidentes, alios confidentius in suo jure molestant, & Ordinariorum Jurisdictionem contemnunt pariter & eludunt. *In VI. De Privilegiis. Cap. Ne aliqui. junctâ GLOSSA. In VI. LIB. V. TIT. VII. Cap. 5.*

XXIII. In necessitate cessat Privilegium. *De Immunitate Ecclesiarum Cap. Pervenit. GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XLIX. Cap. 2.*

XXIV. Ex causâ cessat sive perditur Privilegium. *De Clericis non residentibus. Cap. Cum sint. GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. IV. Cap. 16.*

XXV. Si Privilegium ex prece factum incipiat enorme detrimentum inferre, revocandum est. *De Decimis. Cap. suggestum GLOSSA colligit. LIB. III. DECR. TIT. XXX. Cap. 9.*

SECTIO ULTIMA.

De Conservatoribus Privilegiorum.

I. IN Antiquo Decretalium Jure nihil habetur de hujusmodi Conservatoribus. Recentiori tempore, cum Laici Juri dicundo magis incumbere cœperunt, Ecclesiarum & Monasteriorum Privilegia paulatim impugnabantur: quare Summi Pontifices præferunt Viros aliquos insignes, qui Privilegiis hujusmodi conservandis invigilarent, quibus etiam ea committent, quæ ad eorum mutationes aut alia similia spectabant.

II. Itaque Conservatores dicebantur, qui aliquibus à Sede Apostolicâ concedebantur, ut eos à manifestis injuriis & violentiis tuerentur, eorumque Privilegia conservarent. *Ex Constitutionibus INNOCENTII IV. & BONIFACII VIII. In VI. De Officio & potest. Jud. Deleg. Cap. Statuimus. & Cap. Hac Constitutione. Quæ de eorum Jurisdictione statuta fuerant, jam non sunt in usu, sola Protectionis ac Tutitionis cura relicta est. Habet Universitas Parisiensis adhuc suos Conservatores Episcopos Meldensem, & Sylvanectensem.*

III. Totâ illorum Jurisdictione Forensis transiit ad Conservatores Regios singulis Regni Universitatibus à Rege concessos; de quibus in *Ordin. Regiâ 1669. TIT. IV. Art. 28. 29. 30. 31. item in Stylo Consilii. p. 24.*

IV. Conservatores possunt eos à manifestis injuriis & violentiis defendere, quos Summus Pontifex eis committit defendendos. *In VI. De Officio & potest. Jud. Deleg. Cap. Statuimus. LIB. VII. TIT. XIV. Cap. 1.*

V. Illi non possunt extendere suam potestatem ad alia, quæ Judicalem indaginem requirunt. *ibid. in VI. LIB. I. TIT. XIV. Cap. 1.*

VI. Appellatione Judicum non comprehenduntur Conservatores. *ibid. Colligitur.*

VII. Conservatores deputari non possunt, nisi Episcopi vel eorum Superiores, aut Abbates, seu Dignitates vel Personatus in Cathedralibus vel Collegiatis Ecclesiis obtinentes. *In VI. De Officio & potest. Judic. Deleg. Cap. Hac Constitutione. init. LIB. I. TIT. XIV. Cap. 15.*

VIII. Idque merito, cum hac requirantur in Delegatis Apostolicis, & Conservatores sint ex illorum præcipuis, & præterea perpetui esse soleant.

IX. Nullus Conservatorum habeat eum, qui sub ipsius Jurisdictione, Dominio, vel Districtu Ecclesiastico, vel Temporalis consistat. *ibid. §. 1. nec aliquis.*

X. Nullus Prælatus, vel alia Persona Ecclesiastica, Secularis vel Regularis intrâ Regnum Franciæ consistens, aliquem vel aliquos, Clericos, vel Laicos coram aliquo Conservatore, per Sedem Apostolicam autoritate Litterarum Sedis ejusdem Deputato, vel Deputando, seu ejus Commissario quâcumque occasione, vel causâ, ad Judicium extrâ Regnum prædictum, nec etiam super hujusmodi juribus cessis sibi etiam intrâ ipsum Regnum trahere, aut aliquatenus molestare seu inquietare valeat, vel præsumat. *Bullâ URBANI V. datâ Massiliæ 6. Idus Maii, Pontificatus anno 5. & refertur Tomo Probationum Libertatum Gallicæ Nationis. Cap. 9. p. 202. & 203.*

XI. Dicti Conservatores contra aliquos procedere, aut in aliquos, vel aliquem Excommunicationis, Suspensionis, vel Interdicti Sententias promulgare non valeant, vel præsumant. *ibid.*

XII. Omnes Processus & Sententiæ hujusmodi, quos contra Ordinationem prædictam fieri contigerit, irriti sint & inanes. *ibid.*

P A R S I I.

R E G U L A U N I C A.

Complectens Regulas circa Privilegia, è solo Textu Juris Canonici desumptas quoad sensum, cum explicatione aliunde etiam depromptâ.

Quæ propriam Privilegii Naturam continens, totam ferè hujus Tractatus Materiam explicat.

Inter Tractatus ad Juris Canonici Prolegomena pertinentes, in quibus, de Jure Canonico considerato in genere, agitur, Tractatum de Privilegiis collocamus: hæc potissimum ratione moti, quòd Privilegia, ut infra dicitur, sint quædam Leges; hunc autem Tractatum Tractatui de Rescriptis annectimus ob maximam, quam habent Privilegia, cum Rescriptis Connexionem; sunt enim quodammodo Rescripta, Gratia, cum per ejusmodi Rescripta, ut plurimum acquirantur Privilegia, & circa quamlibet istorum Rescriptorum materiam, versentur: præterea quæ de Rescriptis falsis aut falsitate suspectis, de dubiis, de obscuris, aliaque similia, Privilegiis optime conveniunt adaptantur-ve.

Cæterum, quantum ad Ordinem, quem in tractando de Privilegiis sequemur, servato in aliis Tractatibus, sed maxime in Tractatu de Rescriptis, non ab similibus erit; videbimus siquidem 1. Quid sit Privilegium; 2. Quotuplex; 3. Quid peculiare doceat Jus Canonicum circa quamlibet Privilegiorum speciem; 4. Quæ necessaria, ut valeat; 5. Quibus viis acquiratur; 6. Quis dare possit; 7. Quibus dari possit; 8. Quæ Materia, sive circa Quæ versetur; 9. Quæ Forma; 10. Qui effectus; 11. Quomodo interpretandum; 12. Quomodo servandum; 13. Quibus viis amittatur; 14. De Innovatione; 15. De Usurpatoribus & Contemporibus; 16. De Privilegiis in Corpore Juris clausis; 17. De Conservatoribus; 18. De exhibendis Privilegiis, & quâ Formâ.

TITULUS I.

Quid sit Privilegium?

Antequam explicemus, quæ sit Privilegii Natura, notandum, Rem hoc vocabulo significatam in Jure Canonico donari variis nominibus. Vocatur enim 1. Privilegium, quod juxta vocabuli Etymologiam tria significat, quæ eodem recidunt; nempe, Legem privatam, Cap. 25. De Verborum significatione. Privatorum Legem; C. 3. Dist. III. & quod in privato fertur, *ibidem*. Dicitur autem Privilegium, Lex, quia servandum ut Lex, & à Potestate condendi Legem emanat; Dicitur Lex privata, vel Privatorum, quia in favorem quorundam Privatorum conceditur. 2. Indulgentia. Cap. 3. De Privilegiis. 3. Beneficium. Cap. 16. De Regulis Juris in VI. 4. Gratia. Cap. 11. De Concess. Preb.

Hæc autem tria postrema nomina Rei Privilegio significatæ dari videntur, ratione originis; procedit etenim ex misericordiâ, liberalitate, & pietate Concedentis; undè, cum infinita propemodum sint, quæ similem habent originem, quæque non idè similia habent nomina, evidens est, nullum ex his nominibus Rei per Privilegium significatæ proprium esse; restat ergò, quòd aut nullum habeat in Jure nomen proprium, aut si quod habet, non aliud sit, quàm Privilegium, quo ab aliis Gratiis, Beneficiis, Indulgentiis-ve distinguitur.

Notandum etiam, quodvis Privilegium, vel à Jure Communi eximere, vel aliquid contra Jus Commune, aut præter Jus Commune concedere. His notatis.

Tom. I.

Privilegium est Lex privata à Lege Communi eximens, vel aliquid contrâ, vel præter illam Legem, concedens.

Dicitur de Privilegio, quòd sit *Lex privata*, ob Primam allatam rationem.

Additur, à *Communi Lege eximens*; quia unus ex effectibus Privilegii interdum est, quòd eximat à communi obligatione per Leges aliis impositâ, veluti cum Subditos à Jurisdictione Superioris subtrahit.

Additur, quòd aliquid *contrâ Legem Commune concedat*; quia jura, quæ Quibusdam Jure Communi debentur, in alios quandòque transfert, ut cum debita Parochis Decimæ aliis percipiendæ dantur.

Postremo additur, quòd *præter Legem Commune aliquid concedat*; quia jura aliis Lege Communi debita nonnullis communicantur, quibus tali Lege non debentur, ut cum Honores & Ornamenta Episcopalia Abbatibus permittuntur.

Ex Dictis in hoc Titulo sequitur, 1. Quòd Privilegium quandòque idem sit cum Dispensatione, nimirum, cum in exemptione à Lege Communi consistit; quo casu Privilegium non immeritò vocatur Indulgentia, ipsique applicari potest quidquid dictum est de Naturâ, Causis, Effectibus Dispensationis, dum de Vicario Generali tractatum est, idèoque hoc in Tractatu de Privilegiis multa omittentur de industria, ne, quæ in memorato Tractatu dicta sunt, sine necessitate in isto repetantur: id ergò advertat Lector, ne quæ Tractatui isti desunt, Autorem præterfugisse existimet, sed multò magis, ut illa citato loco querat, eaque discat quæ ignorare non debet.

2. Quòd si quandò Privilegium de Jure Communi esse dicatur, seu ad Jus Commune pertinere, Jus Commune non sumatur pro Lege, quâ major Reipublicæ Pars ligatur & regitur, quæque idcirco Lex Communis rectè nuncupatur; sed pro Legibus Generalibus ad Rempublicam regendam necessariis, quo sensu non solum Privilegia rigorosè sumpta, sed & Dispensationes justæ de causâ concessæ, imò & Leges pœnales de Jure Communi esse dicendæ sunt, cum Dispensationes justæ, Legesque pœnales, inter necessaria ad rectam Reipublicæ administrationem recendendæ sint; De quibusdam speciatim dicitur, quòd sint de Jure Communi, quia Corpore Juris includuntur, Jus Commune continente.

TITULUS II.

Quotuplex sit Privilegium?

R E G U L A.

Non aliæ Privilegii Divisiones è Jure Canonico colliguntur, quàm istæ.

I. Privilegium, C. 16. 17. De Privilegiis. C. 5. De Arbitris, est vel *Totale*, vel *Partiale*.

Totale, quandò Abbatia eximitur in Capite, & in Membris, à totâ Episcopi Jurisdictione.

Partiale, quandò eximitur tantum in Capite, non in Membris; in parte, non in toto, ab hujusmodi Jurisdictione: vel quandò Persona exempta est tantum ratione unius rei, non alterius; unius loci, non alius.

II. Cap. 16. 21. De Privilegiis, vel est *Personale*, vel *Reale*, vel *Locale*.

Personale, quale, quo Episcopo permittitur, ut Beneficiorum suæ Diœcesis fructus per quoddam tempus percipiat.

Reale, quale, quo agri Monachorum à Decimarum solutione eximuntur.

Locale, quale, quo conceditur Monasterio, ne possit ab Episcopo Censuris percipi.

III. *Cap. 6. De fide Instrum.* Aliud est Privilegium *Donationis*, aliud *Confirmationis*.

Donationis, quale, quo acquirendi Incapaci res immobilitatis donatur.

Confirmationis, quale, quo hujusmodi Donatio confirmatur.

IV. *C. 2. De Præbendis in VI.* Aliud in *Corpore Juris clauditur*, aliud *non*.

Prioris Generis est, illud, quo Monachi à Lege Diocesana solvuntur.

Posterioris est, illud, quo Nonnulli Canonici Sedi Apostolicæ immediatè subiiciuntur.

Vide FAGNANUM circa Privilegium *Prioris generis* in *Cap. 11. de Major. & Obed. n. 35.*

V. *C. 12. De Foro Competenti. C. 36. De Sentent. Excommuni.* sunt Privilegia, quæ dantur *Membris in honorem totius Corporis*; qualia, quæ conceduntur Clericis, ne possint à Judice Sæculari quibusdam in Casibus judicari, nevé à quovis violenter percipi, quin sit ipso facto excommunicatus. Sunt alia, quæ, *nullâ habitâ ratione Corporis, Membris conceduntur*; tale est, quo quis fit ad Dignitatem Eligibilis, ad quam Jure Communi vel Particulari Ineligibilis erat; quale etiam, quo Pallii usus Episcopo conceditur. *C. 5. Dist. C.*

VI. Aliud est Privilegium *Scriptum*, aliud *non Scriptum*.

Scriptum, quale, quod Canone, vel Rescripto conceditur.

Non Scriptum, quale, quod Præscriptione, vel Consuetudine acquiritur.

VII. Aliud *Communi Juri contrarium*, aliud eadem *Juri conforme*.

Prioris exempla passim habentur in Canone ac talia sunt pleraque eorum, quæ in *Corpore Juris continentur*, quæque colliguntur *TITULO. XVI.*

Posterioris exemplum legitur *Cap. 18. De Verborum Significatione.*

VIII. Aliud est *falsum*, *CLEM. 2. De Privilegiis.* hujus generis exemplum præbet; vel *Falsitatis Suspensum*, quale, quod à Concedente, cui tribuitur, non emanavit, vel non emanasse videtur; Aliud est *Verum* vel ab omni falsitatis specie alienum, quod concessum est ab eo, cui tribuitur, vel concessum justè creditur.

TITULUS. III.

Quid Peculiare habeatur in Jure Canonico circa diversas Privilegii species.

REGULA.

Non alia in *Corpore Juris Canonici* habentur circa quæsitum in §. quàm ista.

I. Privilegium *Personale*. *C. 6. De Institutione C. 7. De Regulis Juris, in VI.* sequitur Personam: hinc pereunte Personâ, perit; hinc, eadem transeunte è Loco in Locum, cum illâ transit.

II. *Cap. 6. De Instituti. C. 33. De Privil.* Res semel Privilegiata, est semper Privilegiata, nisi aliud in Privilegio exprimat: durat ergo rei Privilegium, quandiu res, gaudetque Privilegio quicumque illam possidet, transit enim res cum Privilegio suo ad quemlibet Possessorem, sicut ad eundem transit cum onere suo. Hinc, si Dignitatis Possessor annexum Dignitati Privilegium abjuret, non perit Privilegium quoad Dignitatem, sed quoad Personam tantum. Ad cuius intelligentiam Nota, in Privilegio, sicut in Dignitate, distingui posse proprietatem & usum; proprietatem Privilegii annecti Dignitatis proprietati, usum verò, usui; undè cum Dignitatis Possessor non habeat nisi illius usum, hinc fit, ut solo Privilegii usu potiat. Inferitur hæc Observatio ex *C. 6. citato.*

III. Privilegiati ratione Loci, Privilegium amittunt,

si ex illo exeant. *C. 16. 21. De Privil.* Hinc Monasterii vel Collegii Membra, quæ ratione Loci, in quo habitant, ab Ordinario Censuris ligari non possunt. *C. 1. De Privilegiis in VI.* iis subduntur, si illinc discesserint; hinc etiam, quicquid ab Exemptis ratione Loci fit, vel possidetur, extrâ Exemptionis Locum, Ordinarii Jurisdictioni subjicitur; undè, si delinquant, si contrahant, si rem possideant, ratione Delicti, Contractus, Rei, Episcopo subduntur. *Cap. 6. De fide Instrum.*

IV. Unum & idem Privilegium non potest simul esse *Donationis* & *Confirmationis*; sed istud illud supponit, adeò ut illius meminisse debeat, & sit nullius roboris, si illud non præcesserit, vel non valuerit. *ibidem Cap. 13. de Sent. & re jud.*

Si confirmetur validum Privilegium à Superiore Concedentis, novam & majorem accipit auctoritatem.

V. Privilegia in *Corpore Juris* clausa, sunt duplicis generis; sunt enim quædam, quæ haberi possunt tanquam Pars *Juris Communi*: talia sunt Privilegia Archiepiscoporum & Patriarcharum; conveniunt siquidem omni Archiepiscopo, & omni Patriarchæ, ideòque Commune Jus ergà illos faciunt; talia sunt etiam Privilegia quæcumque omnibus Regularibus communia, sunt etenim hæc Privilegia Jus Commune ergà Regulares.

Sunt quoque alia Privilegia, quæ censenda sunt velut Exceptiones *Juris Communi*; talia sunt, quæ quibusdam Regularibus conceduntur de non solvendis Decimis è terris, quas propriis manibus excolunt, vel de percipiendis Decimis Parochiarum, quarum Patroni sunt.

Privilegia in *Corpore Juris* clausa. *Cap. 10. De Rescriptis in VI.* ab aliis differunt in eo, quòd illis derogatur per Constitutiones contrarias, etsi de illis expressam mentionem non faciant; aliis verò Privilegiis nulla fiat Derogatio, nisi expressa sit in hujusmodi Constitutionibus; differunt etiam in eo, quòd qui Posterioribus innititur, illa exhibere debeat; non idem qui Prioribus.

VI. Privilegia *Juri Communi* contraria, *Cap. 18. De Consuetud.* sicut & Rescripta, Consuetudo, Statutum, Præscriptio, eidem *Juri* opposita, quoad fieri potest, restringenda.

VII. Privilegia toti *Corpori* concessa, sunt duplicis generis, alia enim concessa sunt in *Bonum & Commodum* cujusque Membri; alia verò in *Honorem* totius *Corporis*. *C. 12. De For. Compet.* Priori generi renuntiari potest à quolibet Membro: Posteriori verò non potest; cuius ratio: Quilibet proprii *Commodi* Dominus est, *Cap. 36. De Sententiâ Excommunic.* sed non *Commodi & Honoris* alieni.

Ob parem rationem. *C. 5. De Arbitris*, nulla Ecclesia, nullum Monasterium renuntiare potest Privilegiis, quibus illorum Ordinarius Superior illa sibi immediatè justâ de causâ subjecit, (Nota Exemptos in Gallia validè renuntiare Exemptioni sine Summi Pontificis consensu) nisi accedat hujusce Superioris assensus, ut accedere videtur tacitâ Renuntiationi, quæ Præscriptioni annectitur.

VIII. Partiale Exemptionis Privilegium *Cap. 10. De Privileg. in VI.* his & consimilibus modis dignoscitur, nempe, si concessa circa aliqua exemptione, addatur quòd *in indicium perceptæ libertatis solvetur annuus Census Ecclesie Romanæ.* Idem, si post illam adiciatur, ea Clausula in *Speciales Ecclesie Romanæ Filios assumpti sunt.*

Totale verò Exemptionis Privilegium his locutionibus exprimitur, nempe, si dicatur in Privilegio, vel in sententiâ super Exemptione principaliter pronuntiata, *Ecclesiam esse exemptam*; vel *juris BEATI PETRI existere*; vel *ad jus & proprietatem Ecclesie Romanæ*, vel *ad Romanam Ecclesiam specialiter*, vel *sine medio*, vel *etiam simpliciter pertinere*; vel *Ecclesiam esse liberam*; vel *Romanæ Ecclesie Libertate potiri*; vel demùm *hujus Ecclesie Ministros in proprios & speciales subiectos recipi*

recipi; vel in hoc speciali gaudere prerogativa; vel in indicium perceptæ Libertatis annum Censum Ecclesiæ Romanæ solvere; vel Papam ab Ordinarii Potestate illam eximere; vel nolle, ut isse audeat in illâ Cathedralam collocare, aut imperet, faciatur aliquam Ordinationem, etsi levissimam. Cap. 5. De Restitut. in integrum. Cap. 10. de Privil.

IX. Privilegium habendum est verum, cujus tenor invenitur incorruptus in Regeſto illius, qui concessisse dicitur.

Non sunt judicanda falsa Privilegia, vel falsitatis suspecta propter abrasionem in loco non substantiâli: Cap. 3. De fide Instrument. & Gloss. in Verbo Possessionibus, ut si quæ conceduntur circa Immunitates Possessionum, abradantur in loco, in quo Possessiones enumerantur, & abrasio respiciat tantum vel nomina, vel situm Possessionum, quæ aliâ verè ad Privilegia-tum pertinent.

Nota obiter, quòd loco Possessionibus, legendum videatur cum Cujacio, Positionibus vel Propositionibus, quæ hic nihil aliud sunt, quàm Facti narratio vel expositio, quòdque ista lectio alii, quæ in omnibus Codicibus habetur, sit præferenda, etsi in nullo Codice reperitur, cujus ratio est, quia lectio ista omnem ambiguitatem tollit, sensumque efficit congruum, qui talis est, Rescriptum Justitiæ non est falsum judicandum, nec falsitatis suspectum, etsi Litura sit in Narratione Facti, cum Privilegia, ut potè Rescripta Gratia, quæ falsa vel falsitatis suspecta facilius præsumuntur, non censentur falsitati veræ vel apparenti obnoxia, si in Facti expositione abradantur.

Si verò communis lectio retineatur, non nulla sub-intelligenda sunt, ut apprensus sensus habeatur, qualis, quem suprâ cum Glossâ, ac Interpretibus, qui eam communiter sequuntur, excogitavimus.

Adversario Privilegia falsitatis arguere volenti exhibenda sunt. Cap. 4. De fide Instrumentorum, idque in Loco congruo & securo.

Pendente lite circa falsitatem Privilegiorum, inviolabiliter observanda est Sententia, quæ illorum obtentu antea lata est. *ibidem*.

Privilegium sine falsitatis vitio esse videtur. Cap. 12. De Privilegiis. Si sine reprehensione Bullæ, Chartæ vel Litteræ appareat; omnis enim falsitatis Nota ex defectu Formæ desumitur. C. 6. De fide Instrum. defectus autem hujusmodi respicit, vel annotationem Indictionis, Scripturam Notarii, abrasionem, vel lituras: quæ omnia ad Litteram reducuntur, vel Sigillum, quod idem est cum Bullâ, vel Chartæ qualitatem, quæ tangitur voce Charta.

TITULUS IV.

Quæ necessaria, ut Privilegium valeat?

REGULA I.

Non valet Privilegium, nisi in eo exprimantur, quæ exprimenda sunt in Rescripto Gratia, ut valeat istud.

C. 22. De Verborum significatione. C. 19. de Præscription.

REGULA II.

Quæ irritant Legem, irritant etiam Privilegium.

C. 19. De Testibus, è quo colligitur, Privilegia Rationi contraria non valere, sicut nec Leges: Hinc, sicut Lex à non Habente potestatem condita, nulla est; ita Privilegium ab eo, qui concedere non valet, concessum, irritum est; undè nullius sunt roboris, tam Privilegium circa Temporalia ab Ecclesiâ concessum, quàm Privilegium circa Spiritualia à Principe datum.

REGULA III.

Privilegium, quod in alterius præjudicio conceditur, non valet, si istud à Concedente ignore-

tur, habendumque subreptitium, nisi motu proprio concessum fuerit.

Cap. 3. De Decim.

Hinc Privilegium super re litigiosa, pendente lite, concessum, non valet, Cap. 5. Ut lite pendente, nisi de lite mentionem faciat; hinc, si adverteatur compositioni inter aliquos facta, non valet nisi de compositione in eo fiat mentio.

Hinc, quoties subsistere potest Privilegium, sine alterius præjudicio, censendum est concessum sine tali præjudicio.

REGULA IV.

Si instrumentum, à quo originem accepit Privilegium, non valet, nec etiam Privilegium valet.

Cap. 13. De Sentent. & Re Judic.

REGULA V.

Privilegium Posterius, nisi de Priori, cui ad-versatur, mentionem faciat, non valet.

Cap. 14. De Præscript.

REGULÆ RATIO. Ignoratum præjudicium Concedentem à concedendo Privilegio dimovere potuisset.

REGULA VI.

Ut valeat, quoad effectum Privilegium, requiritur, ut illius notitia perveniat ad eos, quorum interest; nisi alicui potestatem adimat in alterius favorem; tunc enim sufficit, ut innotescat ei, cui favor.

Cap. 1. De Concess. Præb. in VI.

Hinc, si Privilegium alicui detur, quo ab Ordinario excommunicari nequeat, vel quo Beneficium primò vacaturum alii, quàm sibi conferri non possit, valet Privilegium, quoad effectum, etsi Ordinario notum non sit, sed soli Privilegiato; hoc enim Casu Excommunicatio, quâ Privilegiatum Ordinarius ligaret, nulla foret; Collatio quoque facta alteri, quàm Privilegiato, nullius roboris esset. *ibidem*.

TITULUS V.

Quibus Viis acquiratur Privilegium, vel non?

REGULA I.

In Corpore Juris non aliæ habentur Viæ, quibus Privilegium acquiratur, quàm istæ.

I. Canone à legitimâ Potestate condito. C. 8. CAUSÆ IX. QUÆST. III.

II. Rescripto ejus, cujus est Privilegium concedere. Cap. 8. Citato.

III. Consuetudine, quæ ad hoc esse debet rationalis & legitimè præscripta. C. 11. De Consuet.

IV. Præscriptione, quæ Quadragenaria esse debet, si de aliis Ecclesiis agatur, quàm de Ecclesiâ Romanâ, contra quam nulla valet nisi Centenaria. Cap. 14. De Privil. C. 4. 6. 13. 14. 17. De Præscript.

Differt autem Consuetudo à Præscriptione, in eo, quòd Præscriptio potest esse unius, Consuetudo non est nisi plurimorum.

V. In statum superiorem vel parem erectione. Cap. 16. De Major. & Obed. Hinc Ecclesiâ Archidiaconatum subdita, si in Cathedralam erigatur, illi subesse desinit; Idem de Capellâ Parochiæ subiectâ, si in Parochiam erigatur.

REGULA II.

Non aliis Viis acquiritur Privilegium, quàm expressis in Jure.

RATIO: alia Via excogitari nequit, quæ ad aliquam istarum non reducatur.

REGULA III.

Non acquiritur Privilegium Usurpatione & Surreptione.

C. 21. 22. DIST. XCIII.

TITULUS VI.

Qui Privilegia dare possint, quique in Canone id posse dicantur?

REGULA I.

Quicumque Leges vel Statuta condere potest, Privilegia quoque circa illa concedere potest.

REGULÆ RATIO. Ejus est solvere, cujus est ligare.

REGULA II.

Quando Privilegium Legi vel Consuetudini Universali opponitur, ab eo solo dari potest, qui à tali Lege dispensare potest.

C. 8. DIST. C. probat, tale Privilegium à Papâ concedi posse; Idem probat, C. 9. de Offic. Ordin. C. 8. CAUS. IX. QUÆST. III.

REGULA III.

Temerarium & indignum est, aliquem propriâ autoritate præsumere, quod alii, certâ ratione inspectâ, singulari concessum fuit Privilegio.

Cap. 9. De Privil.

REGULA IV.

Unum & idem Privilegium tam à Prælato Inferiori, quam à Superiori simul concedi potest.

Cap. 14. De Privileg.

REGULA V.

Privilegia, quibus Concedens alienos Subditos sibi immediatè subjicit, non ab alio manare possunt, quam ab Habente potestatem supremam.

Inferitur ex Cap. 9. De Offic. Ordin. Inferitur quoque ex omnibus Locis, in quibus vetatur Metropolitanò, ne in primâ instantiâ judicet, qui sibi non immediatè subsunt.

Hinc et si Metropolitanus, Primas, Patriarcha, sint Episcopis Superiores, non leguntur in Canone posse istorum Subditos sibi immediatè subjicere; de Papâ verò pluriès legitur id posse. Cap. 12. 13. De Privileg.

In Galliâ non valent hujusmodi Privilegia, nisi consentiant Prælati, quibus nocent.

REGULA VI.

Qui in Jure Canonico Privilegium dare posse dicuntur, hi sunt.

I. Papa Cap. 8. CAUS. IX. QUÆST. III. C. 12. 13. 14. De Privileg. & passim alibi.

II. Episcopus C. 14. De Privileg. C. 6. De Relig. Dom. C. 13. De Sent. & Re Jud. C. 5. De His, quæ sunt in part. decisa. Cui ad hoc necessarius est liber Capituli sui consensus, si Rem, vel Personam, vel Locum à suâ Jurisdictione eximat: Exemptio enim hujusmodi est quædam alienatio.

III. Concilium Particulare C. 46. CAUS. XVI. QUÆST. I.

IV. Concilium Generale C. 2. junctâ Correct. Rom. Nota & C. 17. CAUS. XXV. QUÆST. II.

TITULUS VII.

Quibus dari possunt Privilegia? Quibus de Causis? & Quomodo danda?

REGULA I.

Quibuscunque dari possunt Leges, Privilegia dari quoque possunt, si Gratiis quibusque Indignos exceperis.

REGULÆ RATIO. Privilegia sunt Leges privata. EXCEPTIONIS RATIO. Privilegia sunt Gratia.

REGULA II.

Collegio, quod nondum existit, Privilegia, sicut nec Leges, dare non convenit.

C. 5. De Eccles. adif.

REGULA III.

Privilegia, tam quæ à Jure Communi eximunt, quam quæ Concedenti vel Aliis sunt nociva, sine justâ causâ danda non sunt.

Prior Pars patet ex locis, quibus alibi ostensum est, sine justâ causâ à Lege non esse dispensandum. Posterior patet ex C. 16. De Cler. non Resid. & C. 9. De Decim. quæ docent revocanda Privilegia, quæ sunt nimium nociva.

REGULÆ RATIO. Prioris generis Privilegia sunt perpetua à Jure Dispenfatio: at Dispenfatio à Jure Nemini sine justâ causâ danda est; sicut nec Jus sine justâ causâ constituendum. Privilegia verò Posterioris generis à majori justâ causâ exigunt, cum injustum sit, ut sine sine justâ causâ sibi vel alii Quis noceat.

REGULA IV.

Quando Privilegium Superioris Dignitatis Inferiori communicatur, ita communicandum, ut Superiori sua supereminetia conservetur.

Colligitur è Cap. 6. De Privileg. in VI.

Hinc Abbatibus non est concedendus Episcopatum Ornamentorum usus, in his Cætibus, in quibus Episcopi suis utuntur. *ibid.*

REGULA V.

Qui similem cum aliis vitam suscipiunt, simili debent gaudere Privilegio; ac è contrâ.

C. 3. De Privileg.

Hinc Privilegiatorum Confratres, qui ad illos non omnino se transferunt, illorum Privilegiis non plenè potiuntur. Cap. 32. *ibidem.*

TITULUS VIII.

Circâ Quæ versetur Privilegium? & de Quibus id exprimat in Canone?

REGULA I.

Circâ eadem Privilegia versantur, circâ quæ Leges.

REGULA II.

Quæcumque præscribi possunt, ex Privilegio concedi possunt, et si Quædam nequeant præscribi, quæ ex Privilegio haberi possunt.

Exceptionis exempla leguntur Cap. 11. 12. De Præscr.

REGULA III.

Quæ dicuntur in Canone ex Privilegio concedi posse, hæc sunt.

I. Jurisdictionis tam Contentiosa, quam Voluntaria, tam Criminalis, quam Civilis, Cap. 12. De Excess. Præscr. C. 9. De Offic. Ordin. C. 13. De foro competenti.

Hinc cognitio Causarum Matrimonialium, injunctio Penitentiarum publicæ, Indulgentiarum Concessio, aliaque ejusmodi, quæ ad Episcopos Jure Communi pertinent, ex Privilegio aliis competere possunt; hinc Clericorum Capitulo servientium correctio & punitio, quæ

quæ Jure Communi ad Episcopum spectat, ex Privilegio ad Capitulum pertinere potest erga Diocesanos.

II. Jura Episcopalia & Parochialia erga Parochianos *Cap. 16. 17. De Excessibus Prælat. Cap. 18. 19. De Præscripti.* Si enim, dum alii his juribus subduntur, ab his eximamur, exemptio nostra est Privilegium. Hinc, cum Jus Episcopale sit, ut Diocesanos ad Synodum venire cogat; Regulares, qui ab hoc Jure eximuntur, Privilegiati sunt. Cum Jus audiendi Parochianorum Confessiones, aliaque Sacramenta Parochianis ministrandi, Parochiale sit, quibuscunque concessum est, ut ab alio Sacramenta recipere possint, quam à Parocho, Privilegium acceperunt. Plurima possent afferri exempla alia, quæ *cit. Cap. 1.* aliaque non pauca subministrarent, sed allata sufficiunt.

III. *Cap. 9. De Offic. Ord. in IV.* Vacantium Ecclesiarum fructus, ex speciali Privilegio pertinere possunt Prælati, quibus subjectæ sunt; Idem dic de spoliis defunctorum illarum Rectorum.

IV. *Cap. 21. 22. DIST. XCIII.* Vestes Sacræ, ut Compagæ, & Mappulæ, quibus Clerici uti non possunt sine Privilegio ab Apostolica Sede concessio: dicendum idem de Pallio, quò in Divinis uti non licet nec Episcopis, nec Archiepiscopis, nec aliis Papæ Inferioribus, sine speciali Sedis Apostolicæ gratia: *tota DIST. C. totus TITULUS De Usu & Autorit. Pal.*

V. Sacra Ordinum Officia erga Monachos, qui Solitariam Vitam vovent & vivunt; ad ea enim vocari nequeunt sine concessio à Papâ, vel ab Episcopis Privilegio. *C. 9. &c. CAUS. XVI. QUÆST. I.*

VI. Electio ad Abbatiam vel ad Episcopatum. *Cap. 39. CAUS. XVI. QUÆST. I.* Monasterio siquidem concedi potest, quod illius Abbas eligi nequeat sine Regali Provisione, quòdque Electus Abbas non possit ad Episcopatum prochi.

VII. Ut omnia uno verbo comprehendantur, ex Privilegio concedi posse in Canone dicuntur quæcunque res, circa quas in Corpore Juris extant concessa Privilegia, quæ colliguntur in *TIT. De Privilegiis in Corpore Juris clausis.*

REGULA IV.

Non extat in Jure Privilegium, quo Quis possit cum Excommunicatis communicare & sine Excommunicatione manus violentas in Clericum injicere. *C. 8. De Sent. Excommunic.*

TITULUS IX.

De Pertinentibus ad Privilegiorum Formam.

REGULA I.

Concessa aliter, quam Scripto, Privilegia valent. *C. 7. CAUS. XXV. QUÆST. II.*

REGULA II.

Nulla alia in Jure reperiuntur, quæ ad Privilegiorum Formam quodammodo pertineant, quam ista; Data, Indictio, Charta, Encaustum, Scriptura, Sigillum, Locutiones, quibus exprimuntur; circa quæ nihil aliud docet, quam quod continent sequentes Regulæ.

C. 6. De Fide. Instr.

REGULA III.

Falsitatis suspecta habentur Privilegia, vel falsitatem ut invalida habentur.

I. Si consumpta fuerint in Indictionis annotatione, ubi falsitas facilius deprehendi potest, vel si in eo loco sit ratura. *ibidem.*

II. Si Scriptura appareat recentior, Charta verò sit vetustissima; *ibidem.*

III. Si aquâ infectum videatur Encaustum, ut Scriptura recens, antiqua appareat. *ibidem.*

IV. Si enormis sit in Sigillo fractura, vel si Imago non conveniat Privilegium Concedenti, vel si Sigillum Chartæ subjunctum videatur. *ibidem.*

V. Si manu publicâ non sit confectum. *ibidem.*

VI. Si Nomen proprium Concedentis cerò legi non possit, vel quia deletæ sunt Litteræ præcipuæ, vel aliâ de causâ. *ibid.*

REGULA IV.

Si Privilegium Exemptionis sit totale, & de Ecclesia agitur, his & similibus loquendi modis exprimitur.

C. 10. De Privileg. in VI.

1. Ecclesia Exempta sit Libera, vel libertate Ecclesiæ Romanæ potiatur. 2. *Beati Petri* juris existat, ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ, vel ad illam specialiter, vel sine medio, vel simpliciter pertineat. 3. In hac prærogativâ gaudeat speciali. 4. Ad perceptæ Libertatis Indicium, Ecclesiæ Romanæ Census solvat annum. 5. Episcopus non audeat in illâ Cathedralam collocare, imperare, vel Ordinationem facere. 6. Hujus Ecclesiæ Clericos in proprios & speciales Subjectos Ecclesiæ Romanæ suscipimus.

REGULA V.

Si Privilegium hujusmodi parziale sit, his & similibus concipitur loquendi modis. *ibidem.*

In tali re vel articulo exempta sit Ecclesia, ut, verbi gratiâ, Censuris Ordinarii non subjiciatur: idque locum habet, etsi addatur Clausula de solvendo annuo Censu Ecclesiæ Romanæ, ad perceptæ Libertatis indicium. Hæc enim Clausula restringenda est ad præmissum Libertatis articulum.

Cætera, quæ ad Formam Privilegiorum spectare possunt collecta sunt, in *TIT. De Interpretatione Privilegiorum.*

TITULUS X.

Quid Privilegia efficere possint, vel non possint?

REGULA I.

Quidquid à Privilegiato exigitur contra Privilegii sui tenorem, id licitè denegat, etsi à Superiore petatur.

Cap. 5. De Excess. Prælat.

Hinc, si quid Episcopi ab Abbatibus exigunt contra Libertatem Ordini suo à Summis Pontificibus concessam, Abbates denegare possunt.

REGULA II.

Sententia legitimo Privilegio contraria, non valet.

C. 7. Eod. TIT.

Hinc, si qui Clerici vel Regulares à dimidio procurationis ob Visitationem debitæ eximerentur, atque Censuris ferirentur, à Superioribus ex eo solo, quòd nolunt integram persolvere, nulla foret Sententia. Infertur ex *citato Cap. 7.*

REGULA III.

Singulorum Privilegia Legem Communem facere non possunt, sive quod eodem recidit, Privilegium Personale ad Jus Commune trahi non potest.

Cap. 39. CAUS. XVI. QUÆST. I. C. 2. CAUS. XXVI. QUÆST. II. GRATIANUS post C. 16. CAUS. XXV. QUÆST. I. C. II. De Concess. Præb.

REGULA IV.

Ut Legi, sic Consuetudini Universali derogare potest Privilegium,

C. 7. DIST. C.

REGULA.

REGULA V.

Exemptio ab Ordinarii Jurisdictione non efficit, ut si Exempti publice delinquant, vel Privilegiorum metas transgrediendo, vel non concessas Immunitates sibi vindicando, ab Ordinario corrigi ac coerceri nequeant.

C. 10. 11. De Privil.

REGULA VI.

Quidquid fit contra alicujus Privilegium, ab alio, quam ab eo, qui Privilegio renuntiare vel derogare potest, rescissioni obnoxium est.

C. 10. De Elect.

REGULA VII.

Cessante Causa Privilegii, non cessat jus acquiritum illa durante.

C. 6 De Excomm.

Hinc, Impubes, qui incidit in Canonem, si quis suadente, absolvi potest ab Ordinario etiam post pubertatem. Idem dicendum videtur de Religioso, qui post lapsum in hujusmodi Excommunicationem, & ante obtentam illius Absolutionem invalide Professus declaratur, atque ex Regulari Statu egressus, ab incurfa Excommunicatione absolvi petit.

REGULÆ RATIO: In Casu isto non attenditur tempus, quo Absolutio petitur, sed tempus, quo commissa est culpa.

REGULA VIII.

Privilegii Autoritas circa rem in ea contentam, contrariæ Testium Depositioni, circa eandem rem, præferenda est.

C. 13. De Prescript.

REGULA IX.

Ut inanes rejiciuntur Litteræ Privilegiis contrariæ, nisi de iis mentionem fecerint.

C. 20. De Sent. & Re Jud.

REGULA X.

Non retractatur Sententia Privilegio adversa, ob repertum postea Privilegium, secus, si ex negligentia Procuratoris ostensum non sit.

C. 21. De Sent. & Re Jud. C. 2. De in integr. Restit.

REGULA XI.

Privilegium, contra quod sciens Judex judicat, tanquam reprobatum habetur, fitque nullius vis, si irreformabile sit latum judicium.

C. 21. De Sent. & Re Judic.

REGULA XII.

Privilegium non derogat Conventioni, nisi de illâ mentionem faciat; idem de omnibus dicendum, quæ in factis consistunt.

C. 3. De Decim.

REGULA XIII.

Pendente circa Privilegium lite, Qui in illius est possessione, in eâ relinquendus est, usque ad Definitivam Sententiam.

C. 1. Ut lite pend.

REGULA XIV.

Privilegium post Præscriptionem inceptam obtentum, illam inutilem facit.

C. 19. De Prescr.

REGULÆ RATIO: Vel enim consummata est Præscriptio, quando obtinetur Privilegium, & tunc ipsa Privilegii impetratione Præscriptioni renunciatur; vel non est consummata, & tunc impetratione Privilegii interruptitur Præscriptio.

TITULUS XI.

Quomodo Interpretanda Privilegia?

Ad dilucidam hujus Quæstionis solutionem, supponendum inter Privilegia, nonnulla esse, quæ Nemini præjudicant; quedam, quæ Concedenti tantum sunt onerosa; alia, quæ aliis, quam Concedenti nocent; alia denique, quibus restituitur Jus Commune per Derogationem Consuetudini huic Juri contraria.

REGULA I.

Privilegia Nemini nociva, vel soli Concedenti, sunt largissimè interpretanda.

Hinc, Beneficium Principis est largissimè interpretandum. Cap. 16. De Verb. signif. In Beneficiis plenissima est interpretatio facienda. C. 22. De Privil. Idem dicendum de Privilegio Jus Commune partim restituyente. C. 18. De Verb. signif. Idem quoque de Privilegio Divino Cultui favente. C. 30. De Privil. Hinc de his Privilegiis intelligendum est, quidquid de favorabili Privilegiorum Interpretatione in Jure Canonico habetur: idèoque ad illa non extendendum, quod circa strictam Privilegiorum Interpretationem mox collecturi sumus.

REGULA II.

Privilegia Aliis, quam Concedenti onerosa, strictè interpretanda sunt, atque, quoad fieri potest, restringenda; idem dicendum de Privilegiis utilitati publicæ contrariis.

C. 16. 17. 18. 19. De Privil. C. 41. De Conc. Præb.

Hinc Privilegia ad Jus Commune revocanda, sive quod eodem recidit eo sunt interpretanda modo, quo à Jure Communi minus recedant. C. 18. De Censu. C. 31. De Privileg. C. 6. De Consuet. C. 10. 19. De Privil. Cap. 30. De Privil. Cap. 17. De Verborum signif. C. 7. 8. De Privil.

Hinc Privilegia ista de Casu in Casum, de Persona in Personam, de Loco in Locum, de Re in Rem non sunt extendenda. Hinc non censetur concessum, nisi quod in Privilegio exprimitur. Hinc Clausula, *Salvo aliorum jure*, censetur subintellecta, nisi aliàs fiat inutile Privilegium. Hinc Privilegia, quæ à servando Interdicto in parte eximunt, sunt restringenda, quantum patitur Privilegiorum Textus.

REGULA III.

De sensu Privilegii ex illius tenore judicandum.

C. 9. De Sepulturis docet, quod in quibusdam Privilegiis Clausula *salvo aliorum jure* apponi solear. Praterèa in plerisque Privilegiis, quæ in Corpore Juris clauduntur, inserta est, undè inferre fas est, illam subintelligi, cum non apponitur.

REGU.

REGULA IV.

Ecclesia non censetur Exempta ab Ordinarii Jurisdictione ex eo, quod Ecclesie Romanæ Census solvat; nisi in Instrumento Census illum in indicium libertatis perceptæ solvere dicatur. C. 10. De Privil. in VI. quæ Clausula denotat plenam Exemptionem, nisi subjungatur concessæ quoad unum alterumve libertati.

REGULA V.

Qui cum rebus suis sub Papæ Protectione suscipitur, non ideo Ordinarii sui Jurisdictioni subtrahitur.

C. 18. De Privileg.

REGULA VI.

Ubi majus concessum est, ibi minus concessum esse videtur, sive, Quod in majori conceditur, licitum videtur in minori.

C. 27. De Dec. C. 13. Qui Filii sint Legiti.

Restringenda Regula ad Casum, in quo plus continet quod est minus; nempe quando agitur de rebus ejusdem ordinis & generis, nec aliunde justæ urgent rationes, quæ suadeant minus exceptum esse, quales extant, quando Privilegium nimium nocivum fit, si minus majori jungatur.

Hinc in Privilegiorum Materia non valet ratiocinium à pari; imò nec à majori, nisi in Casu mox expreso. C. 9. de Privil.

REGULA VII.

Ab eo est facienda Privilegii interpretatio, à quo concessum est, idque tunc maximè, quando timendum videtur, ne minùs, sanè intellectum ad abusum trahatur.

C. 12. De Jud. C. 23. De Verb. Signif. C. 24. De Privil.

Hinc Sedis Apostolicæ Privilegia ab illâ sunt interpretanda.

REGULA VIII.

Privilegia eo modo interpretanda sunt, quo valeant potius, quàm pereant.

C. 25. De Verb. Signif. C. 6. De Fide Instr.

Hinc, cum Privilegium esse nequeat Confirmatorium & Donatorium circa eandem rem, ita interpretandum, ut sit partim Donatorium, partim Confirmatorium. Hinc rejiciendæ interpretationes. C. 30. De Privil. quibus admittis, Privilegia nihil indulgent.

REGULA IX.

Privilegia interpretanda sunt secundum Multitudinis sensum Regionumque eorum, quibus data sunt, Consuetudinem.

Cap. 3. De Consang.

Hinc aliàs si indulgeretur alicui Nationi. Cap. 3. Cit. ut in Sexto Gradu Consanguinei invicem conjungi possent, hæc Indulgentia intelligenda erat tantum de iis, qui in Sexto utrobique erant, non de iis, quorum alter in Sexto alter verò in Secundo, vel Tertio, quando Consuetudo terræ erat, ut separarentur qui juxta unam Lineam in Sexto erant, & juxta aliam in Tertio.

REGULA X.

Non sunt ita interpretanda Privilegia, ut plus dispendii, quàm utilitatis afferant Privilegiatis.

C. 33. De Privil. C. 6. De Elect. C. 61. De Regul. in VI.

REGULÆ RATIO. Quæ in favorem alicujus introducta

sunt, in ejusdem læsionem redundare non debent.

C. 25. De Verb. Signif.

REGULA XI.

Privilegium in quo quidpiam conceditur juxta præteriti temporis morem, non conditionaliter, sed causaliter est intelligendum; id est non judicandum, illud concedi si talis fuerit temporis præteriti mos, sed potius, quia talis est,

REGULA XII.

In Privilegiis verbum generale indefinitè prolatum ad futurum extenditur.

Cap. 22. De Privil.

REGULA XIII.

Quoties plura extant circa idem Privilegium Rescripta Priora, si obscura sint, per Posteriora sunt interpretanda.

C. 25. De Verb. Signif.

REGULA XIV.

Quando ea, quæ in Privilegiis continentur, pendunt ex Locorum Consuetudine, interpretanda sunt juxta Locorum, in quibus degunt Privilegiati, Communem Usus.

C. 9. De Sepult.

REGULA XV.

Quando Privilegium ad petitionem illius, qui accipit, conceditur, ex Forma petitionis, quæ in ipso declaratur, explicari potest, si obscurum sit.

C. 6. De Fide Instrum.

Cæteræ, quæ ad Privilegiorum interpretationem pertinent, Regulæ collectæ sunt in Titulo De Formâ Privilegiorum circa Locutiones, quibus Privilegia conspiciuntur.

TITULUS XII.

Quomodo servanda sint Privilegia

REGULA I.

Circâ Privilegiorum Observationem Quinque attendenda potissimum sunt.

I. Autoritas Concedentis. C. 2. 5. CAUS. XXV. QUÆST. II.

Hinc Privilegia à Conciliis, quibus præfuit Spiritus Sanctus, quorumque Canones totius Mundi reverentiâ consecrati sunt, præ cæteris servanda sunt, nec in fraudem illorum ferendæ sunt Sententiæ. C. 26. De Privilegiis. Idem dicendum de iis, quæ Universalis Ecclesie consensu firmantur, nec non de illis quæ, Veneranda concessit, & probavit Antiquitas. Hinc Metropolitanorum Privilegia ob totidem causas illæsa manere debuissent, sed præcipuè Privilegium celebrandi Concilia, Majoraque suæ Provinciæ in illis judicandi, aliavè tractandi Negotia. Hinc Privilegii Apostolicis deferri debet. C. 16. De Privil.

II. Utilitas Rei Concessæ. Cap. 2. Cit. in fine, ut in Correct. Rom. C. 9. ibidem.

Hinc servanda sunt Monachis Privilegia, quibus vel ab audiendâ in Parochiis suis Missâ, aliisque Officiis, vel à solvendis Temporalibus Juribus ab aliis, Parocho vel Episcopo debitis eximuntur; Prius siquidem Solitariæ Monachorum Vitæ favet, removens ab illis, quam fugiunt, Dispationis, vel Divagationis materiam; Posterius, quam vovent, honorat paupertatem.

Hinc

Hinc etiam servandum est, concessum Clericis, ut & Monachis, Privilegium Canonis, quo conservatur Ministris Dei præcipuisque illius debitus honos.

III. *Privilegiati merita.* C. 2. De Privilegiis EXTRAV. COMMUN. in quo CLEMENS V. declarat ob merita PHILIPPI PULCHRI, & Prædecessorum suorum, nec non & Francorum, se nolle Regi, vel Regno, vel Regnicolis præjudicari per EXTRAVAG. *Unam Sanctam.* C. 1. Eod. TIT. in quâ BONIFACIUS VIII. definit, omnes Reges in Temporalibus Romanæ Ecclesiæ subesse.

Hinc concessa Franciæ Regibus Privilegia, ne Censuris ferri queant; ne Interdicto subijci possit illorum Regnum; ut in Regionibus Bello quæsitis, sicut in Regno suo, ad Consistorialia Beneficia nominet; adeo servanda sunt, ut revocari nequeant, nec illis derogare fas sit. Cujus Ratio: hujusmodi Privilegia oneroso titulo acquisita sunt, nimirum insignibus erga Ecclesiam Romanam beneficiis: injuste ergo violantur.

IV. *Gravia, quæ ex injustâ Privilegiorum violatione sequuntur incommoda.* (C. 4. 7. 10. CAUS. XXV. QUÆST. II.) quorum in Canone ista exprimuntur. *Prelatus, qui data à Prædecessoribus Privilegia non servat, Everfor est, non Constructor, exemplo suo Successores docet, ut quæ concessit, dissolvant, injuriam sibi ipsi facit, cui successit, inhonorans.*

V. *Privilegiorum Verba, tenor, & Concedentis intentio;* circa quæ docet Jus Canonicum, non esse à Verbis Privilegiorum recedendum, dum clara sunt. C. 8. 12. De Decim. C. 7. De Privileg. nec à Concedentis intentione, quando manifesta est; eoque Casu Privilegium integrè servandum.

Hinc, cum per Labores Monachorum intelligatur tam Cultura terrarum Novalium, quam Antiquarum, non sunt cogendi, ut de antiquis Decimas solvant, si à Decimis laborum suorum sunt exempti. Hinc etiam cum evidens sit illum, qui Decimas simpliciter concedit, dare velle quidquid nomine Decimæ intelligitur, nomineque isto intelligi tam futuras, quam præsentis, tam Novales, quam Antiquas Decimas, ab hujusmodi Privilegio, quo Decimæ sine restrictione dantur, non sunt excipiendæ Decimæ vel futuræ, vel novales; Exemplum prius habetur in C. 12. De Decim. posterius legitur in C. 27. Eod. TIT. Hinc Privilegiorum limites nec à Privilegiatis, nec ab aliis transgrediendi sunt. C. 1. De Privil. in VI. Hinc Inferior non tenetur obedire Superiori aliquid exigenti vel percipienti contra tenorem sui Privilegii. C. 5. De Excess. Præl.

REGULA II.

Privilegia, quæ non sunt manifestè nulla, nullo modo sunt violanda, maxime si Ecclesiis, vel Episcopo, aut Monasteriis, concessa fuerint.

C. 2. 20. CAUS. XXV. QUÆST. II.

Hinc non licet Episcopo excommunicare Communicantes cum Religiosis, quibus indultum, ne ab ipso excommunicari queant; hoc enim modo indirectè violaret concessum his Religiosis Privilegium. C. 26. De Privil.

REGULA III.

Sicut Privilegiati non sunt frustrandi Privilegiorum suorum effectu, ita jure suo contenti, debent non impedire justitiam aliorum

C. 6. De Privil. in VI. C. 10. De Privil.

REGULA IV.

Qui Privilegii conditionem non implet, illius fructu gaudere non debet.

C. 12. De Cler. non Resid.

Hinc Canonici non gaudent Privilegio Clericorum non residentium Studiorum causâ, si alibi morentur, quam in Locis, ubi sunt Studia Generalia. *ibidem.*

REGULA V.

Gratiæ, quæ si ad consequentiam traherentur, in fraudem Canonum justorum fieri possent, semel executioni mandari possunt, sed ne, in posterum fiant, impediendum.

C. 11. De Concess. Præb.

Hinc, cum Privilegium, quo cuidam conceditur Potestas conferendi Beneficium primò vacaturum, si ad consequentiam traheretur, concedi posset in fraudem Canonis saluberrimi, quo Beneficia promitti prohibetur, antequam vacent, servari semel potest, sed impediendum, ne hujusmodi Privilegia in posterum concedantur, *ibid.*

REGULA VI.

Si concessam sibi Indulgentiam non servat Privilegiatus, alii servare non tenentur.

C. 22. De Præb.

Hinc, si Capitulum, cui Papa concessit Privilegium de non excedendo certo numero Canonicorum, non servat, Papa illud servare non tenetur; Quod de hoc, post abrogata Mandata Apostolica, factò inutili Privilegio in exemplum adducitur, ad alia, quæ adhuc vigent vel vigere possunt, extendendum est.

TITULUS XIII.

Quibus modis amittatur Privilegium?

REGULA

Quibus modis acquiritur Privilegium, iisdem amittitur.

C. 1. De Reg. Juris. & C. 22. De Præbend.

Hinc amittitur Privilegium Canone, vel Rescripto, vel Consuetudine, vel Præscriptione sibi contrariis; Hinc etiam si Præscriptione id fiat, & agatur de Privilegio, quo quis Exemptus Sedi Apostolicæ immediate subijcitur, centenaria debet esse Præscriptio. C. 4. De Confirm. utili vel &c.

Sed præter istos sunt alii, nempe 1. *Renuntiatio*, tacita vel expressa; Tacita, quando à Privilegiato fiunt actus contrarii Privilegio, vel patitur ab aliis fieri. Hinc Renuntiatio tacita semper reperitur in Præscriptione, cum non acquiritur nisi alterutro modo. C. 8. De Constitut. Expressa, quando Privilegiatus verbo vel scripto declarat, se Privilegio suo uti nolle. Qui modus tamen locum non habet in Privilegiis, quibus Membra gaudent propter honorem Corporis: his enim facta à Membris renuntiatio non valet. C. 12. De Foro Compet. C. 36. de Sent. Excomm.

2. *Abusus Privilegii*; qui enim eo abutitur, illud amittere meretur; idem dic de Usurpatione juris non concessi, quod de Privilegii abusu. C. 7. DIST. LXXIV. C. 63. CAUS. XI. QUÆST. III. C. 11. 24. De Privilegiis.

3. *Enormia Crimina* Clericum exuunt Privilegio Fori & Canonis, si in his deprehendantur. C. 22. CAUS. XXV. QUÆST. II. C. 27. De Privileg. C. 23. 35. De Sentent. Excom. C. 16. De Vita & Honest. Eadem quoque amittit, si ut Laicus incedens in delictis deprehendatur.

4. *Derogatio*, quæ pars Privilegii, vel usus amittitur, quæque sit vel à Concedente, vel à Confirmante, vel à Possessore; ab isto, si tale sit, cui renuntiare possit; ab Aliis, nisi titulo oneroso comparatum fuerit. C. 8. De Rescript. in VI. C. 1. De Pænis in VI. C. 18. De Præscript.

5. *Sententia Arbitri, vel aliis Judicis.*

6. *Cessatione causæ.*

7. *Si maxime damnosum fiat.*

Notandum circa vias sive modos, quibus dictum est, amitti Privilegia, unam & alteram tantum esse, quæ non cesset ipso facto, nempe abusum, & cessationem causæ; sunt enim duntaxat motiva illa revocandi.

Singula

Singulos hos Privilegiorum amittendi modos GLOS-
SA his Versibus comprehendit.

*Indultum tollit Contemptus, Crimen, abusus,
Oppositum factum, damnnum, tempus variatum.*

Per *Contemptum* intelligit Renuntiationem tacitam
vel expressam: Distinguit *Crimen ab abusu*: licet abusus
sit quodque Crimen; & non immerito, quia sunt
Crimina, ut inferius in Quæstionibus dicitur, quibus
ipso facto cessat Privilegium; abusus verò non privat
ipso facto, sed meretur tantum, ut quis eo privetur.
Per *Oppositum factum* intelligi potest actus contrarius
Privilegiati, quo etiam unico cessat Privilegium, quia
continet renuntiationem tacitam; vel Actus contra-
rii illorum, quos Privilegium lædit, qui Actus plures
esse debent, & durare per 40. annos pacificè, non
conquerente Privilegiato, & sine interruptione. Prop-
ter *damnnum* non perimitur ipso facto Privilegium, sed
causa iusta est illud revocandi. Idem dicendum de *tem-
pore variato*, hic modus idem est ac cessatio causa.

Iis modis, quibus amitti potest Privilegium, unum
adhuc adicere licet, nempe *ipsam jacturam Instru-
menti Privilegium continentis*, si ipsa jactura probari
nequeat, nec Testibus Deponentibus se legisse ea, quæ
continebat, nec scriptis Instrumentis de illo mentionem
facientibus, & de iis, quæ concedebat.

TITULUS XIV.

De Privilegiorum Innovatione.

REGULA I.

Non alii in Jure Canonico exprimuntur Ca-
sus, in quibus innovandum sit Privilegium, quam isti.

1. Si deperdatur, & per Testes probetur deperditio,
atque etiam per eosdem testimonium de illius tenore
feratur.

2. Quando iustus est timendi locus, ne pereat Pri-
vilegium, C. 4. de *Confirm. utili*, ut, cum nimia vetu-
tate jam quasi consumptum est, vel cum scriptum
est, vel insculptum in materia, quæ facile consumi-
tur, qualis vetus papyrus, quale etiam lignum com-
mune, vel cum mittendum est ad Judicem per vias
discrimine plenas, quo casu Judex Commissariis ali-
quibus injungere debet, ut illud diligenter inspiciant,
& illius tenorem fideliter transcribentes sub sigil-
lis suis transmittant.

REGULA II.

Privilegii Innovatio nec addit novum jus, nec
confirmat vetus, sed tantum conservat.

Cap. 13. de *Privil.* C. 4. de *Confirm. utili*.

Nota obiter, duplicem distinguendam Innovatio-
nem; aliam, quæ fit, quando Privilegium transcribi-
tur, aliam, quæ fit, quando concessum jam Privilegium
de novo datur; de Priori loqui C. 12. de *Privil.* & C.
4. de *Confirmatione*; de Posteriori C. 13. de *Privile-
giis*. Regulam primam Priori tantum convenire; se-
cundam verò, utrique.

REGULA III.

Privilegii Innovationem petere possunt hi, quo-
rum interest, eamque à Concedente.

C. 13. de *Privilegiis*.

Hinc, si pendente lite, alterius Partis interfit, ut
Privilegium innovetur, innovationem petere potest.
Ibidem.

TITULUS XV.

De Usurpatoribus Privilegiorum ac de eorum Con-
temporibus.

REGULA I.

Privilegiorum Usurpatores coercendi sunt, ne
ad talem usurpationem aliis via aperiat.

C. 21. DIST. XCIII.

Tom. I.

REGULA II.

Coercendi sunt ab Ordinario Exempti, qui
Immunitates non concessas, tanquam concessas;
temerè sibi vindicant.

C. 11. de *Privileg. in integr.*

REGULA III.

Ecclesiastica Privilegia Calcantes, Sacra Corpo-
ris Christi Communionem privandi sunt.

C. 24. CAUS. XII. QUÆST. II.

REGULA IV.

Privilegiis propriis privandus est, qui aliena con-
temnit.

C. 4. de *Privil.*

TITULUS XVI.

De Privilegiis clausis in Corpore Juris.

REGULA.

Non alia sunt in Corpore Juris clausa Privile-
gia, quam ista.

I. Monachi à Lege Diocesana, sive à Juribus Tem-
poralibus Episcopo solvendis eximuntur. C. 34.
CAUS. XVI. QUÆST. I. C. 18. de *Offic. Ord.*

II. Prædecessores Hadriani omnibus ferè Religiosis
concesserant, Cap. 10. 34. de *Decimis*, Decimas La-
borum suorum; Hadrianus hoc Privilegium restrinxit
ad Cistercienses, Templarios, Hospitalarios; Cæte-
ris verò indulsit tantum Decimas Novalium, quæ pro-
priis manibus excolunt; hanc restrictionem ab Ha-
driano factam confirmavit Honorius III. verum Inno-
centius III. in CONCILIO GENERALI Privilegium Cis-
terciensium, aliorumque Regularium, qui similibus
gaudebant Privilegiis, eo modo moderatus est, ut
quoad terras jam possessas restaret incolume, sed ad
acquirendas non extenderetur.

III. Plerisque Privilegiatis circa Decimarum percep-
tionem, C. 2. de *Decim. in VI.* indultum erat, ut pro-
portione, quæ Veteres recipiebant, Novales perciperent,
nisi Veteres totaliter percepissent, quo casu medie-
tas Novalium sibi tantum debebatur: ab hac restric-
tione Cistercienses & Carthusiani excipiebantur.

IV. Speciali Privilegio concessum est Hospitalariis,
Cap. 10. de *Sepult.* ut in Ecclesiis suis sepeliant, qui in
illis sepeliri volunt. Idem Privilegium concedit Cle-
mens V. in CONCILIO VIENNENSI Clem. 2. de *Sepultura*.
Fratribus Prædicatoribus, & Minoribus, salvo jure
Parochorum.

V. Iisdem idem Papa concedit *ibidem*, ut invitis
Episcopis possint Confessiones audire, si ex Religiosis
à Prælati Regularibus sibi præsentatis nullum velint
ad audiendas Confessiones approbare. C. 15. SESS.
XXIII. derogat huic Privilegio CONCILIUM TRIDEN-
TINUM.

VI. Hospitalariis concessum est, Cap. 8. de *Privil.*
in 1. *Collect.* ut in eorum adventu semel in anno Di-
vina Officia celebrentur in Ecclesiâ interdictâ.

VII. Canonici Capellæ Ducis Burgundiæ à nullo
Episcopo nec Archiepiscopo Censuris ligari possunt,
Cap. 16. de *Privileg.* Idem Privilegium quàm-
pluribus Religiosis concessum erat, imò & multis
aliis, quoad quos restrictum ita est, ut Ordinario-
rum Censuris per Sententiam latis subjiciantur. C. 5.
de *Privileg. in VI.*

VIII. Fratribus Prædicatoribus & Fratribus Mino-
ribus concessum est, C. 30. de *Privileg.* ut cum Al-
tari viatico, ubicunque velint, celebrare possint. C. 12.
de *Privileg. in VI.* Idem dic de Episcopis, in quo-
rum honorem additur, quod possint per alios coram
se sibi facere celebrari.

Notandum, quod citato Cap. 30. de *Privileg.* prout
est in 5. *Collect.* Minorum tantum meminit, quodque
à GREGORIO IX. ad Prædicatores extensum est.

IX. Qui student Romæ Juri Canonico vel Civili, iisdem Privilegiis, quibus Studentes in Studiis Generalibus, potiuntur. *C. 2. De Privileg. in VI.*

X. Canonici à Capitulis missi ad vacandum Theologiæ in Studiis Generalibus, per Quinquennium Beneficiorum suorum redditibus gaudent. *C. 5. De Magistr.*

XI. Parochi eodem Privilegio gaudent per Septennium, si permittente Episcopo, illud tempus in Studiis Generalibus transigant, *C. 34. De Elect. in VI.*

XII. Patriarchæ *C. 23. De Privileg.* Cæteris Episcopis præminent; Constantinopolitanus Primum post Papam occupat locum; Alexandrinus Secundum; Antiochenus Tertium; Hierosolymitanus Quartum; post acceptum à Papâ Pallium suis Suffraganeis largiuntur, Crucem antè se deferri faciunt, ubique, exceptis Locis, in quibus adest Papa, vel illius Legatus Apostolicæ Legationis utens Insignis.

XIII. Anglis concessum dicitur, *C. 17. De Foro Compet.* Privilegium, quo citrà Mare pro Causis Pecuniariis conveniri non possint; idque à Sede Apostolicâ *Cap. 17. De Foro Competenti.* De hoc Privilegio tanquam de re certâ non loquimur, quia GREGORIUS IX. è quo *C. cit.* sumitur, de illo dubitare videtur.

XIV. *C. 1. Ut Lite pendente.* Eboracensi Archiepiscopo concessum erat ab HONORIO II. ut per totam Angliam Crucem deferre posset, quod ab ALEXANDRO III. confirmatum fuerat.

XV. *Clem. 2. De Privileg.* permittitur Archiepiscopo, ut per quævis Loca exempta Provinciæ suæ, Crucem deferre faciat, Populo benedicat, Divina privatim & publicè audiat, eademque celebrare in Pontificalibus possit, vel coràm se celebrari faciat sine Pontificalibus; eadem permittuntur Episcopo præter primum, quod sibi non convenit.

XVI. Sunt Abbates, quibus indultum est, *Cap. 3. De Privil. in VI.* ut, dum Officia Divina celebrant in Ecclesiis sibi pleno jure Subjectis, post Missarum Solemnia & Vespertinas ac Matutinas Laudes Populum solemniter benedicere possint, utque Conversis Monasteriorum suorum, super quos Jurisdictionem quasi Episcopalem exercent, Tonsuram conferre valeant Clericalem.

XVII. *C. 6. De Privil. in VI.* Abbatibus, tam non Exemptis, quam Exemptis, concessus est usus Mitræ, modò in Conciliis Provincialibus, quibus interesse debent, non Exempti utantur tantùm Mitris simplicibus albis ac planis; Exempti verò aurifriziatis, sine Laminis aureis, vel argenteis, & sine gemmis.

XVIII. Episcopis, *Cap. 4. De Sent. Excomm. in VI.* illorumque Superioribus indultum est, ne Censuris ipso facto incurrendis subjiciantur, nisi in Canonibus, quibus feruntur, exprimentur.

XIX. *C. I. CAUS. XVI. QUÆST. II.* omnibus Monachis datur licentia, ut Ecclesiarum suarum Presbyteros investiant, id est instituant: idque, ne inter Monachos & Clericos ab alio, quam à Monachis institutos, instigante Diabolo, discordiæ, dissensiones, & scissura fiant.

Verùm Privilegium istud revocatum vel potiùs temperatum videtur, *C. 6. ibidem,* adeò, ut qui in Ecclesiis Monachorum instituendi sunt Presbyteri, à Monachis eligantur, ab Episcopis verò probentur & instituantur, eoque temperamento, Monachis & Episcopo obnoxii facti Sacerdotes instituti, avocantur, ne hos vel istum lædant.

Ut utrumque locum conciliet GRATIANUS, Priorem de Ecclesiis pleno jure concessis interpretatur, Posteriorem de aliis; sed in neutro hujus distinctionis fundamentum apparet.

A verò forsan non aberraret, qui Caput illud de Ecclesiis, in quibus à Monachis & pro Monachis Officia Divina celebrantur, istud verò de Ecclesiis, in quibus pro Populo Divina fiunt, intelligeret; Quæstio siquidem in illo proposita, circà Ecclesias pro quiete Monachorum à Conciliis concessas, versatur; in isto

verò de solis Ecclesiis Parochialibus sermo fit; sed cum Prior suppositivus sit, non multùm curandum de illius cum Posteriori conciliatione.

XX. Extant Religiosi, quibus ab Apostolicâ Sede concessum est. *Clem. 1. De Privil. §. 2.* ut Familiaribus suis, Domesticis, aut Pauperibus in Hospitalibus suis degentibus, Sacramenta possint Ecclesiastica ministrare, ipsisque Privilegium à CONCILIO VIENNENSI conservatur, *ibid. & à CONC. TRID. C. II. SESS. XXV. De Regularib.*

XXI. Hospitalariis, Templariis, & Quibusdam aliis, tum Monachis, tum Canonicis, à Sede Apostolicâ indultum erat, ne quis, postquam professus erat, apud eos, ad alium Locum posset invitis iis, arctioris etiam vitæ obtentu, transire *C. 18. De Regular.* Privilegium istud ita interpretatur INNOCENTIUS III. ut illud destruere videatur, cum ad Jus Commune restringat, ait enim intelligendum esse de Casibus, in quibus ex levitate, vel ex temeritate in strictiorem transire quis vellet; hoc autem sic intellecto nihil conceditur Hospitalariis, quod Jure Communi sibi aliisque non concedatur.

Nihilominus inutile non erat Privilegium; hoc enim operabatur, ut duplici vinculo impedirentur Hospitalarii, aliique memorati, ne sine justâ causâ & sine maturâ deliberatione in arctiorem Religionem transirent; nempe vinculo Privilegii, & vinculo Juris Communis: Duplici exemplo id confirmari posset: Clausula, *appellatione remota,* etsi excludat appellationem frivolum, quæ Jure Communi excluditur, inutilis non judicatur. Votum quoque rei præceptæ, quamvis ad nihil novi obliget, inutile non censetur. *C. 7. De Regul. docet* Cistercienses fuisse ex illis Monachis, quibus id genus Privilegii concessum erat.

TITULUS XVII.

De Conservatoribus Privilegiorum.

REGULA I.

In toto Juris Canonici Corpore, prout etiam Concilium Tridentinum comprehendit tanquam præcipuam Septimi Decretalium Partem, non extant nisi Capita tria, quæ de Conservatoribus loquantur, nempe.

C. 1. & 15. De Off. Jud. Deleg. in VI. & C. 5. SESS. XIV. CONC. TRIDENT. de Ref.

REGULA II.

Non ab alio dabantur, in Jure, quam à Sede Apostolica.

REGULA III.

Conservatores dicuntur, qui ad Privilegia aliorum conservanda dantur.

REGULA IV.

Quæ circà Conservatorum Jurisdictionem docet Jus Canonicum, non sunt in usu, sed ipsis sola remanet Protectionis cura.

REGULA V.

Antè Constitutionem INNOCENTII IV. relatum, circà Conservatores habetur nihil in Corpore Juris Canonici: attamen de Conservatorum Commissionem INNOCENTII IV. loquitur, ut de re usitata, undè illam introduxisse non videtur. *C. 1. De Off. Deleg. in VI.*

REGULA VI.

Ob id solum dantur, ut à manifestis Injuriis & Violentiis Privilegiatos tueantur; in eo solo Munus & eorum Jurisdictionis consistunt.

C. 1. 15. De Off. Deleg. in VI.

Hinc conicere licet, quòd Privilegiati vexati à Judicibus Ordinariis, circà Privilegia sua, ad Summos recur-

recurrerint Pontifices, & Extraordinarios obtinuerint, qui ab hujusmodi vexationibus eos defenderent, ac promptissimè liberarent.

REGULA VII.

Quæ Judicalem exigunt Indaginem Conservatoribus expressè prohibentur; Interdicitur quoque illis, ne extrà Civitates vel Dioeceses, in quibus deputati sunt, procedant, nevé Quemquam à sine Dioecesis ipsius ultrà unam diatam trahant, nevé etiam vices suas cuiquam committant, exceptis Citationibus & Sententiarum Denuntiationibus, si primum ex his vetitis violetur, Conservator fit per annum ab Officio suspensus; Pars, quæ id procurat, Excommunicationem incurrit, à quâ absolvi nequit, nisi post integram expensarum solutionem, præterea, quod fit, irritum est, sicut & cætera prohibita, si violetur.

REGULA VIII.

Quibusvis Fidelibus hujusmodi Conservatores dantur, iis etiam, qui hocce præsidio non indigere videntur, quales Principes Supremi, sed præcipuè Personis Ecclesiasticis tam Sæcularibus, quàm Regularibus, nec non & Universitatibus & Hospitalibus.

C. 15. De Off. Deleg. in VI.

REGULA IX.

Quoad durationem, & nonnulla alia, Officium Conservatoris cum Delegati Officio convenit.

C. 15. De Off. Deleg. in VI. §. Officium.

REGULA X.

Conservator Conservatoris sui nullus esse potest: nec etiam cujusvis sui Superioris, nisi de Rege Superiore agatur. Excluditur ab hac Commis- sione, Quicumque non est in Personatu vel suprâ constitutus.

C. 15. De Off. Deleg. in VI. §. Nullus.

REGULA XI.

Litteræ Conservatoriae, quibus permittitur tam Actori, quàm Reo, ut eligat Conservatorem, sive in Criminalibus, sive in Civilibus, sive pro Causis Familiarium suorum, sive pro suis, à CONCILIO TRIDENTINO abolerentur; respectu utriusque, quoad Criminalia; respectu Actoris tantum, quoad Civilia; respectu verò Rei ita restringuntur, quòd iis uti non valeat, nisi pro se, & duobus suis Familiaribus, quos propriis sumptibus sustentat, quòd- que si à Reo electus Conservator Actori suspectus sit, vel inter Istum & Ordinarium de Competentiâ lis sit, non procedatur, antequàm per Juris arbitros super Suspensione vel Competentiâ fuerit judicatum.

C. 5. SESS. XIV.

REGULA XII.

Excipit à Decreto suo CONCILIUM TRIDENTINUM Universitates Doctorum, vel Scholarium Collegia, Regularia Loca, Hospitalia hospitalitatem actu exercentia, nec non istorum omnium Locorum Personas, id est Rectores. *ibidem*

TITULUS XVIII.

De exhibendis Privilegiis.

Circà Privilegiorum exhibitionem, Duo quæri possunt; 1. An qui voluerit uti Privilegio, illud exhibere teneatur? 2. An eo casu, quo exhibendum est, Originale exhibendum sit?

Tom. I.

REGULA I.

Quicumque Privilegium allegat in Corpore Juris non clausum, illud exhibere tenetur.

Colligitur 1. ex C. 1. De Elect. EXTRAVAG. COMM. Docet, non credendum Afferenti se in Officio, vel Gradu, vel Dignitate constitutum, nisi, quod asserit, legitimis ostenderit documentis; undè sequitur nec credendum Alleganti Privilegium, nisi illud exhibuerit.

2. Ex Can. 8. DIST. C. In eo S. GREGORIUS scribens Joanni Episcopo Ravennæ, asserenti à Prædecessoribus Papis singularia Privilegia circà Pallium accepisse, ait, oportere, ut illa ostendat, sibi concessa esse.

3. Ex Cap. 7. & 8. De Privileg. In iis enim præcipitur, ut ex tenore Privilegiorum, quæ emergunt, circà illa, dubitationes solvantur; undè consequens est, exhibenda esse ipsa Privilegia, si de illorum existentia dubitetur; cum sicuti tenor Privilegiorum probat, quid contineant, ita ipsa Privilegii Communicatio probat, illud esse concessum.

REGULA II.

Ipsum Privilegii Originale exhibendum est, nisi justà de causâ, autoritate Judicis, illud descriptum, post accuratum illius examen, pateat.

Regula inferitur ex C. 5. De Crim. falsi. Enumerat fraudes, quibus falsa Instrumenta cuduntur, hinc consequitur, ipsa Instrumenta, prout primum facta sunt, inspicienda esse, ut facilè dignosci possit, an sint legitima an suppositicia. Idem insinuat C. 7. & 8. De Privileg. cum ad ipsum tenorem Privilegiorum remittant, ipse autem tenor certò sciri nequeat, non inspecto Originali.

Exceptio colligitur ex C. 16. De fide Instrument. Tradit, Transumpta, autoritate Judicis facta, post diligentem ipsorum Instrumentorum inspectionem, propter vetustatem aliamvè justam causam, eandem autoritatem habere, ac Originalia.

Utraque Regula cum ipsa etiam exceptione, aliisque pluribus notatu dignis, legitur etiam in C. 7. De Privileg. in VI. Hæc enim habet. *Statuimus, ut ii, qui se asserunt per Privilegia seu Indulgentias Apostolica Sedis Exemptos, à Locorum Ordinariis requisiti, hujusmodi Privilegia vel Indulgentias, quibus se dicunt fortè munitos, ipsis Ordinariis, in Loco congruo & securo, aut aliquibus Prudentibus Viris omni suspitione carentibus, ad hoc per dictos Ordinarios Deputatis, intrâ terminum competentem pro Facti qualitate, ipsorum Ordinariorum aut Delegatorum suorum arbitrio, moderandum, justo impedimento cessante ostendere, ac ad legendum integraliter exhibere, nec non de articulis, de quibus Controversa fuerit, transcriptum tradere teneantur.* Integrum locum referimus, quia ad rem maximè accommodatus videtur, cum doceat 1. exhibendum Privilegium, si ab eo, cujus interest, exhibitio requiratur, 2. exhibendum ipsum Originale; id enim denotant hæc verba, *hujusmodi Privilegia... quibus se dicunt munitos, & circumstantiæ inferius notandæ.* 3. ipsi Transcripto fidem adhibendam, ubi de ipso Privilegio constat. 4. ut sine timore Originale exhiberi possit, cavendum de ipsius securitate. 5. exhibitionem faciendam non solum Ordinariis, sed etiam Deputandis ab Ordinariis. 6. præfigendum tempus ab Ordinario ut & à Delegato, intrâ quod Privilegia exhibeantur. 7. exhibendum totum, etsi de speciali articulo agatur, ut patet ex verbo *integraliter*, idque duplici ratione, 1. quia Præcedentia & Subsequentia possent articulum illum restringere. 2. quia ex ipsâ Privilegii Formâ, aliisque circumstantiis suprâ notatis, deprehendi possiet, ipsum esse falsum. GLOSSA in verbo *integraliter*.

P A R S I I I.

Continens prætermiffa in duabus præcedentibus, nempe Quæftiones varias circa Privilegia, necnon & Regulas circa Exemptiones Regularium tam in Spiritualibus, quam in Temporalibus.

Extant non pauca in Tractatu de Privilegiis, quæ vel obiter dicta, vel primis labris vix delibata, vel non difcuſſa, ut par eſt, fuſius nunc explicanda accuratiuſque tractanda ſunt.

Extant quoque alia, quæ omninò prætermiffa ſunt: Ne manco idcirco remanente Tractatu, totus, qui ex illo expectandus eſt, non capiatur fructus; Quæ defunt ſupplere non piget, idque tum Quæſtionibus, tum Regulis, tum Obſervationibus, prout rerum addendarum natura poſtulabit.

Per Quæſtiones tractabuntur quæ Dubia occurrunt, adductâ ſtatim dubitandi cauſâ, quam decidendi Rationes ſubſequentur, cum Objectionum ſolutionibus; Regulæ continebunt, quæ certa videntur: in illis texetur Hiſtoria Exemptionum, quoad Textus Juris ſubminiſtrare poterunt, ideoque in illis ordo Temporis exactè ſeryabitur.

Prima omnium hoc modo diſcuſſarum erit Exemptio à Viſitatione, circa quam quidquid de illâ habetur in *Corpore Juris* & in *Concilio Tridentino* elucidabitur: hinc ad Exemptionem circa Temporalia tranſitus fiet, eaque ſigillatim & generatim explicabitur; eodem planè modo ager de Exemptione in Spiritualibus: in utraq; præcipua cura erit de iis, quæ Regulares ſpectant.

Obſervationes adhibebuntur tam in Quæſtionibus, quam in Regulis; perpauca erunt eaque duntaxat hoc modo exponentur, quæ nec Quæſtionibus, nec Regulis explicari poterunt, illis exceptis, quæ ad intelligentiam Quæſtionum, illarumque Decisionum, vel Objectionum ſolutionem, vel Regularum expoſitionem neceſſaria ſunt, nec non Præparatoriis ad Diſtributionem vel Diſpoſitionem rerum tractandarum, ſeu illarum Diſiſionem. In Quæſtionibus ordo rerum, ut plurimum, ſeryabitur, ut invicem ſeſe dilucident; Alia ſunt principales, Alia ac eſſoria vel incidentes: Iſta in Quæſtionibus ſimili ordine digerendas ſubdividentur: In utraque Quæſtionum, quæ apud Gallos peculiaris ſunt, examinabuntur.

S E C T I O I.

Continens Quæſtiones XXII. fuſè tractatas, debitoque ordine diſpoſitas.

Q U A E S T I O I.

An de Privilegiis ſanè dici queat, illa ad Jus Commune pertinere?

Quærendi cauſa: Infinita propemodum vigent Privilegia, quæ Juri Communi contraria ſunt: inter alia, talia ſunt ferè omnia, quæ ex Corpore Juris collecta ſunt: talia etiam ſunt quæcunque ab Ordinariâ Jurisdictione Clericorum, tam Regularium, quam Sæcularium Exemptiones, ſive ſeorſim, ſive conjunctim ſumantur; talia quoque Episcoporum ſunt vel Archiepiscoporum, qui Jurisdictioni proximi Superioris ſubtrahunt; talia ſunt præterea, quibus Laici Clericalium Jurium ſive Muniorum participes ſunt, quorumque præcipua quibus Laicis præſentandi ad Beneficia, vel illa conferendi, vel Decimas percipiendi facultas conceditur.

Propoſita Quæſtioni *Reſpondetur*, ex æquivocatione

totam pendere, quâ ſublata, ceſſat Quærendi cauſa. Jus Commune duobus modis ſumitur.

1. Pro Lege, quæ majori ſaltem Reipublicæ Parti communis eſt; 2. Pro Legum omnium Generalium ad Reipublicam regendam requiſitarum Collectione. Si priori ſenſu ſumatur Jus Commune, non ſanè dicitur Privilegium ad Jus Commune pertinere. Si verò altero ſenſu accipiatur, id rectiſſimè dicitur; Privilegia enim ſunt Gratia, Indulgentia, Remunerations, ſine quibus non benè adminiſtratur Reipublica, ideoque ut ab Bonum Commune, ita ad Jus Commune pertinent: verum ad vitandam æquivocationem à prædictâ locutione ſimilibuſque abſtinendum eſt.

Nec *Obſtat*, quòd Jus Commune ſit velut Regula, Privilegium verò quaſi hujus Regulæ Exceptio, Exceptio autem Regulæ contraria non ſit. Nam quando dicitur, Exceptionem non adverſari Regulæ, ſenſus eſt, quòd illam non deſtruat: ſed non negatur rem, quæ in Exceptione conſtituitur, rei conſtitutæ in Regulâ oppoſitam eſſe: vel dici poteſt, Exceptionem non eſſe Regulæ contrariam, quoad finem, cum utriuſque finis ſit Communis Utilitas, ſed quoad effectum adverſari, in eo, quòd Exceptio permittit vel prohibet, quòd Regula vetat vel permittit.

Q U A E S T I O I I.

Nam Privilegia, prout ab bonum Reipublicæ Regimen neceſſaria, favorabilia ſunt? Si verò favorabilia, undè ſit, ut ſtriçtè ſint interpretanda?

Reſpondetur, extrâ dubium eſſe, Privilegia eo modo conſiderata valdè favorabilia eſſe, cum evidens ſit, eodem quo publicum bonum favore, ideoque maximo, proſequenda eſſe; id tamen nullatenus impedire, quin Privilegia ſtriçtè interpretanda ſint, quamvis Favores conveniat ampliari. Cujus rei duplex eſt cauſa; Prior; Plurima ſunt Privilegia, quæ quantum profunt, quibus conceduntur, tantum aliis nocent; qualia ſunt, quibus cuidam Hominum generi dantur, quæ alii Jure Communi debentur, ut Decimæ Parochis debita, & Monachis conceſſa. *Posterior;* Præſumendum Privilegii Autorem, alios, quam quos expreſſit in illo comprehenſos noluiſſe, cum veròſimillimum, ſit quòd alios expreſſiſſet, ſi ad alios trahi voluiſſet; quid enim ſunt Privilegia niſi permanſuræ Legis Derogationes ab illius Conditorè, juſtoque Boni Publici Judice ac Vindice? Credendum ergò integram ſeryare voluiſſe Legem, quoad ea, in quibus Privilegia illi expreſſè non derogant, atque ad id ex eo motum eſſe, quòd extrâ Caſus expreſſos, contrariam Publicæ Utilitati exiſtimavit derogationem.

Q U A E S T I O I I I.

Nam propter privatam alicujus utilitatem concedi poſſit Privilegium?

Quærendi cauſa: Privata Lex dicitur Privilegium; undè ſicut Lex Publica, Utilitati Publicæ conſulere debet, ita & Lex Privata, Privata Utilitati.

Reſpondetur, quòd quoties Privata Utilitas cum Publica concurrat, propter privatam utilitatem concedi poteſt Privilegium, ſed in illo concedendo Publica Utilitas præcipuè inſpicienda eſt; Quibus fulcitur hæc Reſponſio, Canones accuratè collectos habes in *Tractatu de Vicario Generali, Titulo de Diſpenſatione*. Præterea S. Leo inſinuat, propter communem utilitatem, Privilegia concedi, dum afferens cauſam, propter quam Eccleſiarum Privilegiis non vult derogare, ait, quòd ad ſuum venderet reatum, ſi foret major apud ſe Fratris unius voluntas, quam Univerſe Donus Domini Communis Utilitas. C. 2. CAUS. XXV. QUÆST. II. *junctâ Correptione Romanâ.* Idem inſinuat GREGORIUS. C. 9. CAUS. XXV. QUÆST. III.

Q U A E S T I O I V.

An in Corpore Juris Privilegiorum cauſe aliqua ſpecialim exprimentur? & Quæ ſint?

Reſpondetur, cauſas hujusmodi in Jure plures exprimi, ſed non alias legi, quam iſtas.

Primo.

Primò. Ut Monachorum quieti prospiceretur, atque ut in Monasteriis Conversantes, in Dei Servitio liberâ mente perseverarent, in nonnullis articulis ab Episcoporum autoritate exempti sunt. C. 5. 6. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Eodem ferè recidit quæ habetur. C. 9. CAUS. XXV. QUÆST. II. nempe ut pia desiderium voluntatis, laudandæque devotionis intentio adjuventur.

Hinc prohibitum, ne publicæ ab Episcopis Missæ cantentur in Monasteriis; ne in illis Cathedram collocent ad prædicandum; ne aliquam imperandi auctoritatem in illis exerceant, nempe ut Judices, sedentesque ibidem pro Tribunali; ne Ordinationem ullam, vel levissimam, in illis, nisi ab Abbate rogati faciant, quâ voce vel Constitutionem vel Ceremoniam Sacram, quâ Sacri Ordines conferuntur, intellige; ne sine Prælatorum consensu, Monachum ad alia Monasteria transferant, vel ad Ordines promoveant.

Prohibitum quoque, ne de Monasteriorum rebus quidquam quocumque modo sibi vindicent Episcopi, ne conditionibus Ecclesiasticis, sive Angariis, vel quibuslibet secularibus subiaceant Monasteria.

Quæ de Missis publicis aliisque similibus dicta sunt, ad cetera, quæ, ut illæ, Popularis Conventus occasio sunt, extendenda sunt.

Nec obstant *Can. 13. CAUS. XVI. QUÆST. I. Can. 30. CAUS. XVIII. QUÆST. II.* in quibus damnantur qui in Monasteriis Missas celebrari impediunt, de Missis enim privatis, sive à quibus Popularis Turba excluditur, intelligendi sunt.

Secundò & Tertio. Ex quibusdam Juris Textibus colligitur à solutione Jurium Temporalium Monachos, Clericosque communem vitam agentes, immunes factos esse, tum quia pauperes erant, tum quia superflua pauperibus erogare solebant, aut tenebantur.

Priorem causam afferre videtur de concessâ Monachis Exemptione PASCHASIUS II. C. 47. CAUS. XVI. QUÆST. I. In eo enim post probatam à Decimis libertatem Monachis Clericisque communiter viventibus factam, addit, *undè B. GREGORIUS sic ait: communi vita viventibus jam de faciendis portionibus, vel exhibenda hospitalitate, & adimplenda misericordia vobis quid erit loquendum? Cum omne, quod superest, in Causis Pii & Religiosis erogandum sit, dicente Domino, Quod superest date &c.*

Priorem de eadem Exemptione causam insinuat ALEXANDER III. C. 9. de Decim. dum docet, revocandam à Decimis immunitatem Abbatibus concessam, quando possessionibus ditata sunt.

Quartò. Propter inobedientiam rebellionemque alicujus Ecclesiæ. *Cap. 8. de Major & Obed.* illius Subditi ab ejus Jurisdictione eximuntur. Hinc, dum Ecclesia Constantinopolitana inobediens & rebellis erat, Ecclesiæ Cypri sibi subdita ab ejus Ecclesiæ Jurisdictione libera facta sunt.

Quintò. In Avaritiâ, Hæresis, Schismatisque pœnam, ab alterius Jurisdictione Immunitas conceditur. *Cap. 19. de Præscript.*

Hinc Monachis *S. Martini de Pannoniâ* concessum, ut Spiritualia, quæ ab Episcopo Vepriensi postulare tenebantur, ab alio reciperent, si ille vel gratis dare nollet, vel Catholicus non esset, vel Gratiam Sedis Apostolicæ non haberet.

Sextò. Propter Personarum ergà Ecclesiam, Benèmerita, Privilegium tribuitur. *EXTRAVAG. II. De Privileg.*

Hinc *Clemens V.* existimans *EXTRAVAG. Unam Sanctam de Maj. & Obed.* quâ omnia Fidelium Regna in Temporalibus Papæ subjiciuntur vel subiecta declarantur, Franciæ aliquod præjudicium generare posse, propter Regum Subditorumque illius Regni merita, declarat se nolle, ut illa *Extravag.* Franciæ ullo modo noceat, atque propter illam Papæ ampliùs, quam antea, subjiciatur Francorum Regnum; quæ Declaratio ut CLEMENTIS ergà Francos benevolentia testimonium habenda est, non autem ut res necessaria, ne *Extravag.* prædicta noceret; cum BONIFACIUS VIII. illius Autor novum in eâ Jus non statuat, sed declaret tantum definitaque, Jure Divino Potestatem Terrenam Su-

Tom. I.

preme Potestati Spirituali subesse, ita ut, si illa deviet, ab istâ judicanda sit; undè CLEMENS V. ab illâ Constitutione Francos eximere non debuerat, sed vel integram ergà illos relinquere, vel falsam omninò illius Doctrinam, qualis est, declarare.

Duo hic mirari subit, alterum, Constitutionem *Unam Sanctam* in suâ collectione BONIFACIUM VIII. non inseruisse: cum juxta *Pitæum* condita fuerit circa annum 1302. & in eadem plures habeantur, quæ juxta eandem Chronologiam sunt ejusdem anni 1302. ut videre est in *TIT. de Rescript.*

Sed ad illud dicendum, *Albertum de Rosaro* scripsisse (referente *Pitæo* in *Synopsi Historica circa Canonum Collectiones*) Collectionem Sexti Decretalium factam esse circa annum 1299. undè, vel citatæ de Rescriptis Constitutiones additæ sunt, vel apposita Chronologica Nota, erronea est, aut mendosa. Idemque censendum de Constitutionibus, quæ circa an. 1300. conditæ notantur. Sed si Primum, totus ferè Titulus de Rescriptis additus erit: si Posterius, non sibi constabit *Pitæus*, cum in *cit. Synopsi* circa annum 1299. conditum Sextum dicat, & in fine hujusce Collectionis à BONIFACIO conditæ, in verbo, *Anno Quarto*, hanc apponat notam 1298. & memoratas Constitutiones factas notet, vel circa annum 1300. vel circa annum 1302. Hac omnia conciliandi cura remittenda est ad futuram Editionem Corporis Juris.

Alterum, CLEMENTINAM *De Privilegiis*, de quâ mox dictum, omissam esse à CLEMENTE V. & à JOANNE XXII. etsi condita dicatur circa annum 1306. & *Collectio Clementinarum* publicata non fuerit nisi an. 1313.

Ad id dicendum, inter easdem *Extravag.* alias duas *Clementinas* ejusdem anni 1306. nempe *Secundam & Tertiam. De vita & honest.* Duas quoque factas circa annum 1307. nempe *Tertiam & Quartam De Sent. Excom.* illasque Quatuor *Clementinas* minus utiles non videri, quam *Clementinam de Privilegiis*, cujus omissio mira visa fuit.

Septimò Officiales Curie Romanæ, nec non ibidem negotia Persequentes ab Ordinariorum Censuris liberi facti sunt, ut obsequiis ejusdem Curie prompiores se exhibeant Officiales, alique ad illam liberius recurrant.

Octavò, Jus præsentandi, aliaque similiter Spiritualia Patronis Laicis concessa, Privilegia sunt, quæ ad defensionis Ecclesiæ subsidium inventa sunt. *C. 12. De Panis.*

Nonò, Ne à Superiore Oppressus vel malè Habitus, iterum ab eodem vel illius Successoribus vexetur, à Jurisdictione illorum eximitur. *C. 52. CAUS. XVI. QUÆST. I.*

Decimò, Quia indecens esset, ut Inferior Superiorem ligaret vel solveret, atque Filius in Parentem potestatem haberet, Ecclesia in Cathedrali erecta ab Archidiaconi, cui suberat, Jurisdictione eximitur. *C. 16. De Maj. & Obed.*

Notandum, concessas in pœnam Reorum, quoad victuri erant, Immunitates justissimas videri, sed quòd in Successores, etsi innoxios, pœna extendatur, durum nimis censendum esse, nisi qui in pœna succedebant, in præmio etiam succederent.

QUÆSTIO V.

Nam Exemptio à Privilegio differat?

Quærendi causa: Etsi omne Privilegium sit Exemptio, ex eo quòd ab aliquo debito eximat, nonnulla sunt, quæ Exemptioni conveniunt, & Privilegio convenire non videntur; extant enim Exemptiones Temporales, qualis, quâ Appellans eximitur à Jurisdictione sui Judicis etiam in aliis, quam Appellationis Causis, si illum ut sibi suspectum recusare velit. *C. 6. 24. De Appellat.* qualis etiam, quâ Inferior Temporalis Officio, sui Superioris sit Superior *C. 26. DIST. XCIII. C. 1. DIST. XCIV.* Privilegium autem ex naturâ suâ videtur esse perpetuum, cum Principis Beneficium deceat esse mansurum.

Respondetur, Exemptionem à Privilegio tanquam partem

tem à toto, differre, cum Privilegium eximat vel concedat: Exemptio verò rigorosè sumpta, duntaxat eximat; falsum autem esse, Privilegio non convenire, ut sit temporale, cum Privilegium pendeat ex causâ, quæ temporalis esse potest, imò in ipso Jure legantur Privilegia Temporalia, quale, quo Theologiæ Studio Vacans; per Quinque annos Beneficiorum fructus, absens percipit. C. 5. De Magistr; quale etiam, quo Parochus propter eandem causam, per Septennium, Parochia suâ fructus etiam absens lucratur. C. 34. De Elect. in VI.

QUESTIO VI.

Nùm Exempti dici debeant Metropolitanis, qui immediatè subsunt Summo Pontifici?

Quærendi causa: Episcopalis Hierarchia constat Episcopis, Archiepiscopis, Primatibus, Patriarchis, & Summo Pontifice; undè Metropolitanis Papæ proximè subjeçti, duplici subjeçtionis gradu liberantur.

Respondetur; Metropolitanos hujusmodi Exemptos dicendos non esse, nisi extent Primates, vel Patriarchæ, Primatæ, vel Patriarchatûs jure actû gaudentes; non enim in re, de quâ agitur, considerandum, quid aliàs factum fuerit, vel quid in aliis Regionibus fiat, sed inspicendum duntaxat præfens tempus, ususque Locorum, de quibus queritur, alioquin Presbyteri, qui immediatè subsunt Episcopo, Exempti dicendi essent, etiam in Regionibus, in quibus nulli sunt Archiepresbyteri, vel si sint, suo non potiuntur jure. Quod de Presbyteris respectu Archiepresbyteri dictum est, ad Diaconos Archidiaconi respectu extendendum; alioquin etiam abrogatis Corepiscopis Districtuum suorum Parochi Exempti fuissent, ideòque Quamplurimi Curati inter Exemptos collocandi essent; uno verbo, quotiès Jurisdictionis gradus aliquis periret, tot fierent Exempti, quot illi gradui subjeçiebantur; & è converso, antè hujusmodi gradûs institutionem, Exempti dici poterant, Quicumque postea Instituto subjeçti fuerunt.

QUESTIO VII.

Quæ præcipua sint Exemptorum genera?

Ad præcipua Quæstio restringitur, quia illa nosse refert, eaque discutere, quæ ad illa pertinent.

Respondetur; non ignoranda Exemptorum genera hæc esse. 1. Alii sunt Saculares, Alii Regulares. 2. Alii sunt intrâ alicujus Episcopi Diocesim constituti, Alii sunt nullius Diocesis. 3. Alii præter Exemptionem, ipsi habent Jurisdictionem quasi Episcopalem, Alii hæc Jurisdictione non gaudent. 4. Alii sunt, qui Papæ immediatè subsunt; Alii, qui proximè Superiori ejus, à cujus Jurisdictione eximuntur.

QUESTIO VIII.

An de Exemptis Sacularibus in Corpore Juris mentio fiat? atque etiam, An circa hujus generis Exemptionem Antiqui ibidem reperiantur Canones?

Ad primam Quæstionis Partem, Respondetur, in Corpore Juris sermonem fieri de multiplici Exemptione Sæculari.

Agitur 1. de Exemptione, quæ fit mutatione Statûs, idque C. UNICO DIST. CL. in quo Episcopus Suffraganeus æqualis fit suo Metropolitanis, Ecclesiæ suæ in Metropolitanæ erectione: *Can. Calced. ann. 451. C. 16. De Maj. & Obed. GREGOR. IX. ann. 1227.* in quo Ecclesiæ, quæ Archidiacono subest, ipsius Jurisdictioni subtrahitur, erecta in Cathedralis.

Agitur 2. de Exemptione, quæ Ecclesiæ alterius Ecclesiæ Jurisdictioni subtrahitur, sine ullâ Statûs mutatione; idque C. 52. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo Episcopus Metropolitanis Jurisdictioni subtrahitur, utraq; in eodem statu permanente Ecclesiâ. *PELAG. II. an. 577.*

Agitur 3. de Exemptione, quæ, servatâ Metropolitanis suâ autoritate, Suffraganeo conceditur Præfessionis

honor in Conciliis, idque in C. 2. CAUS. XXV. QUÆST. II. *junctâ Correc. Rom. notâ,* in quo S. LEO illas manere præcipit Ecclesiæ Privilegia à Nicæna Synodo concessa, inter quæ non minimum Ecclesiæ Hierosolymitanæ Privilegium, quo ipsius Episcopus Casareensem Archiepiscopum Metropolitanum suum præcedendi jus accipit, integrâ in reliquis remanente istius Dignitate.

Agitur 4. de Exemptione, quæ quoad Correctionem Subditi, Ordinario suo immediatè non subsunt, idque C. 13. *De Off. Ordin.* in quo Canonici, qui per Capitulum corrigi consueverunt, ab eodem corrigendi dicuntur.

Agitur 5. de Exemptione, quæ Deputati servitio Capituli aliorumvè Clericorum, Conquerentibus respondent, non coram Episcopo, sed coram illis, quibus deserviunt, idque C. 13. *De Foro Compet.* in quo id deciditur in favorem Capituli Belyacensis, aliorumque ejusdem Diocesis Clericorum.

Ad Posteriores Quæstionis Partem Respondetur, Canonem Antiquiorem circa primam Exemptionem ex CONCILIO CALCEDONENSI anno. 451. celebrato de promptum esse, sed minimi momenti rem esse hujus Exemptionis Antiquitatem nosse.

Secunda Exemptio primùm à PELAGIO II. ad Pontificatum evecto an. 577. concessa fuit, deinde à GREGORIO illius Successore innovata an. 592.

Molinæus in hunc locum ait, hanc Exemptionem secundam mali exempli Exemptionem esse; ad id fortè motus, vel quia sine causâ concessa videtur, vel quia quæ conjiciatur, sufficiens Successorum respectu non apparet, vel quia Episcopus Thebanus, qui Larissæ Archiepiscopi Jurisdictioni subtrahitur, Responsalibus Papæ Constantinopoli degentibus, in minimis subjeçitur, in majoribus verò immediatè Summo Pontifici.

Sed quæcumque ex his Rationibus ad istam opinionem determinavit *Molinæus*, vix probari potest. Nam 1. conjicere licet, concessam hanc Exemptionem propter, causam eandem, propter quam innovata est, nempe propter illas ab Archiepiscopo Larissæ Episcopo Thebano injurias.

2. Causa hæc, & justa, & sufficiens, etiam erga Successorem videtur; Justa, cum æquissimum sit, ut à calumniis inferendi vel patendi periculo quis liberetur: Sufficiens erga Successorem, cum ex *sine cit. Canonis* colligi possit, Thebanum Episcopum à Metropolitanis suo vexatum, propter Temporales, quæ inter utramque Sedem intererant, Contentiones. Hic enim Archiepiscopo Larissæ præcipitur, ut res, tum mobiles, tum imobiles, Episcopi Thebani, quas retinere dicitur, eidem restituit.

3. Causæ Majores jamjam ab INNOCENTIO I. Sedis Apostolicæ reservatæ fuerant. Unde GREGORIUM Thebanum Episcopum in majoribus sibi immediatè subjeçiens, nihil novi statuit: in minoribus verò illum Responsalibus suis subjeçit potius, quàm Constantinopolitano, quia cognitâ sibi Responsalium suorum probitate, aliisque ad justè judicandum animi dotibus, sperabat ab illis justiores Sententias.

Cum *Nicanum Concilium* à quo Tertia Exemptio fluxit, ann. 325. fuerit celebratum, hinc fit, ut ista Exemptio omnium Sæcularium Exemptionum antiquissima sit; sed præterquam quòd hæc Exemptio non magni videatur momenti, adeoque singularis fuerit, ut nec in Corpore Juris, nec in Historiâ Ecclesiasticâ, quidquam simile legatur, non multum refert, cujus sit Antiquitatis cognoscere.

Non idem dicendum de Quartâ Exemptione; Cum enim multa Capitula Canonicos suos corrigendi jure potiuntur, scire interest, quo tempore, sicut & quâ autoritate, cæperit hæc Exemptio, ideòque utrumque accuratè notandum.

Antiquiorem circa illam *citato Canone* nullum in Corpore Juris invenimus. Citatus autem Canon è *Concilio Lateranensi* sub INNOCENTIO III. ann. 1215. celebrato desumitur, sed hinc colligi non potest, tunc temporis hanc Exemptionem cepisse, cum CONCILIUM illam

non

non introducat, sed à Consuetudine introductam confirmet; imò antiquiorem fuisse colligitur ex eo, quòd Consuetudo, quã jus Ecclesiasticum acquiritur, legitime præscripta esse debeat, ac ad illam Præscriptionem quadragenaria saltem possessio requiratur; prædicta quoque Consuetudo ex his esse potuerit, cujus initium Hominum memoria excedit.

Quinta Exemptio non est Quartæ ab similibus; in hoc enim differt solum, quòd in illa nedum de Jurisdictione Capituli, per Privilegium acquisitã, sed etiam de simili Jurisdictione aliorum Clericorum agatur, quòdque non correctionem Canonicorum ex officio faciendam respiciat, sed facultatem audiendí querelas contá Deputatos servitio Capituli, aliorumvè Clericorum: Canon, qui de illã loquitur, ex INNOCENTIO III. circã an. 1210. Episcopo Belvacensí scribente desumitur; hinc tamen concludere non licet, tunc temporis ortam esse, cum illam INNOCENTIUS non concedat, sed tantum probet, posito quòd ex Indulgentiã, vel ex Consuetudine legitima proficiatur.

Circã Canonem, quo Quarta probatur Exemptio, non omittendum, Jurisdictionem, quã gaudet Capitula exempta, ab Episcopo independentem non esse, cum ad illius commonitionem vel iussionem illam exercere debeant, & nisi intrã terminum ab eodem constitutum illam exerceant, illam amittant in Episcopi commodum, qui Canonicos perindè corrigere valet, ac si nullam Capitula illos corrigendi facultatem haberent.

QUÆSTIO. IX.

An Metropolitanorum in Suffraganeos Jurisdictione dici debeat Privilegium?

Tanta est Privilegii cum Exemptione Connexio, ut antequam finiatur de Exemptione Sæculari Tractatio, prætermittã hæc circã Privilegia Quæstio examinanda visa sit.

Querendi causa: Metropolitanorum Jurisdictione è Jure Communi emanat, cum ergò Privilegium ab illo Jure Exceptio fit; Jurisdictione prædicta, Privilegium non dicenda videtur.

Respondetur, eã non obstante ratione, istam Jurisdictionem in Variis Juris Textibus Privilegii nomine donari; nam I. C. 2. CAUS. XXV. QUÆST. II. tam prout à Gratiano refertur, quam prout in notã à Correct Rom. additã habetur, Jurisdictione cujusque Ecclesiæ in aliam Privilegium nominatur; nam per Privilegia Ecclesiarum, quæ illata manere præcipit, tam Jurisdictionem, quam alia Jura intelligit. 2. C. 6. ead. CAUS. & QUÆST. ubi S. LEO de Metropolitanorum Jurisdictione expressè loquens, illam Privilegium nominat, dum Apostolicæ Sedis Vicario dicit vices suas delegare, eã lege, ut Metropolitanorum Privilegia serventur.

QUÆSTIO. X.

An in Occidente antè Sæculum IX. fuerint Primates, sive Episcopi, qui pluribus Archiepiscopis præessent?

Ex Decisione hujus Quæstionis patebit, an per illa Sæcula potuerint esse Metropolitanani Exempti? Eo etiam solo sine proponitur.

Querendi causa: Sunt Eruditi Viri, qui per totum hoc tempus Primatibus caruisse Occidens affirmant.

Respondetur, ex variis Juris Textibus colligi contrarium; de Primatibus siquidem expressè loquuntur, ut de re in Occidente existente, Can. 1. & 2. DIST. XCIX. desumpti ex Epistolis ad Italia Galliarum Episcopos scriptis ab ANACLETO & ab ANICETO. De iis etiam loquuntur expressè, tanquam de re in Occidente existente, C. 3. CAUS. II. QUÆST. VI. desumptus ex Epistola ejusdem ANACLETI ad Universos Episcopos scripta. Etsi autem hæ Epistolæ ANACLETI & ANICETI non sint, sed ipsis suppositæ, constat tamen scriptas antè IX. Sæculum, nam ineunte hoc Sæculo citantur: arqui verisimile non est, illum, qui ANACLETO vel ANICETO has Epistolas supposuit, adeò dementem fuisse, ut illos Pontifices de Primatibus loquentes inducat ad Occidentis Episcopos tan-

quam de re apud istos existente, si saltem suo tempore non extitissent in Occidente Primates: præterea Impositoris hujus finis non alius fuisse videtur, nisi ut Ecclesiasticam sui avi Politiam veteribus firmaret testimoniis. Quod de Epistola ANACLETI & ANICETI dictum est, ad Epistolam CLEMENTIS & LUCI vel STEPHANI I. è quibus desumpti sunt C. 1. & 2. DIST. LXXX. quæque de Institutione Primatum & Patriarcharum à PETRO factã in Civitatibus, in quibus Gentiles Primates habebant, vel Primos Flamines, vel Archiflamines, extendendum est.

Confirmari potest ad Quæstionem propositam Responso ex C. 3. CAUS. XXV. QUÆST. II. Desumitur ex GREGORIO Augustino Anglorum Episcopo Responso IX. ann. 604. In illo dicit Augustino GREGORIUS, se in Episcopos Galliarum autoritatem illi non dare, quia Episcopus Arelatensis ab antiquis Prædecessorum suorum temporibus Pallium accepit, istumque autoritate perceptã privare non debet; præcipit que eidem, ut si per Galliarum Provincias transeat, ac ex autoritate aliquid agendum fuerit cum prædicto Arelatensi Episcopo, id agat; indè enim sequitur vel tunc in Galliis nullum alium fuisse Metropolitanum, quam Arelatensem Episcopum; vel istum fuisse Primatem: Prius communiter respicitur, Posterius ergò verum censendum.

Dici non potest, Arelatensem Episcopum fuisse Vicarium Apostolicum, & hujusmodi Vicarium à Primatibus multum differre; Nam vel fuit Vicarius Temporalis & ex Commissione, vel Perpetuus ratione Sedis; non Prius, Gregorius enim insinuat, Episcopum Arelatensem suam in Episcopos Galliarum autoritatem accepisse cum Pallio, Vicarius autem Temporalis autoritatem eo modo suam non accipiebat: si Posterius, Arelatensis Episcopus Primas erat, cum Vicarius Apostolicus ratione Sedis, nihil aliud esset, quam Primas.

Quod in hæc Quæstione supponitur ut certum, nempe IX. Sæculo Primates in Occidente extitisse, patet ex Can. 8. CAUS. IX. QUÆST. II. in quo NICOLAUS testatur ann. 864. Sigebodum Narbonensem Archiepiscopum apud se conquestum fuisse, se vexari à Radulfo Bituricensi Patriarchã, in eo quòd Iste suam Jurisdictionem usurparet: nomen autem hoc Patriarcha, ad minus significabat Primatem, qui dicitur Minor Patriarchã.

QUÆSTIO. XI.

An Exemptiones Sæculares favorabiles minus sint, quam Regulares? atque, ut res in Exemplo posita clarior fiat, Queritur, verbi gratiã, an Exemptio Monasterii ab Episcopi Jurisdictione, favorabilior sit, quam Capituli Sæcularis Exemptio ab eadem Jurisdictione?

Querendi causa: Non idem vita genus in Episcopis ac in Monachis, ac quamvis lectione illud optimè callerent, experienciã tamen usque non noverunt, undè sanè minus de illo judicare poterant, quam Monachi: hinc quoad Vitam Monasticam justa videtur Monachorum ab Episcopi Jurisdictione Exemptio; In Capitulo autem Sæculari locum non habet ista ratio, præterea Monasteria in Congregatione posita, Praelatos Regulares habent, qui illa corrigant, & alios, qui Correctores unã cum Monasteriis visitent, & corrigant; quod nec etiam Capitulo Sæculari convenit.

Respondetur, Capitulum Sæculare allegare pro se rationes posse, quas Monasterio afferre non licet, sunt sæpe sæpius inter Capitula & Episcopos Contentiones Temporales, propter quas, si Jurisdictioni Episcoporum subsint Capitula, ab Episcopis vexari poterunt, Contentiones autem istæ oriuntur ex eo, quòd nonnulla Jura, Terras, Ecclesias, aliaque hujusmodi communia habeant Episcopi cum Capitulis, cum quibus aliàs idem Corpus constituebant, omniaque communia habebant. Nihil autem tale Monachis convenit.

Præterea Ratio illa potentior videtur, quam quæ primò pro Monachis allegata est, cum ista nimis probet; hinc enim inferre fas esset, quòd nedum Moniales, quarum pleræque Episcopo semper subjectæ fue-

runt, sed & Vitam Conjugalem Viventes, ab Episcopi Jurisdictione libera esse deberent.

Quoad Posteriores Rationem pro Monachis allegatam, fatendum, quod si Capitulum Sæculare, ab Episcopo Exemptum, non habeat, qui illud visitet, corrigat, illius Exemptio favorabilis minus erit, quam similis Monasterii Visitatorem habentis Exemptio.

QUÆSTIO XII.

An Capitulum Papæ vel Metropolitanum immediate subesse possit dici, etsi Papa vel Metropolitanus suam super illud Jurisdictionem proximè non exerceat, nec per se, nec per alios?

Querendi causa: Differendum videtur de Capitulo pariter, ac de Privato; Iste autem suo Episcopo immediate subijci non dicitur, nisi Episcopus in illum suam proximè exerceat Jurisdictionem, id est, nisi in primâ Instantiâ illum judicet; non ergo dici poterit, Capitulum Papæ immediate subesse, nisi in illud Papa suam proximè exerceat Jurisdictionem, vel per se, vel per alium, sive nisi de illius Causis in primâ Instantiâ cognoscat.

Respondetur, Affirmativam Sententiam videri sequendam, nec valere similitudinem; cum Privatus sui ipsius Judex esse nequeat, Collegio verò quodlibet Membrorum judicare liceat. Cujus Rei exempla passim subministrant quævis Judicium Curia: Ratio distinctionis inter Corpus, & Privatum quemlibet evidens est, cum Corpus sit capax Jurisdictionis, illamque habere possit à Lege, vel acquirere per Consuetudinem, aut per Præscriptionem; è contra Privatus quilibet Jurisdictionis circa se ipsum incapax est, ideòque nullo ex his modis acquirere potest.

Nec dicas, quod immediate subijci alicui, idem sit, ac non alium primum Judicem cognoscere: id enim intelligendum de alio Judice, qui à Collegio distinguitur, quando de Collegio agitur.

Quæret forsitan aliquis, Undè Collegia Jurisdictionem in se ipsa exercentia illam acceperint? Si quæ Metropolitanum immediate subiecta in secundâ Instantiâ ad Metropolitanum recurrunt, nec iste habeat ullos Casus, de quibus in primâ Instantiâ cognoscat, usurpasse videntur, quia illam accipere non potuerunt à Metropolitanum, alioquin à Metropolitanum ad ipsum Metropolitanum appellaretur, cum Collegia ista illius Vicarii essent in totâ Jurisdictione, ideòque idem cum ipso Tribunal haberent Metropolitanum. Nec etiam à Papâ illam Jurisdictionem accipere potuerunt, quia Metropolitanum immediate subijcere volens, ipsos sui ipsorum Judices in primâ Instantiâ non constituisset. Si verò prædicta Collegia Papæ immediate subsint, Jurisdictionem in se ipsa à Papâ accipere potuerunt, quia etsi Papæ Vicarii essent, ab illis ad Papam in secundâ Instantiâ appellari posset, cum Jurisdictionis illius portionem tantum haberent; nec dici posset, quod prædicto Casu totam, quam haberet ut illorum Collegiorum Ordinarius, Jurisdictionem daret, quia sunt Casus Papæ etiam ut Judici Ordinario, sive Primo, reservati, quos non committeret, ideòque totam, quæ ad se pertinet, Jurisdictionem, ut Ordinarium, non communicaret.

QUÆSTIO XIII.

An Exemptiones, quibus Episcoporum Subditi Metropolitanis immediate subijciuntur, præferenda sint iis, quibus iidem immediate subsunt Papæ?

Querendi causa: Posteriores non solum honorabiliores, sed etiam utiliores videntur, cum potentius præsidium Exemptis procurent.

Attamen *Respondetur,* Posteriores Priores præferendas, tum quia Exemptorum, qui Papæ proximè subsunt, necessitas, utilitasque illum cogit, ut Inspectores, Visitatoresque in Partibus deputet; tum quia hujusmodi Exemptiones onerant Papam, non honorant, atque hinc vilipendendi locus.

Metropolitanus verò hinc multum honoratur, ideò-

que in hoc habet, quod illas æstimet: tum quia tot tantisque distentis negotiis Papa nativo Gregi vix attendere potest, Metropolitanus verò paucioribus minoribusque pressus, addita Gregi suo portiuncula regenda satis sufficit; tum, demum quia quicumque in partibus suo Superiore caret, quodammodo Acephalus est, cum sine Capite convenienti esse videatur; quam postremam rationem ex C. 8. Dist. XCIII. colligere licet.

QUÆSTIO XIV.

An certum sit, Privilegium vel Exemptionem amitti unico actu contrario?

Querendi causa: Privilegium, seu Exemptio non acquiritur unico actu, sed pluribus ad hoc opus est, ac præterea possessione pacificâ non interruptâ per 40. annos; videtur ergo, quod amitti non debeat unico actu, cum per quancunque causas res nascitur, per eandem dissolvatur, C. 1. De Regulis Juris. Hinc etiam adduci potest C. 4. de Confirm. utili. Docere enim videtur, Privilegium non amitti actibus contrariis, nisi durent per tempus ad Præscriptionem requisitum, cum declarat Episcopum Hildesensem non manutendum in possessione Jurisdictionis, in Monasterium suæ Dicecesis Sedi Apostolicæ immediate subditum per Privilegium, nisi ea per 100. annos sine interruptione fructus fuerit.

Allatis Argumentis adversari videntur C. 8. De Constitut. & C. 22. De Præb. In priori dicitur, quod suppressio alicujus Dignitatis facta autoritate Capituli, & à Sede Apostolicâ confirmata, unico actu contrario revocetur, nimirum unicâ ad hanc Dignitatem promotione ab ipso Capitulo factâ; In posteriori habetur, quod Capitulum, cui indultum est à Sede Apostolicâ, ne plures sint in eo Canonici quam 40. amittat hoc Indultum, si quem creet Canonicum ultra hunc numerum. Iisdem quoque Argumentis repugnare videtur ipsa ratio, nam Privilegiatus agens contra Privilegium, actione suâ illi renuntiare censetur, & hæc renuntiatio tacita unicâ actione fieri potest, sicut & expressa.

Cum ergo pateat propositam Quæestionem merito agitari, hinc consequens est, merito quoque solvendam suscipi. Ad solutionem autem, Distinguendum inter amissionem Privilegii, quæ fit per Præscriptionem, & amissionem, quæ fit per Renuntiationem; Ad Priorem pluribus actibus non interruptis opus est, atque etiam spatio temporis ad præscribendum requisiti: Ad Posteriores sufficit unicâ actus: hoc autem discrimen est inter Actus, quibus præscribitur, & Actus quibus renuntiat, quod illi fiant à Privilegiato, illi autem ab ipso Præscribente.

QUÆSTIO XV.

An Prelatus non Exemptus ab Ordinarii Jurisdictione, possit præscribere Episcopalem Jurisdictionem?

Querendi causa. Hujus Jurisdictionis Capax est, cum sibi possit committi etiam ab Episcopo, non solum Commissione Particulari, sed & Generali, quâ tota vel ferè tota Jurisdictio delegatur; hinc factum est, ut Prelati Inferiores multa Jura Episcopalia contra Episcopum præscriperint. Talia sunt 1. Jus conferendi Beneficia in Decanis, Præpositis, Archidiaconis, Capitulis. 2. Jus prædicandi in Theologo, in Parocho. 3. Jus absolvendi à Casibus reservatis in Penitentiario. 4. Jus visitandi in Archidiacono & in Archipresbytero. 5. Jus exercendi Jurisdictionem in primâ Instantiâ erga aliquos in Capitulis quibusdam: Ex illâ autem talium Jurium Præscriptione inferri posse videtur, talia quoque Episcopalia Jura ab eodem Prelato non Exempto præscribi posse; sicut enim præsumptum est, Episcopum talia Jura transmisisse in Prelatos Inferiores, patiendo, ut illa exercerent sine Commissione expressâ, sic præsumere idem liceret de cæteris Juribus, si per 40. annos possiderent à Prelatis non Exemptis, Episcopo non contradicente.

Hic

His non obstantibus, *Dicendum*, Quædam esse Jura Episcopalia, quæ à Prælato non Exempto præscribi non posse certum est; Talia sunt, quæ Episcopo tribuuntur cum hæc Clausulâ, *non Obstante quâcumque Præscriptione*, ut Confessorum Approbatio, C. 15. Sess. XXIII. Concessio Litterarum Dimissoriarum, C. 10. Ead. Sess. Approbatio Prædicatorum, C. 4. Sess. XXIV. Institutio Prælatorum ad Beneficia C. 13. Sess. VII. Visitationis Ecclesiarum etiam Exemptarum, C. 8. Ead. Sess. Ratio est, quia semper reclamata illa prohibitio, ac impedit, ne sit bona fides ex parte Præscribentis ideòque irritam facit Præscriptionem ipsam.

Obijci posset contra Decisionem, quòd Canones vetantes præscriptionem in re Juris Positivi sint ipsimet Præscriptibiles; hinc factum, quòd Canones vetantes, ne Procuratio solvenda Visitationi præscriberetur, nonnullis in Locis Præscripti sint, hancque Præscriptionem approbet CONCILIUM TRIDENTINUM. Objecto huic *satisfit* dicendo, quòd prædicta Jura tanti momenti sint, ut nunquam à Prælato Inferiori pacificè possideri Episcopi passuri sint.

Jura autem ejusmodi ideò excipio à Præscriptione, quia prohibetur à Canone circa illa Præscriptio: Circa alia verò Jura jam præscripta à Prælato non Exempto, vel præscribenda, Notandum duco exerceri non posse contradicente Episcopo, quia cum Prælati iste Episcopo Subjectus supponatur, consequens est, ut censetur illa Jura præscripsisse vel præscribere eâ lege, ut illa tanquam Subditus, prout est, exercebit: undè sequitur, quòd propriè loquendo, Prælati Episcopo Subditus non potest præscribere Jura Episcopalia, quia illa exercet tantum nomine Episcopi, & quæ nomine alicujus possidentur, nunquam præscribuntur contra illum: nam Præscriptio acquirit dominium, qui autem aliquid possidet nomine alieno, illius Dominus fieri nequit.

QUESTIO XVI.

An Prælati Exempti possint præscribere Jura Episcopalia? & Quæ dubitandi ratio?

Si Prælati hujusmodi præscriberet Jura Episcopalia, illa exerceret suo nomine ut propria, non ut commissa sibi ab Episcopo Diocesano nomine illius, cum à Jurisdictione Episcopi Diocesani liber supponatur; nec etiam illa exerceret nomine illius Episcopi, cui immediate subest, sive Metropolitanus, sive Primatis, sive Papæ, cum non videatur ad id ab illo Delegatus, nec illo appareat modo velle hunc Episcopum, ut à tali Prælato talia Jura suo nomine exerceantur: absurdum autem videtur, ut Prælati Secundi Ordinis suo nomine exerceat Jura Prælatorum Primi Ordinis seu Episcoporum, sic enim evertitur ordo à Deo institutus, cum Prælati Primi Ordinis à Spiritu Sancto positi sint, ut regant Ecclesiam Dei, ceteri verò sint ex iis, qui ab iisdem regendi sunt, undè Prælati isti exercere non possunt Jurisdictionem, quæ Ecclesia Dei regitur nomine proprio, sed tantum nomine eorum, quorum est illam regere.

Verum hæc aliavè similia non obstant, quin *Dicamus*, Prælatos Exemptos præscribere posse Jura Episcopalia. Ad hanc Sententiam adducimur his rationum momentis; Plures extant Juris Textus, qui id tanquam indubitatum supponunt. Primus est C. 15. *De Præscript.* In eo INNOCENTIVS III. præcipit, ut Abbati cuidam adjudicentur Jura, quæ præscripsisse contra Episcopum Wigorniensem probaverit. Alter Textus est C. 18. *ead. Tit.* in illo idem Pontifex Abbatem Sancti Salvatoris de Ticheto ab impetitione Episcopi Lucani absolvit super plurimis Juribus Episcopalibus, declaratque, se id facere, quia Abbas ostenderat, se illa legitime præscripsisse.

Idem Textus docent, quæ Jura Episcopalia præscribi possunt; Prior enim expressè meminit Processionum, Procuracionum, Decimationum, Cognitionis Casuarum Matrimonialium, Juris Suspensionem, & Interdictum ferendi.

Posterior mentionem facit de Institutione, Destinatione, & Ordinatione Plebanorum, & Clericorum, Baptismo, & Pœnitentia super levioribus culpis, perceptione Decimarum, de Officiis Divinis celebrandis, de excommunicando & interdicendo, & absolvendo.

Ex his Juribus, quæ recensuimus, nonnulla sunt, quæ maximum locum occupant, inter Jura Episcopalia: ejusmodi sunt Approbatio ad Administrationem Sacramentorum, Excommunicatio, ac ab illâ Absolutio, Cognitio Casuarum Matrimonialium, Institutio & Destitutio Plebanorum seu Curatorum; undè sequitur, quòd si hæc Jura Episcopalia præscribi possunt, idem dicendum de cæteris; excipienda tamen ea, circa quæ Jure Novissimo *Concilii Tridentini* prohibita est Præscriptio, quæque supra *Questione XV.* notata sunt.

C. 12. *de Excess. Præl.* meminit etiam quorundam Jurium Episcopalium, quæ præscribi possunt ab Abbatibus: hæc autem sunt Injunctio Pœnitentiarum Publicarum, & Concessio Indulgentiarum.

Ad Rationes oppositas Respondeo, Prælatum Exemptum exercere nomine Episcopi, cui immediate subest, Jura quæcumque contra Episcopum Loci præscribit, sicut & ea, quæ ex ipsâ Exemptione recipit, v. gr. Quoties Summus Pontifex eximit Monasterium ab Episcopi Jurisdictione, illud quasi immediate subjicit suæ Sedi; Jura, quæ Episcopus exerceret in illud Monasterium, Papa sibi reservat, & Abbati nonnulla committit suo nomine exercenda, ideòque Abbas eâ Exemptione fit quodammodo Episcopus hujus Monasterii; undè, si deinde aliqua sua Jura Episcopalia circa Sæculares præscribat, ea acquirit exercenda eodem nomine, quo exercet illa, quæ habet circa Regulares; eo enim casu subrogatur Papa Episcopo Diocesano, & si Papa Abbati committat quædam Episcopalia Jura ex his, quæ ipse acquirit succedendo loco Episcopi, Abbas fit Papæ Vicarius quoad illa Jura Episcopalia, eoque nomine Vicarii Papæ, capax efficitur acquirendi cætera Jura Episcopalia ad Jurisdictionem pertinentia, ipsoque Divino Jure Episcopali Characteri non reservata; undè illa præscribere potest, modo ex illis non sint, circa quæ prohibetur Præscriptio. Quod de Prælato Exempto immediate Subdito Sedi Apostolicæ dictum est exempli gratiâ, idem dicendum de eo, qui immediate subest Metropolitanano, Metropolitanus fit ejus Episcopus, & si quæ Prælati exerceat in Regulares, Episcopalia Jura nomine Metropolitanus illa exercet.

Si quis autem querat, quæ sint Episcopalia Jura, quæ ab Abbate Exempto in Regulares exercentur, Respondeo, hæc esse, nempe Approbationem Confessoriorum ad audiendas Confessiones Regularium Subditorum, Approbationem Regularium Subditorum ad celebrandam Missam in Monasterio; Approbationem ad prædicandum solis Regularibus Subditis; Benedictionem Ornamentorum ad Divina celebranda Officia; Concessionem licentiæ transeundi ex Diocesi ad Diocesim, quæ respondet Literis *Exeat* vocatis & ab Episcopo concedendis.

Sunt, qui obijciant, Prælatum Exemptum, incapacem esse Præscriptionis Jurium Episcopalium ergà Sæculares defectu bonæ fidei, quia ignorare non potest illa Jura sibi non pertinere, cum Sæculares sibi non subjiciantur, sed Episcopo, in cujus Diocesi habitant. Sed hæc obiectio nullius roboris esse videtur, cum fieri possit, ut Prælati recens promotus audiat à fide dignis Testibus, Prædecessores suos exercere solitos fuisse Jurisdictionem Episcopalem in Sæculares, hisque credens testimoniis pergat illam exercere, Episcopo non contradicente, idemque faciat Successor & Successoris itidem Successor, per 40. & amplius annos, Sede Episcopali plenâ, & Episcopo nullo conquerente. Fateor primum Prælatum, qui hanc Jurisdictionem exercere cepit, mala fide possessionem inchoasse, nisi deceptus fuerit falsis Testimoniis falsò attestantibus, Prædecessorem illâ Jurisdictione potitum fuisse; sed inchoata mala fide Possessio, bonâ fide continuari potuit à Successore Possessoris malæ fidei, ignorante malam fidem Prædecessoris;

cessoris; potuit quoque bona fides istius Successoris ad Successores transire, iisque prodesse ad compleendam Præscriptionem incipientem à Possessore bona fidei, & à similibus continuatam ad usque consummationem.

Sunt Alii, qui obijciant ad Præscriptionem requiri, ut in nullâ temporis parte habeatur conscientia rei alienæ *C. 20. de Præscript.* undè concludunt, Prælatos Exemptos nunquam posse præscribere Jurisdictionem Episcopalem; quia inest semper mala fides initio possessionis. Sed majoris ponderis non est ista obiectio, cum certum sit, *citatum Caput* loqui tantum de parte temporis ad Præscriptionem requisiti, loquitur enim de Præscribente, & exigit, ut in nullâ temporis parte ad præscribendum necessarii ipse conscientiam habeat rei alienæ; in Casu autem obiecto Præscribens non habet conscientiam rei alienæ in nullâ temporis parte ad Præscriptionem requisiti, cum supponamus, non computari possessionem ad Præscriptionem requisitam, nisi eo tempore, quo cepit esse conjuncta cum bonâ fide, & eadem bona fide continuatam fuisse, usque ad tempus ad id præfinitum.

Adjiciunt nonnulli, possessionem hujusmodi nec inchoari, nec continuari posse, cum bonâ fide, idque quia reclamant Canones omnibus nôri, aut saltem à Prælatis Exemptis cognoscendi, incessanter dicentes, Episcoporum esse regere Populos sibi Subditos, alios verò, qui illos regunt aliter, quàm eorum Episcoporum nomine, rem alienam administrare. Sed illa Obiectio non magis urget, quàm præcedentes; sunt enim plures Textus loquentes de Ecclesiis, quæ pleno jure Regularibus concessæ sunt, undè inferre est, illas fuisse concessas cum Jurisdictione illas regendi independentem ab Episcopo; ejusmodi sunt *C. 31. De Præb. & Cap. 3. De Privileg.* Hinc Prælatus hos Canones aliofve similes callens existimare potest, Ecclesias, quas Prædecessores bonæ famæ rexerunt concessas Monasterio pleno jure, id est cum totâ Jurisdictione Episcopali, eaque ductâ opinione, licuit sibi legitimam Possessorem se se reputare; rem ipsam scrutandi causam non habuit, cum Prædecessorum probitas de illâ dubitare non pateretur. Successor in Dignitate non est pejoris conditionis, quàm Successor in Hæreditate, undè sicut iste præsumere potest, Autorem suum justè possedisse, si boni nominis fuerit, & continuare possessionem bonâ fide, quam alter malâ fide habuit, nec vituperatione dignus, si huic præsumptioni, quam justam judicat, innixus possessionem inchoatam continuat, non perquisitâ primâ possessionis origine, ita idem dicendum videtur de Successore in Dignitate circa Jura à Prædecessore, viro probato habito, possessa, eadem de illo præsumente, & propterea originem Possessionis perscrutari negligente, imò nec cogitante.

Instant idem, & dicunt, nulli licere contra Generalem Ecclesiæ Disciplinam præscribere, quia ipsa reclamat semper contra Præscribentem, & exprobrat usurpationem; ideòque INNOCENTII III. *C. 5. De Consuetudine*, irritare Consuetudinem huic Disciplinæ contrariam, quâ pendente Interdicto Generali quoddam Capitulum Officia Divina solemniter celebrabat, Sed non attendunt Exemplum, allatum non congruere, quia irritata ab INNOCENTIO III. Consuetudo dirumpibat, ut ipse ait, meritum Ecclesiastica Disciplina; efficiebat enim, ut Interdictum Generale sine ullo fructu foret, cum celebrante solemniter Divina Officia Capitulo B. Petri Cenomanensis Civitatis pendente Interdicto, totius Urbis Incolæ nullum vel saltem minimum sentirent incommodum ex Interdicto, ideòque istud illos minimè vel parùm excitabat ad emendam culpam, propter quam ferebatur Interdictum: at si Prælatus Exemptus, pleraque Jura Episcopalia ergà Regulares exercens nomine Papæ vel Metropolitanî, alia acquirat in quâdam Civitate circa Sæculares, non dirumpitur nervus Disciplinæ Ecclesiasticæ, cum Pars illa regi possit à Prælato Exempto, pari vigilantia vel sollicitudine ac regeretur ab Episcopo Diocesano.

Verum quidem est, Populum utiliùs regi posse ab

Episcopo, quàm à Prælato Exempto, quia major est Episcopi ergà illum autoritas propter eminentem ipsius Dignitatem, ideòque major Populi ergà Episcopum reverentia; sed propter hoc solum non fit impræscriptibilis Jurisdictio Episcopalis à Prælato Exempto; hoc unum hinc inferre licet, Ecclesiam posse justè prohibere Præscriptionem hujusmodi circa nonnulla Jura, quæ ab Episcopo exerceri refert, ut videtur factum à CONCILIO TRIDENTINO locis suprâ citatis.

Quæ hætenùs dicta sunt de Prælato Exempto circa capacitatem præscribendi Jura Episcopalia, certa sunt Jure Communi; At Jure Gallico videntur incerta; dubitari enim potest, an Prælatus ejusmodi præscribere possit sine titulo saltè colorato, qui exhibeatur, idque infertur ex eo, quòd Capitula Senonense, Bajocense, aliaque, Monasterium Jotrense, Monasterium Regulæ in Diocesi Lemovicensi Senatûsconsulto declarata sunt subesse Ordinariæ Jurisdictioni, etsi allegassent probassentque possessionem immemoriam, nullo tamen exhibito titulo; hæc consequentia non est iniquè quæque vera, nam in casibus allegatis non agebatur de Prælato, qui certò Exemptus esset, cuique disputaretur facultas præscribendi alia Jura Episcopalia, quàm quæ in Privilegii titulo continentur, ut in hæc Secundâ Quæstionis Parte de eo solo agitur: sed agebatur de Prælato, qui justè præsumebatur Subditus, quia nullo titulo probabat, se Exemptum, & de isto in primâ Quæstionis Parte dictum est non posse præscribere Jura Episcopalia, ut ea independentem ab Episcopo exercere possit; Quidquid sit, hoc certum discrimen inter Jus Commune & Jus Gallicum reperio, quòd Jure Communi ex possessione memoriam Hominum excedente præsumitur titulus, undè qui gaudet eâ possessione manuteneretur, etsi non possit exhibere titulum; at Jure Gallico titulus non præsumitur, sed potiùs usurpatio Sede Vacante inchoata, & continuata Episcopo negligente petere tituli exhibitionem.

Quæri obiter potest, cur in Galliâ præsumitur titulus in Laico, qui possidet Decimas per tempus memoriam Hominum excedens, etsi Laicus sine Privilegio incapax sit juris percipiendi Decimas, ideòque etiam haud capax illud jus præscribendi; titulus verò non præsumatur in Prælato possidente à tempore memoriam Hominum excedente Jura nonnulla Episcopalia, cum non videatur egere magis Privilegio ad illa Jura possidenda, quàm Laicus egeat Privilegio ad possidendum Jus decimandi.

Respondetur, discrimen hinc peti, quòd Laici habeant Privilegium possidendi Jus decimandi in Corpore Juris inclusum, nempe in *C. 19. De Decim.* insinuante esse Laicos, qui sine periculo Animarum retinebant Decimas, qui alii esse nequeunt, quàm qui infeudatas habebant; undè notat PRUENIUS Veterem Codicem addere, non infeudatas, ea propter Laici, qui à tempore memoriam Hominum excedente possident Jus decimandi, præsumuntur illas possidere infeudatas à tempore præcedente textum illum, qui prohibet Decimas aliter possidere; at Prælatus non habet in Corpore Juris Privilegium, quo possit Jura Episcopalia possidere, undè, qui illa possidet, non præsumitur justè possidere, ideòque docere debet de Titulo.

QUÆSTIO XVII.

An qui abutitur Privilegio illud eo ipso amittat?

Respondetur, Textus suprâ citatos, dùm de viis, quibus amittitur Privilegium, actum est, ostendere penam hanc esse Sententiæ ferendæ: dicunt enim omnes, quòd qui concessâ abutitur potestate, mereatur illam amittere. Iis addendus locus ex *S. Augustino* desumptus, & à *Corrector. Rom.* relatus *C. 63. CAUS. XI. QUÆST. III.* hic autem est, *Judicio Legum jure ab obtentâ Dignitate dejicitur, qui Privilegio sibi concessô abutitur.* Sensus enim est, Leges justè judicare, hujusmodi Hominem deiciendum esse. Excipienda quædam Privilegia, de quibus Canones dicunt, quòd ipso facto amittantur in quibusdam Casibus; id dicunt de Privilegio Fori, & Canonis. *C. 27. De Privil. C. 33. 35. De Sententiâ Excomm.*

Q U Æ S T.

QUÆSTIO XVIII.

An Privilegium pereat, eo ipso, quòd maxime damnosum fiat, vel quòd cesset causa, propter quam concessum est?

Dubitandi Ratio circa Primum; Privilegium est Gratia: Gratia autem injusta fit, quòd incipit maximum alteri inferre præjudicium.

Ratio dubitandi circa Alterum Quæsitum; Cessante causa cessat effectus.

Ad Primam Quæstionis Partem Respondeo, C. 9. De Decim. docere, revocandum, vel moderandum Privilegium, quod fit aliis maxime nocivum; loquitur de Privilegio non solvendi Decimas concessio Cisterciensibus, quòd rarè erant illorum Abbatia, atque etiam pauperes, declarataque illud revocandum, aut saltem moderandum ex eo, quòd Abbatia Cisterciensis Ordinis adeò augmentata & ditata fuissent, quòd multi Viri Ecclesiastici de Privilegio illo conquirentur. Eà de causa CONCILIUM LATERANENSE 1216, C. 34. *De Decimis* restringit Privilegium illud ad Terras jam acquisitas, quas Religiosi suis manibus aut sumptibus excolebant, volens, ut de Terris postea acquirendis, quoquo modo illas exculturi essent, Decimas solverent, & de Terris alienis ipsorum manibus vel sumptibus excolendis idem præstarent. Quod præcepit Concilium circa Cistercienses, ad alios Religiosos idem Privilegium Habentes extendit.

Idem Textus ostendunt etiam, quòd cessante causa Privilegii non cessat eo ipso Privilegium, cum ex iis colligatur, quòd paupertate Regularium cessante, non cessasset Privilegium solvendi Decimas, cujus causa fuerat præcipua.

QUÆSTIO XIX.

An, si Ecclesia alicujus Civitatis Cathedralis obtrineat Exemptionem ab Ordinaria Jurisdictione, nullà factà mentione Exemptionum similium concessarum plerisque Ecclesiis ejusdem Civitatis, postrema hæc censenda sit obreptitia?

Quærendi causa; Rescriptum postrema Exemptionis non potest esse obreptitium, ob omisam in illo mentionem anteriorum Exemptionum concessarum, in eadem Civitate Cathedrali, si nulla extet Lex, quæ adstringat ad faciendam hujusmodi mentionem; quod sic ostendi potest: Ratio proxima, cur in Secundo Rescripto circa eandem rem, de Primo faciendâ est mentio, alia non est, quam quia extat Lex, quæ hanc mentionem exigat, & habetur C. 3. 9. 23. *De Rescriptis.* Idemque dicendum de cæteris rebus exprimendis: extant Leges, quæ obligant ad illas exprimendas, ut videre est ex Textibus circa id collectis, dum de Rescriptis egimus. Nulla autem habetur Lex, quæ cogat, ut in postrema Exemptione de similibus aliis obtentis mentio fiat.

Ea tamen non obstante Ratione, *Dicendum*, quòd obreptitia videatur Exemptio, quæ de pluribus aliis similibus concessis in eadem Civitate Cathedrali non meminerit. Hæc Sententia inferitur ex C. 20. *De Rescriptis;* docet enim in Rescripto exprimenda, quæ dimovere possunt Summum Pontificem à concedendâ Gratia: avocari autem plurimum potest Summus Pontifex à concedendâ Exemptione, si sciat, jam plures similes concessas esse, in eadem Civitate Cathedrali; cum præsumendus sit, nolle Episcopum totâ ferè Jurisdictione spoliare in præcipuo Loco Dioceseos, eoque modo illi spem auferre utiliter regendi Diocesim; nam quæ ab Ecclesiis Civitatis fiunt, trahuntur in exemplum ab Ecclesiis aliorum Locorum; ideòque si Episcopus caruerit potestate reformandi Ecclesias Civitatis, vix poterit cæteras corrigere. Non ignorant Summi Pontifices, strictè præcipi Episcopis, ut præcipuè resident in Civitate Cathedrali, quòdque ejus præcepti ea mens sit, ut suâ præsentia Clerum præcipuum Dioceseos in officio contineant, idque ab illis præstari non posse, si careant in illum Clerum autoritate.

Extat ergo Lex, quæ saltem confusè præcipit, ut Rescriptum Exemptionis novissima, anteriorum Exemptionum ejusdem generis in eadem Civitate Cathedrali concessarum mentionem faciat; eaque notatu dignior, quòd è Ratione Naturali petatur, dictat enim, ut, qui

Gratiam postulat, non celet, quæ amovere possint ab illius Concessione, ne Gratia non congrua concedatur in Concedentis opprobrium.

QUÆSTIO XX.

An Privilegia aliis, quam Concedenti, nociva concedere liceat, non vocatis, quorum interest?

Quærendi causa; Concessio Privilegiorum non est Actus Judiciarius, ideòque necessarium non videtur, ut Partes vocentur.

Verum non obstat hæc Ratio, quin *Dicendum* sit, quòd non liceat Privilegia concedere, non vocatis, quorum interest. Colligitur hæc Sententia ex eo, quòd ad Concessiones aliarum Gratiarum aliis, quam Concedentibus, nocivarum, requiritur vocatio eorum, quorum interest, quod patet hæc Inductio.

Inter Grantias hujusmodi collocantur 1. Unio Beneficiorum, utpote Collatori, aliisque Pluribus, ut plurimum nociva. 2. Erectio Parochiarum, Episcopatum, Metropolitanon, Primatiarum, in alieno Districtu. 3. Adificatio novorum Monasteriorum in Locis, in quibus extant jam alia. 4. Millarum Reductio. 5. Alienationes Rerum Ecclesiasticarum. Ideò autem in his omnibus casibus vocandi sunt, quorum interest, quia de præjudicio alieno agitur, ac æquum non est, ut illud inferatur, non auditis iis, quibus inferendum; cum fieri possit, ut rationes opponendas habeant, quæ à Gratiis concedendis dimoveant.

Huic Innixum fundamento CONCILIUM CONSTANTIENSE vetat, ne Exemptio ulla concedatur, non vocatis, quorum interest, in Decreto *Attendentes* Sess. XLIII. Eadem de causa idem prohibet CONCILIUM LATERANENSE sub LEONE X. Sess. X. aliterque concessas, irritas decernit.

Adducta Exempla solvunt Argumenta opposita, cum nullum eorum sit Actus Judiciarius, & tamen quodlibet requirat vocationem Partium.

Hinc, si Privilegia non solvendi Decimas, vel percipiendi illas, quæ aliis debebantur, concessa sunt, non vocatis, quorum intererat, ab æquitate non nihil recessisse videntur, qui illa concesserunt. Idem dicendum de Exemptionibus datis, vel Monasteriis, vel Capitulis, à Jurisdictione Episcopi Diocesani, nec non de iis, quæ concessæ sunt ipsis Episcopis à Jurisdictione Metropolitanæ, si vocati non fuerint, quorum intererat. Eadem de causa plurima habemus Exempla Exemptionum à Jurisdictione Episcopi, in quibus expressa sit mentio consensus Episcopi. Quadam refert THOMASS. Part. IV. L. I. C. 53.

QUÆSTIO XXI.

An, pendente lite circa Exemptionem, Exempti eâ gaudere debeant?

Quærendi causa; Si lis non fuerit manifestè injusta, Exemptio dubia habenda, in dubio autem judicandum videtur pro Episcopo, quia in Jure Communi fundatur, ideòque pro indubitato illius Jus tenendum sit, donec Exemptio probetur; præterea discurrendum hic videtur de Judicio circa possessionem Exemptionis, ut de Judicio circa proprietatem ejusdem Exemptionis, quia possessio pendet è titulo, quo de proprietate judicatur: At manente dubio circa proprietatem Exemptionis, judicandum pro Episcopo, quia titulus illius certus est, Exemptorum verò titulus incertus, certus autem titulus incerto prævalere debet, videtur ergò, quòd, manente eodem dubio circa Possessionem, Possessio adjudicanda sit Episcopo.

His non obstantibus, *Dicendum*, quòd, si Exempti allegant Privilegium probabile cum Præscriptione 40. annorum, pendente lite circa validitatem Privilegii & circa Præscriptionem, adjudicanda est Possessio Exemptis. C. 7. *de Privileg. in VI.* Ratio est, quia hujusmodi Privilegium causant justam præbeat præscribendi, & multò magis possidendi, cum Præscriptio nihil aliud sit, quam fructus Possessionis colorata, pacifica, & non interrupta per tempus præscriptum. Insinuatur hæc Ratio à BONIFACIO VIII. Autore *civari Capituli.* Si verò non allegetur Privilegium probabile cum Præscriptione Quadragenariâ, sed sola Præscriptio,

tio,

tio, videtur, quod tunc adjudicanda est Possessio ipsi Episcopo, quia Exemptorum Possessio non appareat colorata, deficiente titulo colorato, qui alius esse non potest, quam Privilegium probabile; Excipio Casum allegatæ Præscriptionis memoriam Hominum excedentis, propter præsumptionem tituli perdati, cum vix credere sit, Episcopos per hujusmodi tempus passos fuisse, ut Monachi vel Clerici sui pro Exemptis sese habuissent, non exhibito titulo.

QUÆSTIO XXII.

An Exemptiones, quibus totus Ordo Religiosus eximitur à Jurisdictione Episcoporum, aut Monasterium à Jurisdictione Ordinarii, aut Capitulum, aut Episcopus à Jurisdictione Metropolitanæ, executioni mandari possint sine Litteris Regiis Patentibus?

Quærendi causa: Exemptiones hujusmodi sunt Spirituales, Potestas verò Regia ad res Temporales restringitur.

Nihilominus *Dicendum*, has Litteras esse necessarias ad executionem Exemptionum memoratarum; idque, tum quia Rex est Protector Canonum in Regno receptorum, & Exemptiones hujusmodi derogant his Canonibus, tum quia eadem Exemptiones conceduntur Bullis Pontificiis, quæ in Regno executioni mandari non possunt, absque Litteris Regiis, Tabulatis Parlamenti, in cujus Districtu exequendæ sunt, insertis; tum quia eadem Exemptiones nonnullam habent connexionem cum Administratione Civili, cum soleant secum invehere Libertatem à quibusdam Juribus Temporalibus, ut patebit ex dicendis circa Exemptiones à Juribus Temporalibus.

Præterea discurrendum videtur de his Exemptionibus, sicut de Erektionibus novorum Episcopatum, aut Archiepiscopatum; dum enim erigitur novus Episcopatus, subtrahitur Jurisdictioni alicujus Episcopi Regio aliqua, quæ sub Regimine novi Episcopi collocatur: in erektione verò Archiepiscopatus, subtrahuntur plures Episcopatus Jurisdictioni cujusdam Archiepiscopi, & sub Ditione alterius novi Archiepiscopatus collocantur: undè videntur in his Erektionibus nonnullæ Exemptiones similes illis, de quibus sermo est, cum per istas nihil aliud fiat, quam subtractio Jurisdictioni Ordinariæ, & subjectio alienæ. At Episcopatus vel Archiepiscopatus erigi non possunt absque Litteris Patentibus, si qui autem aliàs erekti videntur absque Litteris Patentibus, ut Archiepiscopatus Tolosanus, & Episcopatus nonnulli, qui sibi subjecti sunt, hoc factum est, quia existimatum justis de causis, eo casu sufficere consensum tacitum ipsius Regis; nunc autem propter rationes supra adductas expressus semper exigitur, declaratus Litteris Patentibus, necdum in his Erektionibus, sed etiam in quibusvis Exemptionibus etiam Spiritualibus; qui usus jam Sæculo VII. vigeat. Hujus rei fidem facit *Formula Prima & Secunda MARCULFI*, qui eo Sæculo vixit, ut notat *HIERONYMUS BIGNONIUS*. Respicit Exemptionem Monasterii à quolibet Jure Temporalis Episcopi circa Res Sacras, aut conficiendas, aut administrandas, aut distribuendas ab Episcopo, item Exemptionem à Juribus Episcopalibus Spiritualibus, quæ Monachorum quietem turbare possent, qualia Jura collocandi Cathedram Episcopalem in Monasterio ad prædicandum, administrandi Sacramenta Confirmationis, vel Ordinis, faciendi solemniter Sacrum. Ecclesia Monachorum tunc erat interna, ut etiam nunc Ecclesiæ Carthusianorum & aliorum quorundam Religiosorum Solitariorum; non exterior, ut Ecclesiæ aliorum Regularium; ideoque non poterat Episcopus in illâ Ecclesiâ solemniter obire Munia Pontificalia, concurrente Plebe Cleroque, quin tumultus in Monasterio fieret, turbareturque pax & tranquillitas Monasterii; quæ ratio, cum cesset ergà illos Regulares, quorum Ecclesia est exterior, hinc factum, ut defierit hujusmodi Exemptio. Utraque Exemptio ab Episcopi Jurisdictione conceditur. In secundâ Formulâ Rex confirmat utramque Exemptionem, additque Immunitatem à Juribus Regalibus.

Difficultas remanet solvenda, nempe, num Litteræ Patentis adeò sint necessaria ad executionem Exemptionis etiam Spiritualis, ut nulla futura sit, si illæ defuerint, & nulla fuerit aliàs, isdem deficientibus Litteris. Pars Prior nunc indubitata censetur, ita ut haud dubiè, si ab Executione hujusmodi Exemptionis appellaretur tanquam ab abusu, irrita declararetur.

Circa Posteriores Partem, sunt qui distinguant inter Exemptionem executioni mandatam absque Litteris Patentibus ab annis 30. & ampliùs, & illam, quæ executioni mandata est infra 30. annos; æstimantque Secundo Casu nullam fore judicandam, non autem Primo. Hæc sententia innititur Declarationi Regiæ, 1666. mense Decembri, quæ Erektiones Monasteriorum factas absque Litteris Patentibus antè 30. annos irritas non decernit, sed illas solas, quæ intrâ 30. annos factæ sunt: hæc autem Ratio non convincit, cum ex cassatione Monasteriorum ante 30. annos erektorum sequantur incommoda, quæ in cassatione Exemptionis etiam antiquioris locum non habent; nam v. g. si Erektio Monasterii Monialium in Congregatione non positæ irrita decernatur, Moniales Professæ coguntur quandoque in Sæculo remanere, vel vim sibi inferre per totam vitam, si in alia Monasteria transferantur, circa quæ propensio non sunt animo, ex cassatâ verò antiquiore Exemptione, nullum nascitur incommodum.

Quidquid sit de hæc sententiâ, justus est credendi locus, antiquas Exemptiones non ob id solam, quod executioni mandatæ sunt sine Litteris Patentibus, nullas declaratas non iri, cum nullâ Lege id prohiberetur, tunc enim non concedebantur, Episcopis invitis, *THOMAS. Discipl. Part. IV. L. 1. C. 54.* ideoque hujusmodi Litteræ necessaria non erant, cum illarum necessitas cœperit ex recurso Ordinariorum ad Regem, ut ab iis arceret vexationes Exemptionum, ipsis repugnantibus, frequenter concessarum.

SECTIO II

Quæstiones circa Indicia certa incertæ Exemptionis.

QUÆSTIO I.

Est-ne certum Argumentum Exemptionis alicujus Ecclesiæ, Capituli, vel Monasterii, si de iis in aliqua Scripturâ dicat Papa, quod Exempta vel Libera sint, vel ad jus & proprietatem Ecclesiæ Romanæ pertineant?

Resp. Distinguendum; vel illa Scriptura continet Donationem libertatis seu exemptionis, aut Sententiam de eadem exemptione latam, vel neutrum continet. Si Primum, sufficienter hinc probatur exemptio; secus, si Secundum. *C. 10. De Privileg. in VI.* hanc distinctionem insinuat.

QUÆSTIO II.

Jus ferendi Mitram, aliave Ornamenta Episcopalia, est-ne certum Indicium Libertatis?

Resp. Non; Quia jus illud concessum est non Exemptis, ut & Exemptis. *C. 6. De Privileg. in VI.* præscribit Formam Mitræ, quâ uti possunt non Exempti.

QUÆSTIO III.

An inferri potest, Ecclesiam esse Exemptam ab Ordinarii Jurisdictione ex eo, quod non utatur Breviario Diocesano?

Resp. Non; Quia sunt Ecclesiæ non Exemptæ, quæ aliud habent Breviarium, quàm Ecclesia Cathedralis; talis est Ecclesia Collegiata Roienfis Diocesis Ambianensis: in eo jure conservata est Senatusconsulto Parisiensi 1669. 30. Decemb. Non diffidendum tamen, eâ in re, inesse aliquid Exemptionis, supposito quod Ecclesia illa cogi non possit ab Episcopo, ut Breviario Diocesano utatur, cum Jure Communi quælibet Ecclesia Episcopo subiciatur quoad modum recitandi Divinum Officium; idque insinuat *CONCIL. TRID.* in Decreto de *Observ. & evitand.* Sess. XXII. quia supponit ad Episcopos pertinere, ea præscribere, quæ Divinum Cultum

tum respiciunt; & recitatio Divini Officii ad illum cultum maximè spectat.

QUÆSTIO IV.

An Exemptio concludi possit ex eo, quod à Diœcesano Censuris plebii non possit?

Resp. Non, si agatur de Exemptione totali; id ita declarat. C. 10. de Privil. in VI. scilicet, si de partiali sermo sit, ex quo enim quis nequit Censuris ferri ab Ordinario, in illo ab ejus Jurisdictione exemptus est.

QUÆSTIO V.

Quam Exemptionem denotent hæc voces, multa libertate donantur, libera sit Ecclesia, gaudeat libertate, potius libertate Ecclesiæ Romanæ, An solam Immunitatem à Juribus Temporalibus, an etiam Exemptionem à Juribus Spiritualibus, qualia Jura corrigendi, visitandi, ordinandi, administrandi cætera Sacramenta?

Resp. Allatæ locutiones significant tantum Exemptionem à Juribus Temporalibus, quæ, cum Servitutes censentur, merito fit, ut Exemptio ab his Juribus, Libertas vocetur, Jura autem Spiritualia dici non possunt Servitutes, cum proximè respiciant Animarum Salutem, ac conducant ad fidele Deo obsequium exhibendum, cui servire regnare est: has autem locutiones videre est in. C. 7. de Privil. C. 10. de Privil. in VI.

QUÆSTIO VI.

An denotetur plena Exemptio hæc locutione, liber ab omni Consuetudine Episcopali?

Resp. Non, sed denotatur tantum Immunitas à Juribus Temporalibus Episcopo solvendis, quæ vocabantur Consuetudines, quia à Consuetudine pendebant: hujus rei argumentum habes in C. 16. de Sim. in eo dicitur de jure, quod pro Chrismate exigebatur, illud appellatum esse Consuetudinem: adde, quod Jura Episcopalia Spiritualia, non possunt proprie vocari Consuetudines, quia à Consuetudine non sunt introducta, nec ab ea omnino pendent, sed vel Jure Divino instituta, vel Jure Ecclesiastico Communi.

QUÆSTIO VII.

Inferri ne potest plena Exemptio; ex hac locutione; Ecclesia Exempta ab omni onere Jurisdictionis Pontificalis?

Resp. Non, quia hæc Jurisdictio proprie non sumitur pro Imperio Episcopali in alium; cum nullus sit Exemptus, qui liber sit ab Imperio Episcopali, ut enim supra observatum, nullus eximitur à Jurisdictione sui Episcopi, quin subiciatur Jurisdictioni alterius Episcopi, vel Metropolitanæ, vel Primatis, vel Papæ, isti enim quoquo modo vocentur sunt Episcopi, sicut & illi, qui id nominis retinent; hæc ergo locutione denotatur tantum Exemptio ab omni Jure Episcopali Temporalibus, quod ideo vocatur onus Jurisdictionis Pontificalis, quia jus onerosum est debitum ratione prædictæ Jurisdictionis.

QUÆSTIO VIII.

Quæ Exemptio significatur hæc locutione, ut nullus Episcopus Clericum vel Monachum talis Ecclesiæ vel Monasterii synodare nequeat? Habetur in C. 21. de Privil.

Resp. Hæc locutione eximitur, quia à Correctione in Synodo faciendâ solvitur, illi enim, qui in Synodo corrigebantur synodari dicebantur, ut nunc qui in Capitulo corriguntur, capitulari (être Chapitres) dicuntur.

QUÆSTIO IX.

An Exemptio à Lege Diœcesana, de quâ in Tract. de Vicario Generali, importet Immunitatem ab omni Jure Episcopali Temporalibus?

Resp. Ita, si excipias jus emendæ; quod ad Legem Jurisdictionis spectat. C. 18. de Off. Judic. Ordinar.

QUÆSTIO X.

Quid significant hæc Verba, circa Clericos vel Monachos Exemptos, illos ad jus Professionis non teneri, quia libertati contrarium, respiciunt-ne Exemptionem Spiritualem, an Temporalem?

Resp. Ad Temporalem spectare videntur: horum enim sensus est, ni fallor, illos esse Exemptos ab agnoscendo Episcopo tanquam Domino, seu potius Administratore rerum, quas possident, & à solvendis Juribus debitis ratione hujus Domini.

Tom. I.

Questiones circa amissa vel combusta vel subrepta Privilegiorum Instrumenta.

QUÆSTIO I.

Pralatis asserentibus amississe Privilegia, fidesne adhibenda, si asserentem fide dignam non ostenderit?

Resp. Asserenti perdidisse Privilegii Instrumentum & asserentem non probanti, non magis credendum, quam illi, qui se jactat habere Privilegium & non ostendit; uterque profert rem probationis indigentem; undè hæc Decisio stabilitur iisdem Textibus, quibus supra monstratum est, illos, qui se asserunt Privilegio munitos, illud ostendere teneri. C. 7. de Privil. in VI. C. 1. de Elect. EXTRAVAG. COMMUN.

QUÆSTIO II.

Quomodo probanda Instrumenti Privilegium Continentis amissio?

Resp. Si de Privilegio à Sancta Sede concessio agatur, antè omnia exponenda est Summo Pontifici hæc amissio, ut deleget aliquem, qui probationes ipsius nomine recipiat, & coram Delegato producendi Testes, qui jurati deponant, quidquid circa illud Privilegium sciunt; Delegatus autem curabit, ut Depositiones fideliter scriptis excipiantur, quo peracto, si quæ sit Pars Adversa, quæ neget, ullum extitisse Privilegium, producet Testes, quibus destruat aliorum Depositiones. C. 12. de Privil. Deponentes pro Privilegio, allegare possunt facta, quæ probent in eo contenta, quale est Papam ad osculum admississe Excommunicatum ab Episcopo, à cuius Jurisdictione asserunt illum fuisse Exemptum, etsi justa esset Excommunicationis causa, & de Excommunicatione, nec non & de causâ conscius esset. *ibid.* ita Jure Communi.

Jure verò Gallico amissio Privilegii eodem modo probanda est, ac amissio Regestorum Baptismatum, Sepulturarum, & Matrimoniorum. Tit. XX. art. 14. Ordin. Reg. 1667. Regestorum autem jactura probatur & Titulis, & Testibus; eoque casu inter Titulos collocantur Chartæ domesticæ Parentum Defunctorum; in quibus notarunt Filiorum ortum, Baptismum, Matrimonium, Sepulturam. Pars Adversa admittitur ad probandum contrarium, & si Reipublicæ interfit, auditur Procurator Regius. Inter Casus autem, quibus audiendus est, collocantur illi, in quibus agitur de qualitatibus ad Beneficia requisitis, de Receptione, Juramento, & Installatione ad Munera Officiaque; cum ergò Privilegium amissum respicere possit qualitates ad Beneficia requisitas, aliæque Bonum Publicum spectantia, accedere potest, ut in probatione amissionis Privilegii vocandus & audiendus sit Procurator Regius.

Si de Privilegio Temporalibus ageretur, Inquisitio faciendâ esset ab eo, qui à Rege, à quo illud emanasset, committeretur.

QUÆSTIO III.

Qualiter Innovandum sit deperditum Privilegium?

Resp. Post Inquisitionem factam à Deputato circa Privilegii jacturam, & ea, quæ in illo Continebantur, si constat de deperdito Privilegio & de contentis in eo, Inquisitor subjungit Inquisitioni judicium, declaratque, jacturam Privilegii satis probatam esse, atque offensam, hæc & alia in eo expressa fuisse, si id faciendi facultas sibi data fuerit: alioquin Delegatus, sive Papa, sive Rex hanc facit Declarationem, vel novum Privilegium veteri simile concedit. C. 12. de Privil. Formul. MARCULFI L. 1. 33. & BIGNONIUS in illam.

Questiones de Exemptionibus abrogatis per Canones Jus Commune continentes.

Restringimus has Quæstiones ad Exemptiones abrogatas à Canone Generali, quia Abrogationes factæ vel Prescriptione, vel Consuetudine, vel Canone Particulari, vix sciri possunt in Locis, ubi factæ non sunt, cæteræ verò facillimè cogniti sunt.

Quæ circa prædictas Exemptiones quæri possint, huc reduunt: An extent? Quotuplex earum genus? Cur abrogata? An abrogatio subsistat? An non abrogata approbata sint?

QUÆSTIO I.

Extant-ne Exemptiones à Canone Generali abrogatæ?

Resp. Extant plurimæ hujusmodi Exemptiones. Patet hoc ex iis, quæ dicturi sumus de Variis illarum Generibus.

QUÆSTIO II.

Quot sint Genera Exemptionum à Canone Universali abrogatarum?

Resp. Triplex est Genus. Primum earum, quæ partim abrogatæ, partim conservatæ sunt; Secundum earum, quæ omnino abrogatæ sunt post Concessionem; Tertium earum, quæ per Præventionem abrogatæ prohibitionem cum Decreto irritante.

Præcipua, quæ pertinent ad Primum Genus Exemptionum abrogatarum, collegi in *Tractatu de Vicario Generali, Tit. de Jurisdictione Episcopi à Canone Tridentino restituta circa Exemptos*, cætera habes in Decreto LEONIS X. in CONCILIO LATERANENSI V. 1515. Sess. X. circa Exemptiones, Incipit *Regimini*. Hæc autem sunt 1. Exempti, quicumque sint, qui incorrecti remanent propter negligentiam illorum, quibus illorum Correctio demandata est, subjiciuntur Jurisdictioni Ordinariæ, si intra præfixum tempus ab Ordinario, Correctio facta non fuerit, cum hæc tamen restrictione quod Ordinarius Inquisitionem factam, & Processum debite instructum mittet ad Pontificem, ut Exemptos Reos puniat.

2. Protonotarios non deferentes habitum & Rochetum, Protonotariatus Insignia, & Officiales Sedis Apostolicæ actu Officia sua non Exercentes, judicare potest Ordinarius in Causis Criminalibus non excedentibus summam ibi præfixam.

3. Familiaritatis Litteras Habentes à Cardinalibus, qui non sunt actu Commensales, Ordinario subfunt, nisi vel propter eorum negotia ab iisdem missi fuerint, vel recreationis causâ, per tempus abfuerint.

4. Visitare potest idem Ordinarius semel per annum singula Monialium Monasteria immediatè subjecta Sedi Apostolicæ.

Secundum Genus Exemptionum, nempe omnino abrogatarum, videre est in *Concilio Constantiensi Sess. XLIII. Decreto Attendentes*, In illo abrogantur omnes Exemptiones concessæ per 40. annos elapsos à morte GREGORII XI. an. 1378. usque ad istam Sessionem, quæ est an. 1417. tam Monasteriis & Capitulis, quam Singularibus Personis. Excipiuntur, 1. Quæ toti Ordini concessæ sunt. 2. Quæ in Fundatione Monasterii, Capituli, Beneficii, concessæ. 3. Quæ ab Universitatibus vel Collegiis impetratæ. 4. Quæ per modum Confirmationis, vel Augmenti, seu Additionis factæ. 5. Quæ Auditis, quorum intererat, & Consentientibus Ordinariis, obtentæ. Revocantur & abrogantur quoque Exemptiones omnes perpetuæ, quæ per Inferiores à Papâ per idem tempus concessæ sunt.

Tertium Genus Exemptionum abrogatarum, nempe earum, quæ per Præventionem abrogatæ sunt, habes in Decreto *Regimini* supra citato V. *Concilii Lateranensis*. In illo irritas decernit Exemptiones, quæ conceduntur absque rationabili causâ, & iis, quorum interest, non Citatis. De vocandis Partibus item caverat *Concilium Constantiense*. Sess. XLIII. *Decreto supra citato*.

QUÆSTIO III.

An Abrogatio prædictarum Exemptionum vigeat adhuc?

Resp. Nullum legi Canonem, qui abrogatas has Exemptiones restituat; extare verò videntur nonnulla Exempla contraria Decreto irritanti Exemptiones concessas non Citatis, quorum intererat; Tales sunt Exemptiones concessæ quibusdam Ordinibus Regularibus post dicitum *Concilium Lateranense*. Veluti, quæ Societati Jesu, Monialibus Carmelitanis, Congregationi de Doctrinâ Christianâ, Ordini Monialium Calvariæ; Dico, illas Exemptiones videri contrarias Decreto citato, quia generale est, nec ullum Exemptionis genus exipit, undè intelligi potest tam de illis, quæ totum Ordinem respiciunt, quam de illis quæ singulares Conventus, vel Domos, vel Personas: præterea, dum agitur de Exemptione toti Ordini conferendâ, multò major est

Ratio audiendi eos, quorum interest, quia ad Plures extenditur præjudicium, nempe ad omnes Episcopos; cum in singulis Episcopatibus erigi possint Conventus Ordinis Exempti; idcirco existimo, Exemptiones prædictas includere conditionem, *Salvo Ordinariorum consensu*.

QUÆSTIO IV.

Cur Exemptiones memoratæ abrogatæ fuerint?

Resp. Causæ Abrogationis inferuntur ex duobus Decretis citatis, Hæc autem sunt, 1. Concessio facta fuerat absque iustâ causâ, Quod colligitur ex his verbis Decreti *Attendentes, pro voluntate suâ*, quibus insinuat, Pontifices illas Concedentes voluntatem suam, non rationem, secutos fuisse. 2. Concessæ fuerant propter importunitatem Petentium: id expressè habet idem Decretum. 3. Concessæ erant non Auditis, quorum intererat, ac non Consentientibus Ordinariis; Inferuntur ex eo, quod idem Decretum excipiat, conservetque nominatim Exemptiones concessas auditis, quorum intererat, & Consentientibus Ordinariis: præterea expressè in fine damnat Exemptiones aliter concedendas. 4. Exemptiones occasionem dabant liberiùs peccandi & impunè. *Vid. Decretum, Regimini*.

QUÆSTIO V.

An Quævis à CONCILIO TRIDENTINO facta Abrogatio vim suam habeat?

Resp. Abrogationes factæ à *Concilio Tridentino* circa Exemptiones Ecclesiarum Cathedralium, vires suas non habent; nam 1. extant Ecclesiæ Cathedrales etiam in Provinciis, quæ *Concilii Tridentini* Decreta omnia & singula solemniter receperunt, quæ protestatæ sunt contra Abrogationes suorum Privilegiorum, Exemptionum que; ejus generis sunt Ecclesiæ Cathedrales Provinciae Cameracensis; Illarum Protestatio habetur CONC. Tom. XV. p. 200. his concepta verbis, *Protestando tamen validitatem Privilegiorum nostrorum, Jurisdictionum, Exemptionum nobis firmam fore autoritate Sedis Apostolicæ, si Sanctissimus Dominus Noster Papa, nostris rationibus exhibitis, det seu Interpretationem, seu Moderationem Decretis Concilii Tridentini*.

QUÆSTIO VI.

An Exemptiones non abrogatæ à CONCILIO CONSTANTIENSI, ab eodem censentur approbatæ?

Resp. Videntur approbatæ, quia post aliarum Abrogationem, Concilium hæc addit, *Ceteris autem Exemptionibus antè obitum dicti Gregorii habitis, vel concessis, nullum volumus per hoc præjudicium generari*. Sed hæc Ratio non evincit, Concilium has Exemptiones approbasse, cum allata verba significant tantum, Concilium velle illas salvas esse, seu non abolitas, & longè abfit ab Approbatione consilium non abrogandi; eodem plane modo, quo Permissio à Tolerantiâ distat; Quod enim permittitur; approbatur: Quod verò toleratur, non approbatur; sed duntaxat saluum esse finitur usquequod possit abrogari. Præterea certum est, non potuisse Concilium approbare Exemptiones, quibus inerant vitia, propter quæ cæteras abrogabat, nempe defectum iustæ causæ, defectum Citationis eorum, quorum intererat, & Consensus Ordinariorum, qui spoliabantur jure: at verò simillimum est, inter Exemptiones antè obitum GREGORII XI. concessas, non paucas extitisse, quæ his vitiis laborabant.

SECTIO III.

Questiones nonnulla extrâ locum suum posita, præcedentium Expositoria vel Suppletoria.

QUÆSTIO I.

An qui Jurisdictionem contrâ Episcopum præscribit, non præscriptâ Territorii parte, illam ita acquirat, ut Episcopus per Præventionem illam exercere nequeat?

Quærendi causa: Quoties Territorii pars non præscribitur, Jurisdictio remanet in illo, ad quem Territorium pertinet: si ergò, non præscriptâ Territorii parte Jurisdictio præscribatur contrâ Episcopum, ita ut iste nec per Præventionem exercere valeat, sequitur, quod ex suppositione Jurisdictionem habeat, cum locus, in quo exercenda est, sibi subesse supponatur, aliunde verò

Jurisdic-

Jurisdictione careat, cum illam etiam per Præventionem exercere nequeat.

Respondetur, totam alicujus Loci Jurisdictionem Spiritualem præscribi non posse, quin præscribatur Territorii pars, in quo existit, ita ut illam ex Præventionem exercendi facultas non remaneat penes illum, ad quem antea pertinebat, alioquin in eodem Loco Duo Capita forent nequaquam sibi Subordinata: Partem verò Jurisdictionis posse præscribi, Territorii parte non præscripta; non enim repugnat certam Jurisdictionis partem ab uno possideri, aliam verò ab alio, cum in eodem Districu diversæ Personæ circa diversas res Jurisdictione potiantur; præterea id clarè demonstrant. C. 15. & 18. *De Præscript.* in quibus Jurisdictionis pars Jure Communi adjudicatur Episcopo, Præscriptionis autem Jure alia pars Abbati tribuitur in eodem Territorio.

QUÆSTIO II.

Queritur, An in Corpore Juris Canonici mentio fiat de Exemptis nullius Diocæseos, an saltem de iis sermonem faciat Concilium Tridentinum?

Ad Primum Respondetur, de hujusmodi Exemptis ne verbum quidem haberi in toto Juris Corpore.

Ad Secundum Respondetur, CONCILIIUM TRIDENTINUM loqui de Exemptis nullius Diocæsis, C. 10. Sess. XXIII. C. 2. Sess. V. *De Ref. S. id verò*, in quo de Monasteriis, quæ, etsi intra Diocæsim sint, nullius esse Diocæsis non desinunt, quia non à Jurisdictione solum, sed à Situ libera sunt; & §. *Si qua verò*, in quo Concilium loquitur de Monasteriis nullius Diocæsis existentibus, quia revera intra nullam sita sunt.

Circà quod notandum, Locorum nullius Diocæsis duplex genus esse; Aliud nempe illorum, quæ ad nullam unquam Diocæsim pertinere, qualia, quæ à Paganis aliisque Inhæditibus possessa, ad Fidem à Monachis Episcopo nulli Subditis conversa, iisque relicta, vel nonnulla Insulæ Monachis eadem similivè de causâ concessa: qualia etiam, quæ extrâ Fines cujusvis Diocæsis in Episcopatum erectione relicta, vel in Confinibus alicujus sita, Exemptione extrâ Fines constituta sunt. Aliud Locorum nullius Diocæsis genus est, illorum, quæ intrâ alicujus Diocæsis, vel initio vel successu temporis comprehensa ita ab Episcopo exemit Papa, ut etiam inter ipsius Diocæseos Membra recenseri noluerit dicique ad illam pertinere.

QUÆSTIO III.

Queritur, an in Jure de Exemptis, qui Jurisdictionem habeant Episcopalem, vel saltem in CONCILIO TRIDENTINO sermo fiat?

Ad Primum Respondetur, Textus omnes, qui loquuntur de Monasteriis vel Abbatibus, quæ Jura Episcopalia, vel omnia, vel illorum partem, præscriperant, de Exemptis, qui Jurisdictionem Episcopalem vel in toto, vel in parte habent, mentionem facere; Tales autem C. 15. 18. *De Præscript.* C. 3. *De in integrum Restitut.*

Idem dicendum de Textibus, qui loquuntur de Regularibus Ecclesiis pleno jure Possidentibus; Tales sunt C. 13. *de Sent. & Re Jud.* C. 31. *De Prab.* C. 3. *De Privil.* §. 2. C. 3. *De Privileg. in VI.* quod in §. *nec eis licitum.* de Abbatibus.

Ad Secundum Respondetur, CONCILIIUM TRIDENTINUM C. 11. Sess. XXV. de Regularibus, expressè loqui de Abbatibus ac aliis Superioribus Regularibus, qui Jurisdictionem Episcopalem habent.

QUÆSTIO IV.

Queritur, An Exemptio, quæ Quis immediatè Sedi Apostolicæ subest, memoretur in Jure & in CONCILIO TRIDENTINO?

Respondetur 1. Apud GRATIANUM memorari duobus locis, nempe C. 52. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo primùm eximit PELAGIUS, deindè GREGORIUS Episcopum à Jurisdictione sui Metropolitanani, illumque Papæ immediatè subjiciunt; & C. 18. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo Exemptionem hujusmodi in Abbatibus damnare videtur PASCHALIS II. dum ait, *Abbatibus, qui neque sub Episcopo, neque sub Metropolitanano, neque sub Primato, neque sub Patriarchâ sunt, nullus prorsus Episcoporum Episcopalia administret.* Cum enim se nulli Episcopo omnino subesse profiteantur, consequens est, ut nullus

Tom. I.

Episcoporum, quæ sua sunt, eis tanquam Extraneis largiantur. Sed verisimiliter loquitur de Exemptione usurparatâ.

2. Apud GREGORIUM IX. iterùm atque iterùm de Exemptione hujusmodi fieri mentionem, hujusque rei testes esse. C. 4. *De Confirm. utili* C. 2. *De Capel. Monachorum.* C. 8. 12. 13. 16. 17. *De Privil.* C. 7. 8. *De Statu Monach.* C. 7. *De Consuet.* C. 5. *De Arbitris.*

3. Apud BONIFACIUM C. 4. 10. *De Privil.* ex quorum priore colligi posse videtur, Exemptorum nomine intelligi, qui ab Ordinarij Jurisdictione liberi Summo Pontifici immediatè subsunt, cum ibidem ALEXANDER IV. hujusmodi Exemptos simpliciter Exemptos vocet, dum ait: *Exempti autem sine Nostrâ Licentiâ Oratoria non constituant.*

4. Apud CLEMENTEM V. *Clem. 2. De Statu Monachor.* ex quâ inferre licet, Exemptarum Monialium duplex fuisse genus, nempe alias, quæ Sedi Apostolicæ immediatè suberant; alias verò, quæ nec Papæ, nec Ordinario proximè subjiciebantur, sed vel Archiepiscopo, vel Primati vel Regularibus ejusdem Ordinis.

Posterioris Monialium generis plura præbet exempla Gallia, cum Carmelitana, Calvariana, Benedictinæ nonnulla, nec Papæ, nec Ordinario, sed aliis Superioribus tam Secularibus, quam Regularibus, quos sibi eligunt, proximè subsint. In EXTRAVAGANTIBUS COMMUNIBUS C. 1. *De Privileg.* C. 9. *De Prab.*

QUÆSTIO V.

Queritur, An, & in Quo differat Monialium Exemptio à Monachorum Exemptione?

Respondetur, in nonnullis certè differre, eaque esse non alia, quam ista. 1. Quæcunque Monialium Monasteria Sedi Apostolicæ immediatè Subjecta visitari ab Ordinario possunt, tanquam Sedis Apostolicæ Delegato. *Clem. 2. De Statu Monach.* 2. Eadem Monasteria ab Episcopo tanquam ejusdem Sedis Delegato gubernanda esse, constituitur. C. 9. Sess. XXV. *De Regular.* 3. Circà Monialium Exemptarum Clausuram Episcopo facultas datur, illam restituendi, ubi violata est, conservandi, ubi inviolata est, Inobedientes & Contradictores per Censuras Ecclesiasticas, aliasque pœnas compescendi, eaque omnia Apostolicâ autoritate faciendi. 4. Nullum Monialium Monasterium Romæ Situm, Titulo cujusvis Cardinalis subest C. 2. *De Capel. Monachor.* Ex his autem Articulis ergà Monachos nullus locum habet.

Articulus alius extat, in quo Moniales Exemptæ à Monachis itidem Exemptis differre videntur, nempe in eo, quòd Moniales sint, quæ nec Papæ, nec Ordinario immediatè subsint, sed aliis; at in hoc non differunt cum C. 7. *de Statu Monach.* mentionem faciat de Monachis, qui per Visitatores à Capitulis Generalibus Deputatos gubernantur, corrigunturque.

Aliud quoque videtur esse discrimen inter Moniales Exemptas & Monachos Exemptos, in eo scilicet, quòd illarum Monasteria, cum non dependant alia ab aliis, peculiari Singula egent Exemptione. Monasteriis verò Monachorum ob contrariam rationem Generalis Exemptio sufficiat: at falsum, utrosque inter hoc esse discrimen, cum de Monasteriis Monachorum, quæ ab aliis alia invicem non dependent mentio fiat in C. 7. *de Statu Monachor.* præterea, ut Generalis Exemptio Monasteriis sufficiat, non requiritur, ut alia aliis subsint, sed satis, ut ejusdem sint Ordinis, vel Congregationis.

Notandum circà Clausuram, quòd Jure Communi Moniales semper Subjectæ fuerunt Episcopo, saltem ut Sedis Apostolicæ Delegato, nec ullum extat peculiare cuiquam illarum Congregationi, vel Monasterio Privilegium in Corpore Juris clausum; cum in toto Juris Corpore, junctoque Concilio Tridentino, duo sint Textus tantum, qui de Clausurâ loquantur, nempe *Caput Unicum, de Statu Regul. in VI.* & C. 5. Sess. XXV. *de Regular.* In utroque autem, Episcopo quoad Clausuram subjiciuntur Moniales, aut ut Ordinario, aut ut Sedi Apostolicæ Delegato.

QUÆSTIO VI.

Queritur, An Prælati, cui Exemptus immediatè subjicitur, quam haberet Ordinarius, in illum habeat Jurisdictionem?

Respondetur, id ita esse, variis ex Juris Canonibus colligi; nam 1. *C. 44. de Elect.* docet, Exemptos immediate Sedi Apostolicæ Subjectos teneri Confirmationem petere ab illâ Sede, sicut peteret ab Ordinario suo.

2. *C. 7. de Consuetud.* ostendit, Exemptum Dignitati renuntiare non posse sine Papæ Licentiâ, sicut non posset, non permittere Ordinario.

QUÆSTIO VII.

Queritur, An Prælati Exempti Proximo illum corrigere negligente, Ordinarius istius negligentiam supplere possit?

Quærendi causa. In Exempti commodum datur Exemptio, cessare ergo debet, quando id illius exposcit utilitas.

Respondetur, quosdam Juris Textus affirmativæ sententiæ favere: nam in *C. 6. de Offic. Ordin.* docetur, Delegati desidiam in Appellationis Causâ ab Episcopo suppleri posse. Appellans autem inter Exemptos quoad aliquam partem connumerari potest.

C. 7. Eod. Tit. permittit Archiepiscopo Austiano, ut, si Regularium Vagantium, propriumque Habentium, Prælati ab ipso commoniti ad Monasteria revocare, proprium abdicare, illos compellere neglexerint, per Suspensionem Beneficii Officii que ipse compellat. Istud autem Caput de omnibus Provinciæ Austrianæ Regularibus indistinctè loquitur, inter quos non fuisse nonnullos Exemptos credere fas non est.

C. 19. Eod. Tit. GREGORIUS IX. Episcopum vituperans, quod Exemptos correxisset, quanguam illos corrigere Abbas paratus esset, insinuat, illum vituperandum non futurum fuisse, si Correctionem Abbas neglexisset.

Eidem sententiæ favet CONCILIUM TRIDENTINUM. *C. 8. Sess. XXI. de Ref.* quod Episcopis visitare permittit Commendata Monasteria, in quibus viget Regulæ Observantia, si moniti Prælati Regulares intra sex menses non visitent.

QUÆSTIO VIII.

Queritur, An ex quo alicui jure pleno subjecta est Ecclesia, omni Episcopali Jure gaudeat?

Quærendi causa: Circa rem habere plenum jus, & habere totum jus, idem esse videtur.

Respondetur 1. fieri non posse, ut cuicumque pleno jure subest Ecclesia, quolibet Episcopi Jure in illâ potiat, cum sint Jura non pauca, quorum soli Episcopi capaces sunt, alii autem, quam Episcopi, Ecclesias pleno jure possidere possunt.

2. Jura Episcopalia duplicis esse generis; Alia nempe sunt Personalia, atque ideò per alios exerceri nequeunt: tale est jus solemniter benedicendi Populum post Missarum Solemnia, Vespertinas, & Matutinas, vel per vias & plateas; Alia non Personalia, quæ per alios exerceri possunt, talia sunt Tonfuræ, Christmatis Distributio, aliaque similia, de quibus. *C. 13. de Sent. & Re Jud.*

Prioris generis Jura non competunt cuicumque Ecclesias pleno jure Possidenti; idcirco Populum solemniter benedicendi facultas ad Abbates pleno jure Ecclesias Possidentes, sine speciali Privilegio, non pertinet. *C. 3. De Privileg. in VI.* quin imò ad priorem prædicti juris partem Privilegium istud restringitur ibidem, nempe ad benedicendum in Ecclesiâ.

Posterioris verò generis Jura cuique Ecclesias pleno jure Possidenti pertinere possunt, idque docet. *C. 13. De Sent. & Re Judicata.*

QUÆSTIO IX.

Queritur, An, per Libertatem alicui Ordini, vel Monasterio, vel Capitulo in Exemptionis Privilegio concessam, absoluta Exemptio intelligatur?

Quærendi causa: Libertas duplex, perfecta & imperfecta, de utraq; ergo Privilegium intelligi potest.

Respondetur, ex variis Juris locis colligi, per Libertatem, absolutam Exemptionem non intelligi, nam 1. *C. 5. De Excess. Præl.* ex quo nascitur difficultas, agnoscit, quod Cistercienses, quibus concessam dicit Libertatem ab ALEXANDRO III. illisque Prædecesso-

ribus, Episcopo obedientiam debeant. 2. *C. 43. De Simon.* ex HONORIO III. desumptum, idem agnoscit, referendo Juramentum ab Abbatibus Cisterciensibus Episcopo præstari solitum, in quo inter alia promittebant Abbates Subjectionem, Obedientiam, Reverentiam secundum Regulam S. Benedicti. 3. *C. 1. De Supplend. negl. Præl.* ostendit, Abbates Cistercienses Episcopo Diocesano quoad Benedictionem recipendam subijci; Ab ALEXANDRO III. desumitur hoc Caput, qui Ordinem Cisterciensem à Prædecessoribus suis liberum factum supra dixit. 4. *C. 7. De Privileg.* docet, eos, qui libertate donantur, plus minusve libertatis habere pro tenore Privilegiorum.

QUÆSTIO X.

An sit aliquod Privilegium Ecclesiasticum, quod amitti nequeat?

Omnia hujusmodi Privilegia, ad quatuor genera reducuntur; nempe, 1. Canonis, *Si quis suadente*, quo excommunicantur, ipso facto, qui in Ecclesiasticos sive Sæculares, sive Regulares violentas manus temerè injiciunt, 2. Fori, quo iidem eximuntur à Jurisdictione Judicis Sæcularis, 3. Rerum, seu Bonorum, quo illa ab oneribus, quibus subsunt Bona Sæcularia, eximuntur. 4. Locorum, quo à pœnis liberantur Rei ad illa Confugientes.

Hoc posito, Queritur, an inter illa aliquod sit, quod amitti non possit? Quæstio hæc sigillatim variis in locis hujus Operis decisa est affirmativè, ostensumque, hæc Privilegia esse ab Humano Jure introducta, ideòque, ab eodem aboleri posse, Primum à Jure Ecclesiastico merè Positivo; cætera à Principibus concessa, proindeque ab iisdem revocari posse: vel minus post stabilitam hanc Sententiam, meliori modo, quo fieri potuit, Sententiæ contraria, quæ videtur esse ferè communis Canonistarum, existimantium tria postrema Juris Divini esse, explosa est. Ut autem Lector hujus Decisionis hæc illucque dispersa moneatur, totaque insimul habeatur, hanc Quæstionem proponendam duximus; necessarium quoque visum est indicare loca præcipua, in quibus hæc de re actum est; sunt autem 1. *Tractatus de Censuris*, ubi fufissimè explicatus est citatus Canon. 2. *Tractatus de Judiciis*, ubi probatum est Exemptionem Ecclesiasticorum à Foro Sæculari merum, esse beneficium Principum, tam quoad Civiliâ Negotia, quam quoad Crimina. 3. *Tractatus de Immunitatibus*, ubi de illâ, quæ ad Res pertinet, & de illâ, quæ versatur circa Loca; De his singulis Privilegiis egerunt præter GERMONIUM Taurinensem Archidiaconum, qui tres Libros de prædicta Immunitate triplici composuit amplissimos, FAGNANUS, & GONZALEZ, idque variis in locis, illaque, is præter Primum, Juri Divino ascribit, ideòque illa amitti non posse, saltem quoad maximam illorum partem.

QUÆSTIO XI.

Queritur, An sint, qui Jurisdictioni Episcopi non subsint in Judiciis ad Doctrinam pertinentibus: ita ut sibi liceat judicare falsum, quod verum Episcopus declaravit, vel falsum dicere, quod verum Episcopus judicavit; accipere Opus aliquod ab Episcopo non probatum pro Normâ docendi ac judicandi de veritate vel falsitate Doctrinæ, in solvendis dubiis circa Doctrinam propositis?

Quærendi causa. Academia Theologica jactitant sese ab Apostolicâ Sede institutas, suumque Cancellarium, qui ad gradum Doctorem admittit, id facere, ut Delegatum ejusdem Sedis, ideòque, dum benedicit Doctores, illis declarat, se illis concedere licentiam docendi ubicunque Terrarum, quam profectò dare non posset, nisi ab eo, cujus Potestas per totum Orbem Christianum extenditur, auctoritatem suam teneret.

Hinc autem sequi videtur, Academiâ istas in Judiciis circa Doctrinam non subesse Episcopo, proindeque posse in Re Doctrinam aliquid sentire & docere, quam ipse Episcopus sentiat, doceatque.

Respondeo, eâ non obstantè dubitandi ratione, dicendum, quod nulla sit circa Doctrinam Exemptio ab Episcopi Jurisdictione; id patet ex Decretis CONCILII TRIDENTINI: Præcipiunt enim, ut Exempti circa Prædicationem, circa Lectiones Theologicas, circa Libro-

rum

rum Censuram, nec non eorum Approbationem, Episcopis pareant. *SESS. IV. C. Unico. SESS. V. C. 1. & 2. SESS. XXIV. C. 4.* In his Decretis Concilium expresse meminit Regularium, quorum maxima Pars ab Episcopi Jurisdictione eximitur. Notandum obiter, Concilium Academiæ Theologicæ Episcopo ita Subjectas velle, ut veter, ne quis in iis Theologiam legat, nisi ab Episcopo ad id probatus. Idem patet Edictis Regiis, nempe inter alia *Art. 30. EDICTI 1695. circa Jurisdictionem Ecclesiasticam.* Idem inferre est ex Litteris Patentibus circa Publicationem Constitutionis *Vineam Domini Saboth. 1705.* ac Constitutionis *Unigenitus* an. 1714. hinc facilis solutio rationis oppositæ, siquidem patet, Potestatem Academicarum circa Doctrinam subesse Potestati Episcopali, Clave non errante.

QUÆSTIO XII.

Queritur, An Actus, quo deliberatur ab Academiâ Theologicâ, an hoc illud-vè Opus recipiendum sit pro Norma docendi, sit Actus Jurisdictionis?

Videtur, quod hic Actus ad Jurisdictionem non spectet, cum nihil aliud esse appareat, quam Examinatio, an dignum sit, ut habeatur pro Normâ docendi & judicari possit ab Academiâ de hoc dubio, absque Jurisdictione, eodem planè modo, ac de illo judicat Doctor privatus.

Contrarium tamen *Tenendum* sentio, quia finis proximus illius Deliberationis est, ut ipsa Academia sibi Legem statuat stricte servandam, sequendi Doctrinam in Opere contentam, tam in disputando circa Res Theologicas, quam in decidendo proposita dubia, Lex autem non conditur absque Jurisdictione.

Hanc Resolutionem confirmat *Canon 3. DIST. IV.* in quo *S. Augustinus* comparat Judicium, quo habita Deliberatione judicatur, aliquid in Legem statuendum vel accipiendum, cum Judicio, quo juxta illud jam pro Lege receptum, judicatur. Hinc autem sequitur, quod sicut Judicium Posterius, est Actus Jurisdictionis, idem quoque de Priori dicendum sit. Hinc ruit allata Comparatio judicii Doctoris Privati cum judicio Academicæ, cum proprie loquendo nemo possit habere jurisdictionem in se ipsum.

SECTIO IV.

Regule circa Exemptiones. Et primò, de Exemptione circa Visitationem.

REGULA I.

Ex corrigendi jure nascitur visitandi jus, medium enim ad Correctionem aptissimum Visitatio, Correctio verò Visitationis potissimus finis.

Hinc in Jure Visitatio & Correctio, tanquam quæ separari non debeant conjungi solent; Correctio præcipitur aut permittitur, quoties Visitatio præcipitur, aut, cui de Jure pertinet, permittitur. Hujus Conjunctionis testimonia habes *C. 7. 8. De Statu Monach. Clem. 2. Eod. TIT. C. 3. 4. SESS. VI. De Ref. C. 11. SESS. XXV. De Regul.* Hinc Visitatio ejusdem utilitatis, necessitatis-vè est, ac Correctio; hinc, sicut Correctio à Subdito contra Prælatum præscribi non potest, ita nec Visitatio; & sicut Prælatus contra Prælatum corrigendi Subditos alienos jus præscribere potest, ita & visitandi jus alienos Subditos.

Hinc, sicut in Correctoriis, Appellatio Sententiæ effectum non suspendit, ita quæ in Visitatione statuuntur Appellatione non suspenduntur.

Hinc, cuius est corrigere, ejus est & visitare.

Hinc Juris Textus, quibus alicui vindicatur corrigendi facultas, eidem visitandi potestatem tribuunt.

Hinc, qui præscribit jus corrigendi, visitandi jus etiam præscribit.

Sed ne, quæ dicta sunt, errandi occasio sint, Notandum, corrigendi jus alicui competere posse Lege Divinâ & Lege Humanâ: Priori modo, pertinere ad Prælatum, inter quem & Subditos Divina est Subordinatio; Posteriori, spectare ad Prælatum, qui aliis Humano Jure tantum præest. Contra Legem Divinam præscribi non posse; Contra Humanam posse.

Tom. I.

Hinc cum Illi, qui à Spiritu Sancto positi regere Ecclesiam Dei, Jure Divino Regendis præsent, oportet ut saltem Episcopi, qui inter illos præcipui sunt, Divinâ Lege corrigendi jus habeant, atque ideò, ut contra Episcopum ipsius Grex à Correctione Exemptionem præscribere nequeat; cum verò Metropolitanus Episcopus non præsit nisi Lege Humanâ, oportet, ut Episcopi contra Metropolitanum ab istius Correctione Immunitatem Præscriptione acquirere possint.

Quod de Metropolitanis dictum est, ad Primates, Patriarchas similesque Prælatos Constitutione Humana Infitutos extendendum.

Hinc malè discurreret, qui diceret, contra Metropolitanos à Visitatione Libertatem præscriperunt Episcopi. Episcoporum ergò Subditi contra ipsos eandem Libertatem præscribere possent.

Hinc, cum Humanâ tantum Lege fiat, ut talis Grex tali Pastori adunetur, subjiciaturque, Lex verò Divina præcipiat, ut quilibet Grex cuidam sublit Pastori; oportet, ut talis Grex Exemptionem à Visitatione talis Pastoris præscribere possit; Libertatem verò à Visitatione cujusvis præscribere nequeat.

Quæ de Visitatione hæc dicta sunt, omnium circa illam Canonum fundamenta sunt, idcirco illorum, qui de Exemptione à Visitatione loquuntur, Collectioni præmitti debuerunt, ut sanius judicare liceat, quæ circa Visitationem Exemptio concedi possit, vel non possit.

REGULA II.

A Visitatione, quæ nec à Jure præscripta, nec permissa, vel quæ præcepta in Desuetudinem abiit, nulla est proprie dicta Exemptio.

Hinc, cum Primati vel Patriarchæ Canones nunquam præceperint, nec permiserint, ut Districtus suos visitarent, nullus proprie dici potest ab illorum Visitatione Exemptus.

Hinc quoque, cum Canones Metropolitanis præcipientes ut Provinciam suam visitet, jamdiu obsoleverint, ab illius Visitatione, quis ineptè diceretur Exemptus.

REGULA III.

Nemini unquam à Jure indultum est, ut à nullo Prælato visitetur; imò, ne id fiat, non unus Canon prohibet.

Prohibitio, de qua loquitur Regula, colligitur ex *C. 8. DIST. XCIII. C. 18. CAUS. XVIII. QUÆST. II. C. 12. 16. De Præscript. C. 7. De Statu Monach. Clem. 2. Eod. TIT.* eaque iustissima est, nam Acephalus foret, qui Visitatore careret, indignus esset, quibus egeret, Pastoris auxiliis, Subditus non haberet, cui obediret, nec Ovis, qui illam Esurientem pasceret, Deviantem reduceret, Infirmam curaret: quantumvis Quis Exemptus sit, Visitationi Ordinarii tanquam Sedis Apostolicæ Delegati, vel illorum, qui sibi maxime præsent, subjicitur: demùm, ne quis sine Visitatore sit, Abbates, Prioresque, qui proprios non habent Abbates, celebrare Capitula Generalia tenentur, in quibus Visitatores sibi eligant. *C. 7. de Statu Monach.*

REGULA IV.

Ex eo, quod alicui dentur peculiare Visitatores, non eximitur ab Ordinarii Visitatione.

Colligitur ex *C. 7. de Statu Monach.* In illo enim additâ Clausulâ, *Salvo jure Diœcesanorum*, illis conservatur visitandi jus erga illos, quibus peculiare dantur Visitatores; *TANCREDUS* in illud *C. sic illud interpretatur in Notis suis in 4. Collect.*

Circa quod Notandum, tunc temporis, nempe sub *INNOCENTIO III. Pontifice* extitisse Abbates, Prioresque, in Congregatione non positos, quique ideò Capitulum Generale celebrare non consueverant; inter illos autem fuisse, qui Sedi Apostolicæ immediatè suberant, alios verò, qui Episcopo Subjecti remanserant: tam Exemptos, quam non Exemptos, simul convenire debuisse, & in Capitulo Generali Visitatores eligere, qui vice Papæ, illos visitarent & corrigerent, eâ tamen lege, ut Deponendi Episcopo denuntiarentur, ut illos deponi curaret, quo illud Negligente, ad Sedem

Apostolicam referenda res erat; propter Exemptos Visitatoribus suas vices committere debuisset, & propter non Exemptos Depositionem vel Depositionis curam Episcopo fuisse remittendas. HONORIUM verò III. C. *sequenti*, circa Depositionis negotium, Exemptos à non Exemptis distinxisse: Priorum Depositionem quovis casu Sedi Apostolica reservasse; Posteriorum Episcopo dimisisse.

REGULA V.

Clementina 2. de *statu Monach.* antiquior nullus Textus est, qui de Exemptione à Visitatione Episcopi mentionem expressam faciat.

REGULA VI.

Eadem Clementina insinuat, à Visitatione Episcopi Libertatem coepisse cum absolutà ab ejusdem Jurisdictione Exemptione, quâ, qui potiuntur, soli sunt, qui dici possint absolutè Exempti, ideòque longè antea, confusè saltem illius Canones meminisse.

Tancredus in C. *nihil. de Elect.* vocem, *Exemptus* sumit absolutè. Idem facit *Summarium C. Grave. De Off. Ordin.*

REGULÆ FUNDAMENTUM. CLEMENS V. Distinguens Monialium Monasteria in Exempta & non Exempta, præcipit, Priora visitari ab Episcopo tanquam Sedis Apostolicæ Delegato, si huic Sedi immediatè subsint; fin autem, ab iis, quibus proximè subjiciuntur, Posteriora verò ab Episcopo, ut Episcopo: Quâ Distinctione ostendit, Exemptorum nomine intelligendos, qui ab Episcopi Jurisdictione omninò liberi facti sunt; undè sequitur, quòd, cum longè antea Canones de absolutà Episcopi Jurisdictionis Libertate loquantur, Exemptionis à Visitatione Episcopi confusè saltem multò antè CLEMENTEM V. mentionem fecerint.

Textuum autem Juris Canonici, qui absolutà Exemptionis ab Episcopi Jurisdictione meminere, antiquissimi videntur, qui ex Epistolis ALEXANDRI III. desumpti sunt, quales inter alios C. 3. de *Privil.* in quo de abusu à Fratibus Templi & Hospitalis, aliisque Religiosis ab Episcopi Jurisdictione Exemptis ratione hujus Exemptionis commissio. §. 2. *Eod. Cap.* In quo mentio fit de Ecclesiis pleno jure possessis ab hujusmodi Exemptis, Ecclesiæ autem istæ ab Episcopi Jurisdictione omninò liberæ sunt. §. 4. *Eod. Cap.* In quo de Confratribus Regularibus in proprietatibus suis Remanentibus, dicitur Episcopo Subjectos remanere, quia Ordinum prædictorum Membra non sunt. C. 8. In quo docet, malè concludi, quem Ecclesiæ Romanæ immediatè subesse ex eo, quòd illi Sensum solvat, cum sicut non omnes Ecclesiæ, quæ Sedi Apostolicæ proximè subsunt, eidem Sedi solvant Censum, ita nec omnes, quæ illi Censum solvunt, ad illam immediatè pertinent. INNOCENTIUS III. In *Cap. 17. De Privil.* de concessâ Exemptione absolutâ Cænobio Evasenensi in Diocesi Wigornienfi à CONSTANTINO ad Pontificatum electo an. 707. mentionem facit.

Idem INNOCENTIUS. In *Cap. 4. De Confirm.* similis Exemptionis concessæ ab AGAPETO Monasterio de Gandafen in Diocesi Hildesemensi meminit. AGAPETUS autem *Junior* an. 946. ad Pontificatum promotus est, *Senior* verò an. 534.

Quod in hac Regula VI. dictum de absolutâ Exemptione, explicandum juxta Questionem VIII. earum, quæ extrà locum suum posita sunt.

REGULA VII.

Antè & post Exemptiones quoad Spiritualia Sæculo VI. Monasteriis concessas, complures sunt Juris Textus, qui Episcopi Visitationi Monasteria subjiciunt, vel Subjecta supponunt, declarant, attestantur.

Textus, qui rem probant, hi esse videntur 1. C. 16. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Desumitur ex *Concilio Arrelianense* celebrato an. 511. in quo Abbates dicuntur esse in Potestate Episcoporum atque ab iis corrigendi, si quid extrà Regulam suam faciant, Visitatio autem ad Corrigendos notitiam, Correctionemque, necessaria est.

2. *Caput 29. ibidem* relatum, ex eodemque Concilio desumptum, quòd Episcopis præcipit, ut non semel,

sed sæpiùs in anno visitent Monasteria Monachorum, ut, si aliquid corrigendum fuerit, corrigant.

3. C. 10. CAUS. X. QUÆST. I. è *Concilio Tarraconense* an. 516. celebrato desumptum; in hoc enim Concilio Episcopo præcipit, ut annuis vicibus Dioceses visitet, Ecclesiæque Destitutas vel Dirutas reparari procuret, ideòque, cum Monasteria sint Diocesum Membra, illorumque Ecclesiæ inter illas, quæ ad Diocesim pertinent, recenseantur, hæc inter visitanda, comprehendi Monasteria dubium non est.

4. C. 17. *Ead. CAUS. & QUÆST.* in quo *Concilium Arrelianense* an. 554. constituit, ut Monasteria, vel Monachorum Disciplina, ad eum Episcopum pertineant, in cuius Territorio sita sunt. Hæc autem Disciplina vix muteneri potest, sine Visitatione.

5. C. 28. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo GREGORIUS an. 598. ait visitandi, exhortandique ergò ad Monasterium, quotiès placuerit, ab Antifite Civitatis accedatur.

6. C. 1. *Ead. CAUS. & QUÆST.* in quo *Concilium Toletanum* IV. an. 633. Abbates Episcopi Correctioni subjicit.

7. C. 9. CAUS. X. QUÆST. I. in quo *Concilium Triburense* an. 895. Episcoporum negligentiam circa visitandos Greges, avaritiamque reprehendit; Negligentiam, quia non visitabant, cum possent; Avaritiam, quia Visitationis Procuraciones exigebant, eosque hortatur, ut Sollicitiores sint. Cum autem Monasteria Procuracioni solvendæ obnoxia sint, ut citanda mox Capita monstrabunt, ea in hoc Textu comprehendi verosimile est.

8. C. 14. de *Cens.* in quo LUCIUS III. an. 1181. declarat, Monasteria Bononiæ, sicut & cætera Provincia Ravennatenfis Archiepiscopi, Procuraciones ratione Visitationis debitas isti solvere teneri.

9. C. 21. *Eod. Tit.* in quo INNOCENTIUS III. an. 1212. ait, Monasterium Sancti Stephani, cui omnia Temporalia Jura remiserat, teneri tamen ad Episcopum procurandum ratione Visitationis, idque moderatè, & bis in anno, modò duplicem Visitationem necessitas postulet.

10. C. 16. de *Prescript.* in hoc INNOCENTIUS III. eodem anno Monasterium S. Maglorii ad procurandum Archiepiscopum Senonensem illud visitantem condemnat, declaratque per longissimum tempus Procuracionem non solvendo, illam, sicut nec Visitationem, contrà suum Archiepiscopum præscribere non potuisse.

11. *Cap. 17. De Offic. Ordinar.* in quo HONORIUS III. ann. 1220. prohibet Archiepiscopo Remensi, ne Monasterium S. Remigii Visitans, secum Sæculares introducat, qui Dissolutionis materiam subministrare possent.

Circà Citatos Textus notandum, illis adjici posse, quoad Sæcula Quartum præcedentia, quoscunque Canones, qui Episcoporum in Monasteria Jurisdictionem testantur; quales inter alios C. 11. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo *Concilium Carthaginense* IV. ann. 398. præcipit, ut qui Sacerdos Religiosis Fœminis præponendus est, ab Episcopo Loci comprobetur. C. 10. *Ead. CAUS. & QUÆST.* in quo *Concilium Calcedonense* an. 451. contrà Monachos Episcopo Inobedientes Excommunicationem ferendam decernit. C. 17. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo *Idem Concilium* jubet, ut Monachi absque Episcopi licentiâ Vagantes ad repetenda Monasteria cogantur, C. 12. *Ead. CAUS. & QUÆST.* in quo *Idem Concilium* ait, Episcopum debere Monasteriis curam sollicitudinemque exhibere: hos autem adduci posse, quia evidenter ostendunt Monasteria visitandi jus ad Episcopum pertinere, cum inter præcipuas Jurisdictionis Episcopalis Partes numeretur.

Notandum quoque Textuum citatorum alios desumi ex Conciliis, quæ vel in Bithyniâ, vel in Africâ, vel in Galliâ, vel in Hispaniâ, vel in Germaniâ celebrata sunt; alios ex Epistolis Pontificum Italiani respicientibus: undè patet, potissimas Ecclesias probasse, Monasteria ab Episcopis visitari.

Notandum, Epistolas, ex quibus desumpti sunt nonnulli ex Citatis Textibus, scriptas esse XII. & XIII. Sæculo, quibus Regularibus maximè factum est.

REGULA VIII.

Circà Subditorum Visitationem, quæ Episcopi ut Ordinarii non possunt, tanquam Sedis Apostolicæ Delegati possunt.

Hinc nulla impedit Exemptio, ne præcipiant ac exequantur, C. 10. Sess. XXIV. de Reform. quæ ad illorum Correctionem necessaria existimant.

Quæri potest, Quales sint illi Subditi, de quibus hic Concilium? Respondetur oportere, ut de Subditis, qui plenè Exempti non sunt, loquatur, cum isti propriè Subditi non sint, pluresque ex istis ab Episcopi Visitatione subtrahat; Quòd si de istis, ut de aliis, loquatur, dicendum, hic Regulam Concilium constituere, alibi Exceptiones ponere.

REGULA IX.

Ecclesiarum Cathedralium, aliarumque Majorum, nec non Personarum, quibus constant illarum Capitula, Exemptio abrogata est à CONCILIO TRIDENTINO quoad Visitationem, sicut & quoad Correctionem.

C. 4. Sess. VI. de Ref.

REGULA X.

Idem dicendum quoad Capitula Ecclesiarum Collegialium.

C. 6. Sess. XXV. de Ref.

REGULA XI.

Idem dicendum de quibuscunque Beneficiis Commendatis, in quibus non viget Regularis Observantia; quoad verò illa, in quibus viget, si Superiores moniti, intra sex menses nec visitaverint, nec correxerint, Regularium negligentiam supplere potest & debet.

C. 8. Sess. XXI. de Ref.

REGULA XII.

Idem dicendum de quavis Ecclesia Sæculari nullius Diocesis.

C. 9. Sess. XXIV. de Ref.

REGULA XIII.

Idem dicendum de quovis Clerico Sæculari personaliter Exempto.

C. 3. Sess. VI. de Ref. C. 14. Sess. XIV. de Ref. S. Nec quævis.

REGULA XIV.

Idem de quolibet Regulari extrà Monasterium Degenti, & Delinquenti. *Ibidem.*

REGULA XV.

Idem dicendum de Hospitalibus, Collegiis, Confraternitatibus, Scholis nuncupatis, nisi sub immediatâ Regum Protectione sint.

C. 8. Sess. XXII. de Ref.

REGULA XVI.

Moniales quæcunque Episcopi Visitationi subfunt, exceptis his, quæ à Deputatis in Capitulis, Generalibus, vel ab aliis Regularibus reguntur.

C. 9. Sess. XXV. De Regular. Clem. 2. De Statu Mon.

Restrinxisse Clementinam Concilium Tridentinum videtur; cum Clementina de proximis Monialium Prælati indistinctè loquatur, Concilium verò de solis Regularibus; hinc colligi posset, Moniales, quibus Sæculares Clerici præfunt, juxtâ Concilium Tridentinum Episcopi Visitationi subesse debere, sed certa non esset hæc consequentia, cum potuerit loqui de solis Regularibus Monialium Prælati, quia alios tunc habere non solebant.

REGULA XVII.

Recipiendæ à Monialibus, antè Susceptionem habitus, & antè Professionem ab Episcopo examinandæ, & explorandæ sunt.

C. 17. Sess. XXV. De Regularibus.

Canonicas Sæculares, quæcunque sint, visitat Ordinarius, vel suâ vel Apostolicâ autoritate. *Clementina 2. De Statu Monach.*

REGULA XVIII.

Quoad Animarum curam, Sacramentorumque administrationem, nulla est ab Episcopi Visitatione Exemptio, nisi in favorem, 1. Monasterii Cluniacensis cum Limitibus suis. C. 11. Sess. XXV. de Reg. 2. Monasteriorum quoque, quæ Ordinum Capita sunt. 3. Nec non illorum, in quibus Abbates, vel alii Regulares Superiores, Jurisdictionem Episcopalem & Temporalem habent in Parochos & Parochianos.

Iis adde Monasteria nullius Diocesis; Quod inferatur ex eo, quòd *citatum Caput* loquatur tantum de Monasteriis in Diocesi sitis.

REGULA XIX.

Tam Loca, in quibus Cura exercetur, quam Personas, quæ illam exercent, respicit hæc Exemptio. *Ibidem.*

REGULA XX.

Antè CONCILIUM TRIDENTINUM Nemini concessa à Jure fuerat similis Exemptio, sed probata tantum erat, concessâ scilicet aliis, quàm Episcopis, Ecclesias pleno jure possidendi licentiâ.

REGULA XXI.

Plura alia sunt Spiritualia, circà quæ CONCILIUM TRIDENTINUM abrogavit omnem Exemptionem, exceptâ illâ, quæ Jurisdictioni quasi Episcopali jungitur.

REGULA XXII.

Hujusmodi alia non sunt, nisi ista. Verbi Dei Prædicatio, Malaque ex ipsius abusu Nascencia. C. 2. Sess. V. Censuræ ab Episcopo promulgatæ, Festi ab eodem Præcepti. C. 12. Sess. XXV. De Regular. Novorum Miraculorum admissio; Novarum Reliquiarum receptio; Novæ & Insolitæ Imaginis expositio, Decreta de Invocatione, Supplicationes Publicæ. C. 13. Sess. XXV. De Regularibus.

Exceptionis Ratio. Tali Gaudens Exemptione quasi Episcopus est.

REGULA XXIII.

Ex eo, quòd Religiosi habeant Prælatos Regulares, qui illos visitent, non sequitur, quòd ab Episcopi Visitatione Exempti sint.

Colligitur Regula 1. ex omnibus Juris Textibus, qui faciendam à Metropolitanò Provincie suæ Visitationem probant, cum potior non sit ratio, cur qui visitati sunt ab Episcopo, & plerumque etiam ab Archidiacono, iterum à Metropolitanò visitentur, Visitati verò à Prælati Regularibus ab Episcopo iterum non visitentur.

Nec dici potest, quòd Episcopi Visitatio dissensionis materiam præbere posset, cum contingere posset, ut factis à Prælato Regulari Constitutionibus contrarias ederet, atque hinc Religiosi inter se dividerentur, aliis pro Episcopo stantibus, aliis verò pro Prælato Regulari, nam simile incommodum nasci potest ex Visitatione Metropolitanæ, consequenti Episcopi Visitationem; sed sicut in posteriore casu cessat incommodum, si Visitati attendant Inferiorem Superiori cedere debere, ita in primo casu, similis cogitatio, ne quod timetur, malum nascatur, impedire poterit.

Textus autem, qui prædictam Metropolitanæ Visitationem probant, sunt. C. 16. De Præscript. C. 14. 22. 25. De Censibus. C. 1. 2. 4. Eod. Tit. in VI. C. 5. Sess. XXIV. De Ref.

2. Colligitur eadem Regula ex locis, quibus Legatorum Sedis Apostolicæ visitandi facultas fruitur, qualia sunt. C. 23. 25. De Censibus, quæ enim circà Metropolitanæ Visitationem, erga Suffraganeos eorumque Dioceses notata sunt, in Legatorum Visitatione locum habent, cum Visitatas ab Episcopis, & à Metropolitanis Ecclesias ipsi etiam visitarent.

3. Ex C. 7. De Statu Monach. ex quo inferunt Interpretes, quòd non Exempti, etsi peculiare habeant Visitatores, ab Episcopo tamen visitari etiam possunt.

4. Ex antiquâ Ecclesiæ praxi, quâ, etsi Monachi ab Abbatibus corrigentur, ab Episcopo etiam corrigi poterant, quæque adhuc durat in plerisque Monialium Congregationibus, nec non in plurimis Clericorum, tum Sacularium, tum Regularium, Societatibus non Exemptis.

REGULA XXIV.

Ecclesiæ Saculares nullius Diocesis subjiciuntur Visitationi Episcopi Vicinioris, si pateat quis Vicinior; vel ejus, qui in Concilio Provinciali à Prælo electus est.

C. 9. Sess. XXIV. De Ref.

REGULA XXV.

Personæ Saculares Incolentes Loca nullius Diocesis, intrâ Limites alicujus Diocesis Constituentia, quoad Ordines & Dimissorias Episcopo subsunt.

C. 10. Sess. XXIII. De Ref.

SECTIO V.

De Regularium Exemptione in Temporalibus.

Antè omnia adverte Immunitatum vel Exemptionum genus duplex distingui posse: sunt enim, quibus à Juribus debitis Quis eximitur, sunt etiam, quibus ab Exactionibus indebitis Quis liberatur, qualis inter alias, quæ legitur in C. 64. CAUS. XVI. QUÆST. I. De Priori autem genere hic sermonem fieri, non de Posteriori; idque, quia Posteriorius nihil habet, quod ad Jus Commune, ad meram justitiam non pertineat, & si quid Gratia ipsi inesse videatur, id esse nequit, nisi sub Tyranni Dominio, erga quem non malefacere, benefacere est; animus autem est, sicut esse debet, de sola Gratiâ Exemptione agere.

REGULA I.

Circâ Temporalem Regularium Exemptionem, antiquius nihil in Jure habetur, quàm C. 34. CAUS. XVI. QUÆST. I.

Desumitur Canon hic è Concilio Ilerdensi an. 524. celebrato. In illo præcipitur, ut quæ in Jure Monasterii de facultatibus offeruntur, in nullo Diocesanâ Lege ab Episcopis contingantur.

Ad intelligentiam Canonis hujus, sciendum ex oblati Deo rebus Episcopo tanquam Dioceseos Capiti, debitam esse portionem quartam, nempe ex iis, quæ extrâ Altare offeruntur: C. 26. 27. 28. CAUS. XII. QUÆST. II. tertiam verò, vel medietatem ex iis, quæ Altari accedunt. C. 7. 8. CAUS. X. QUÆST. I. Praterè eodem Titulo à Singulis Dioceseos Ecclesiis solvendum esse Episcopo Cathedraticum, sive duos solidos in Cathedrali Episcopalis honorem. Sciendum quoque, debita Episcopo Jura, tanquam Dioceseos Capiti, ex Fundamento suo Diocesanam Legem vocari; hinc Concilium Ilerdense Exempta volens Monasteria à prædictis Juribus, prohibet Episcopis, ne in illorum utilitatem oblatâ Lege Diocesanâ utantur: hinc factum, ut Temporalis Regularium Exemptio, Immunitas à Lege Diocesanâ dicta sit, hinc quoque, ut Exemptio Temporalis ab Exemptione Spirituali distingueretur, facta est Episcopatum Jurium divisio, in ea, quæ Lege Diocesanâ debentur, & ea, quæ ad Episcopos pertinent Lege Jurisdictionis. Hujus distinctionis Testimonium & Exempla habent C. 16. 18. De Off. Judicis Ordin.

Attamen in nonnullis Juris Textibus Lex Diocesanâ pro Jurisdictionis Lege usurpatur, ut videre est C. 49. De Elect. C. 22. De Regular. C. 9. De Hæreticis §. Si qui. C. 4. De Capell. Monach. C. 9. De Maj. & Obed. quæ Capita, ut par est, inferius suo loco explicabuntur: nunc autem dicendam obiter, genus pro specie in cit. Cap. poni.

REGULA II.

Temporalis Regularium Exemptio, pluriès postèa diversoque Tempore innovata est, & confirmata.

Primum istarum Innovationis, ac Confirmationis Exemplum legitur in C. 1. De Statu Monach. in quo S. GREGORIUS scribens Archiepiscopo Neapolitano circâ ann. 600. hæc habet: *Alicui Monasterio nec tu, nec Presbyteri tui præter diligentiam Disciplinæ aliquid molestis*

inferatis, aut si quid illis pro diversorum devotione accesserit, vobis vindicare astimetis, cum Monachis sibi servientibus debeat proficere, quidquid à Fidelibus taliter offerri contingit. Hæc GREGORIUS, quibus docet, Episcopum nihil Juris Temporalis in res Monasterio oblatas prætere posse, insinuatque id provenire ex Offendentium intentione, quæ est, ut ipsorum Oblationes in Monachorum usum convertantur.

Secundum ejusdem rei Exemplum habetur in C. 5. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Desumitur hoc C. è S. GREGORIO omnibus Episcopis Scribente an. 601. Inscribitur de Libertate Monachorum; tria continet, quæ ad rem optimè faciunt. 1. Prohibet, ne de Reditibus, Rebus, Curtis, vel Chartis Monasteriorum, Cellulis, Villulis quidquam quovis modo usurpetur. 2. Vetat, ne Monasteria conditionibus Ecclesiasticis, seu angustis, vel quibuslibet obsequiis Sacularibus ullo modo subjaceant, nevé ullis Canonice rebus deferviant. 3. exprimit finem utriusque prohibitionis, nempe, ut remotis vexationibus, ac cunctis gravaminibus, Divinum Opus cum magna animi devotione perficiant.

In notâ Correll. Rom. dicitur C. istud legi in Decreto CONCILII LATERANENSIS edito à B. GREGORIO pro Quiete & Libertate Monachorum: Decretum autem extare Tomo II. CONC. inter Decreta GREGORII I. magnamque ejus partem referri ab ipsomet GREGORIO. L. 7. Reg. Indict. 1. Epist. 18. Parte 1. Marciniano Episcopo Ravennati.

Prior prohibitio detegere videtur causam, propter quam de Monachorum rebus sese immiscere prohibentur Episcopi, nempe, ne hinc aliquid usurpandi occasionem habeant. In Posteriori sub variis Locutionibus eadem res prohibetur, nempe, ne ullum Jus Temporale exigatur à Monachis.

Sed non dissimulandum, Textum hunc GREGORIO I. suppositum videri posse, tum quia longè posterior videtur usurpatio Locutionis hujus, *Interdicimus in Nomine Domini nostri JESU CHRISTI & Autoritate BEATI PETRI, vice cujus Romana Ecclesia præsidemus;* tum quia legitima Jura vexationes ac gravamina vocat; tum quia à Juribus Sacularibus, sicut & ab Ecclesiasticis, Monasteria eximit, proindeque in Temporalia Laicorum, potestatem sibi vindicat. Nihilominus GREGORIO I. abjudicari non debet propter debitam Codicibus Veterioribus fidem, aliasque causas, quæ & Collectores Conciliorum, & Correctores Gratiani moverunt, ut Papæ hujus sortum legitimum existimarent. Hac de re Vid. Florens in Cap. Auditu 10. De Præscript. C. 2. Operum. Part. I. p. 272. ubi inter alia dicit, præfatum Concilium Lateranense ex duabus Epistolis GREGORII contextum, quod minuere potest, non tollere auctoritatem Decreti citati, si in Epistolis habeatur, quod ex illis mox relatum est. Relati mox Textus pars maxima legitur C. 42. CAUS. XVII. QUÆST. IV. quod C. Palea inscribitur, eoque loci temerè translatum notant Correll. Rom. tum quia de rerum Ecclesiæ alienatione non loquitur, ut præcedentia Capita, tum quia congruentiori loco inferius legitur.

Tertium Innovatæ & Confirmatæ Regularium in Temporalibus Exemptionis Exemplum, est in C. 1. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Desumitur hoc Caput ex CONCILIO TOLETANO IV. celebrato an. 633. In illo sub Excommunicationis penâ prohibetur Episcopis, ne quidpiam de Monasterii rebus usurpare præsumant.

Quartum Innovatæ & Confirmatæ Regularium in Temporalibus Exemptionis Exemplum refertur. C. 8. CAUS. X. QUÆST. III. E Concilio Toletano VII. an. 646. Celebrato desumitur hic Canon. Quod in illo ad propositum facit, his verbis continetur: *Monasteriorum tamen Basilicis ab hac pensionis solutione sejunctis.* Loquitur de pensione duorum solidorum à qualibet Dioceseos Basilicâ Episcopo quotannis solvendâ, juxta Brachariensis Synodi definitionem in C. 1. CAUS. X. QUÆST. III. relata. Hanc autem definitionem ad Episcopos Provincia Gallicanæ extendit CONCILIUM TOLETANUM, quod & poterat & debebat; Poterat quidem, nam tunc Temporis Archiepiscopus Narbonensis cum Suffraganeis suis Toletano suberat, quia Toletum, ut Sedes Regis Gothorum, Primatis Honore ferebatur erga Episcopos totius hujusce Regis Ditionis; Debebat, quia pro

pro solvendo à qualibet Basilicâ in honorem Cathedrae Episcopi, nimium exigebant.

REGULA III.

Prædicta in Temporalibus Regularium Exemptioni hæctenus non exitit derogatum ab illo Juris Textu.

REGULA IV.

Exemptio hujusmodi ad Capellas Monasteriis annexas, Ecclesiisque Parochiales iisdem Subjectas, non extenditur.

C. 15. De Præscript. C. 6. De Relig. Domibus C. 19. De Censibus C. 17. De Privil.

Verum, ut Regula veritas magis elucescat, cujuslibet citati Textus argumentum exponendum.

In 1. Episcopus Wigornienfis cum Abbate de Hevescam circa Ecclesias Vallis de Hevescam contendit; Uterque, sibi pleno jure subijci, dicit; ideoque tam quoad Temporalia, quam quoad Spiritualia. Ad Controversiam istam terminandam Heliensem & Roffensem Episcopos committit INNOCENTIUS III. præcipitque, ut si Abbas probaverit, illas Ecclesias prædicto modo ad se pertinere, sive ex Privilegio Summorum Pontificum, sive per Præscriptionem, Episcopo Wigornienfi silentium imponant; si verò pateat, Privilegium non valere, vel Ecclesias illas nullo alio jure ad Abbatem pertinere, pro Episcopo pronuntient, si allegatam ab Abbate Præscriptionem interruptam fuisse, quoad nonnullos articulos, tam Legis Diocesanae, quam Legis Jurisdictionis, & inter alia circa solutionem denariorum S. Petri, quoad Legem Diocesanam pertinet, & circa Causarum Matrimonialium Cognitionem, quæ Jurisdictionis Legem spectat, quoad illos articulos Episcopo Ecclesias illas adjudicent.

In 2. agitur de Controversiâ inter Albanensem Episcopum & Abbatem Criptæ Ferratæ circa Ecclesiam Castri, quod Pauli dicitur; Episcopus dicit, illam sibi respondere debere in omnibus Juribus Episcopalibus, Abbas verò fateatur, id ita esse Jure Communi, sed Monasterium Libertatem integram redemisse à Lavitano Albanensi Episcopo, qui quidquid Juris habebat in Monasterio, & in Ecclesiis ad Monasterium pertinentibus, & inter quas controversa Ecclesia recensetur, illi concessit in Emphyteusim sub annua octo denariorum usualium pensione, enumerans autem Jura Monasterio concessa de tertiâ Mortuorum, quæ haud dubie Jus Temporale est, mentionem facit; Episcopus Respondet, irritam esse hujusmodi Concessionem, utpotè Simoniacam, cum multa Spiritualia inter concessa, sub prædictâ pensione habeantur. INNOCENTIUS III. utroque audito, liberam ab Episcopo judicat prædictam Ecclesiam propter concessionem à Lavitano sub pensione factam, quam legitimam probat ex usu Ecclesiæ Romanæ, quæ in Locis, quæ ab Episcopo eximit, in signum concessæ libertatis Censum sibi reservare solet. Hæc Decisio restringenda ad Casum, in quo modicus est Censum, aliâ Simoniacâ faveret, vel ad Casum, in quo Censum constitutus est ob solam Jurium Temporalium Cessionem.

In 3. Idem INNOCENTIUS III. Abbatem Prilatensem condemnat, ad quartam Decimarum Episcopo Cæsar-Augustano, ratione duarum Ecclesiarum, in istius Diocesi constitutarum solvendam, aliaque Jura Episcopalia præstanda, idque quia Episcopus iste has Ecclesias in Diocesi suâ constitutas probaverat.

In 4. Idem INNOCENTIUS III. C. 17. De Privil. Abbatem Evasem vel Evasmenfis Cœnobii condemnat, ut Synodo Episcopi Wigorn interfit, & consueta Jura solvat, ratione Ecclesiarum, quas ille in istius Diocesi possidet; idque, quia in Privilegiis huic Cœnobio à Summis Pontificibus concessis, utrumque Episcopo conservatur.

REGULA V.

Temporalis à Jure concessa Regularibus Exemptio, omnia Episcopo debita Temporalia Jura non comprehendit.

REGULA VI.

A procurando Episcopo Visitante Monasteria à nullo Juris Textu eximuntur; sunt è contrâ Non-

nulla, qui Juri huic Subjecta expressè declarant.

Prior Regulæ Pars probari nequit, nisi refutatione eorum, quæ contrâ illam opponi possunt; quale nullum occurrit, nisi C. 28. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo GREGORIUS permissum Episcopo declarans, ut, quoties voluerit, Monasteria visitet, præcipit, ut sic Charitatis officium impleat, ut hinc nullum gravamen incurrant; sed frustra hic Canon opponeretur, cum debita propter justam Visitationem Procuratio, gravamen dici nequeat.

Non diffidendum tamen ex C. 17. De Censibus conijci posse, aliquod à Jure concessum Monachis visitantem Episcopum non procurandi Privilegium; cum in illo INNOCENTIUS III. dicat, omnes ad Visitantem procurandum teneri, nisi speciale habeant Privilegium.

Verum quidem est, *cit. Cap.* loqui de Legatis, Nuntiisque Sedis Apostolicæ: sed cum sit eadem ratio erga omnes Visitatores, nempe debere metere Carnalia, qui Spiritualia feminant, ut hic dicitur; neminem debere suis militare stipendiis, ut legere est C. 16. De Præscript. Quod de Nuntiis C. 17. De Censibus dicit, ad alios Visitatores optime extenditur; Porrò hinc aliud nihil colligi potest, nisi, per Privilegium eximi ab hoc Jure nonnulla Monasteria, undè non sequitur Exemptionem hujusmodi à Jure datam esse.

Posteriorem Regulæ Partem probat C. 14. De Censibus, in quo LUCIUS III. Archiepiscopo scribens circâ an. 1181. ait, se Monasteria Bononiæ condemnasse ad solvendas ipsi Archiepiscopo illa Visitanti, dum Provinciam visitat, Procuraciones, idque se fecisse, quia intentio Archiepiscopi fundata sibi visa Jure Communi & Consuetudine, quæ tùm alia Monasteria Provincia Procuraciones prædictas præstabant, tùm Monasteria Bononiæ Prædecessoribus illius eandem exhibere solebant.

Eandem, quoque probat C. 21. Eod. Tit. De Censibus, in quo INNOCENTIUS III. scribens Priori S. Stephani circâ an. 1212. decidit, Episcopo remittente omnia, quæ Monasterio imposita sunt vel imponi possunt, Servitia, seu Jura Temporalia, Procuracionem ratione Visitationis debitam non esse remissam; idque, quia Visitationi annexa est Procuratio, & ad Visitationem causâ Correctionis tenetur Episcopus.

Idem facit C. 16. De Præscript. In illo enim idem INNOCENTIUS Episcopo Parisiensi scribens circâ annum 1212. definit, Monasterium S. Maglorii Archiepiscopo Senonensi Provinciam suam Visitanti Procuracionem debere, etsi Archiepiscopi Prædecessores nunquam exegissent, nec Monasterium solvisset, Definitionis suæ causam affert, Procuracionem contrâ Visitantem præscribi non posse.

Idem colligitur ex C. 24. De Censibus, in quo HONORIUS III. Episcopo Cenomanensi Procuracionem adjudicat contrâ Conventum de Cultura, idque etsi nunquam solvisset & in Civitate Cenomanensi constitutus esset; ad hoc motus, quod Exemptionis Privilegium nullum exhiberet.

REGULA VII.

Duo alia extant Temporalia Jura, quæ eodem loco habentur, quo Procuraciones, quæque Episcopis à Monachis pariter debentur. Prius est, si Consuetudine introductum sit, ut in Monasteriis gratis excipiantur ad Charitatis pabulum. EXTRA-VAG. I. De Censibus §. hujusmodi, de hoc jure loquitur. Posterius est, ut Moderativum, sive Charitativum Subsidium, à Monasteriis petere possint, tam ex Privilegio, vel Consuetudine, quam de Jure. *ibidem* §. Præmissis.

REGULA VIII.

Non obstante Regularium in Temporalibus Exemptione, Censum tempore Fundationis, vel tempore Concessæ ab Episcopo Libertatis, Monasterio impositus, eidem debetur.

Prior Casus infertur ex C. 21. De Censibus, in quo videre est, Episcopos Faventinos, ab Ecclesia S. Stephani ad Moniales pertinente, spallas consuevisse exigere, quod jus in Fundatione impositum verisimile.

Spallæ

Spallæ autem nomine intelligitur armus vervecinus vel bovinus; hic autem in Domini signum à Dominis aliquem fundum in feudum dantibus reservari solebat. Infertur, quoque ex *Cap. 30. CAUS. XVIII. QUÆST. II.* in quo PELAGIUS præcipit, sit quæ tempore Fundationis, vel Dedicationis Monasterii, Episcopo reservata sunt, solvantur, nec aliud, quidquam ab illo exigatur.

Posterior Casus in *C. 6. De Religios. Domibus*, eo modo, quo suprâ expositum est, habetur.

REGULA IX.

Quod de Censu tempore Fundationis reservato dictum est, ad alia Jura eodem tempore reservata extendendum est; Idem dicendum de Jure, quod reservato in Fundatione Juri subrogatum est.

Prior Pars habetur in *C. 30. CAUS. XVIII. QUÆST. II. mox citat.* in quo à PELAGIO jubetur, ut si constet, tempore Fundationis medietatem Oblationum, quæ Dedicationis, vel Natalis Martyrum die, quorum Reliquiæ sunt in Monasterio, sunt, Episcopum sibi reservasse, medietas hæc eidem detur.

Posterior legitur in *C. 21. De Censibus mox etiam Cit.* in quo Cereus trium Librarum subrogatus, in locum spallarum, quas in Fundatione reservatas fuisse præsumere licet, Episcopo solvendus dicitur.

REGULA X.

Quæ ratione Sepulture Monasteriis feruntur, à Jure Paræciali, vel Episcopali, libera non sunt; Idem de Oblatis ab eo, qui in agritudine Monasterium ingressus, ex illâ decedit.

Passim Tit. de Sepultur. sed præcipuè. C. 2. 4. 8. 9. 10.

REGULA XI.

Ratione speciali ab eadem Exemptione excipiuntur Decimæ.

Patet Regula ex eo, quod Jus Decimarum habetur quodammodo Divinum, quod de aliis Juribus ab hac Exemptione exceptis dici non potest, cum merè Humana censeantur, undè, ut à Decimis eximerentur, non sufficiebat generalis Exemptio, eam etiam ob rem à Decimis Speciali Indulgentiâ Exemptio Regularibus concessa est.

REGULA XII.

A Temporalis, Regulari Exemptione non alia excipiuntur Jura, quam quæ memorata sunt suprâ.

Regula patet ex eo, quod generalis sit Exemptio. *C. 5. CAUS. XVIII. QUÆST. II.* Exceptiones autem nullæ in Corpore Juris leguntur, quam memoratæ.

Non obstat *Cap. 21. De Censibus*, in quo Episcopus Faventinus promittens alia Jura Monasticæ Ecclesiæ non imponere, insinuat, se id posse; nam præterquam quod rei debitæ remissio promitti potest, INNOCENTIUS III. in fine Capituli docere videtur, Episcopum à Monasterio aliud exigere non posse, quam pensionem prædicto tempore reservatam & Procuraciones.

Addè, quod, si præter expressè præmissa, alia Jura pro voluntate exigere possent, Regularibus Exemptio sua non prodesset, cum novorum Jurium impositione, tantum ab iis excipi posset, quantum est illud, quo eximuntur.

REGULA XIII.

Et si Temporalis Exemptio Regularibus sit à Jure concessa, peculiari tamen Privilegio nonnullis à Sede Apostolica concessa est, vel potius confirmata. *C. 5. De Excess. Prælat.*

REGULA XIV.

Prædicta Exemptio non impediatur, quominus ab Episcopis Oeconomi constitui possent in Monasteriis.

C. 3. CAUS. XI. QUÆST. III. in 7. Synod. an. 787.

RATIO. Vi Exemptionis Temporalis Regularibus licere videtur inconsulto Episcopo alienare.

Colligitur Regula ex *Clemantina 1. De Rebus Ecclesiæ alien.* in qua CONCILIUM VIENNENSE permittens Prioribus vel Administratoribus, poscente Prioratum vel Administrationem necessitate, vel utilitate, Terras in feudum dare, non ad aliud illos astringit, nisi ut Conventus sui, si habeant, vel si careant, proprii

Prælati, id est Abbatis assensum obtineant. *Vide GLOSSAM in Verb. proprii.*

Nec dici potest, Concilium loqui de Exemptis tam in Spiritualibus, quam in Temporalibus; nam Concilium indistinctè loquitur, ac præterea Exemptio in Spiritualibus Temporalem Exemptionem non auget.

Colligitur quoque Regula ex *C. 11. De Reb. Ecclesiæ alien.* in quo INNOCENTIUS III. scribens Episcopo Mauriensi in Sabaudia præcipit, ut infeudatio facta in enorme Monasterii dispendium rescindatur, non aliam exprimens rescissionis causam, quam lesionem enormem, licet Episcopi autoritas non intervenisse videatur, cum de illius intervntu nulla fiat mentio.

Nec dici potest, quod Monasterium, de quo ibi, forsitan Exemptione Spiritualis gaudebat, cum, ut dictum est, major non fiat indè Temporalis Exemptio.

Colligitur etiam ex *C. 1. De Reb. Ecclesiæ alien.* in quo, circa alienationem Bonorum ad Ecclesias sibi Subjectas pertinentium, parem, ac Episcopus in suis, potestatem habere Abbas supponitur. Colligitur etiam ex *C. 2. De His, quæ sunt à Præl. &c.* quod declarat ratam esse alienationem ab Abbatissâ, Conventu sciente, & non contradicente, factam.

Non obstat Regula *C. 40. CAUS. XVII. QUÆST. IV.* in quo Concilium Agathense permittit Episcopis, ut revocent factas sine ipsorum licentia vel noticia per Abbates Monasticorum Bonorum alienationes: cum Concilium hoc Temporalem Regularium Exemptionem præcesserit, celebratum enim fuit ann. 506. Exemptio verò ann. 524. incepit; adde, quod fortè in Gallia nondum recepta erat hæc Exemptio.

REGULA XV.

In Canone nihil est, quod ostendat Monasteria Mulierum sub Temporalis Regularium Exemptione non comprehendi; est contra aliquid, ex quo colligi possit contrarium.

Prior Pars probari nequit nisi refutatione eorum, quæ objici possunt, qualia nulla occurrunt; Posterior patet ex eo, quod nonnulli Canones indistinctè loquantur, atque etiam in favorabilibus sub nomine Monachorum Moniales comprehenduntur, quia favores sunt ampliandi.

REGULA XVI.

Jam ab aliquot Sæculis Temporalis Regularium Exemptio, multò minùs utilis est, quam antea erat.

Infertur ex eo, quod à Sæculo XIII. plerisque in Locis abrogata sunt nonnulla Episcopalia Jura, qualia sunt Tertia, vel Quarta, vel Medietas Oblationum, sive in Altari fierent, sive extrâ, Cathedriticum, Synodaticum, Denarius Christnatis, aliaque similia.

REGULA XVII.

Temporalis Regularium Exemptio cum Spiritualis eorundem Exemptione, prout utraque à Jure conceditur, convenit in eo, quod utraque plura Jura Episcopo demit: differt verò in eo, quod Jura, quæ Spiritualis Exemptio aufert alii Episcopo, vel Metropolitanò, vel Primati, vel Papæ tribuit; quæ verò Temporalis demit, neutri illorum tribuit; differt quoque Spiritualis à Temporalis in amplitudine, quæ in istâ major, quam in illâ, cum Temporalis omnes Regulares spectet, Spiritualis verò, nonnullos; Pauci à Temporalis excipiuntur Articuli; per Spiritualem pauci concedantur.

Prior Comparationis Pars patet ex dictis; Posterior ex dicendis patebit.

REGULA XVIII.

Utraque Exemptio in eo etiam convenit, quod extrâ Casus à Jure concessos, Exemptis incumbit probatio; in istis verò, Episcopo, si in his sibi Subjectos prætentat.

Colligitur ex *C. 4. De Confir. util. &c. C. 8. De Relig. Dom.*

De Spirituali Regularium Exemptione ab Episcopi Jurisdictione.

REGULA I.

Jure Communi quoad Spiritualia Episcopi Jurisdictioni

dictioni subsunt Regulares; sive ad Munera Clericalia, sive ad Vitam Laicam fuerint instituti.

Concilium Arelatense ann. 554. supponit, Monachos quoscunque subesse Episcopis, dum indistinctè dicit, *Monasteria vel Monachorum Disciplina ad eum pertineant Episcopum, in cujus sunt Territorio constituta.* Referuntur hæc verba C. 17. CAUS. XVIII. QUÆST. II.

Regula patet quoad Prius Regularium genus ex C. 4. 10. 12. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quibus PASCHALIS II. CALIXTUS II. *Concilium Calcedonense* vetant Monachis ad Sacerdotium Promotis, ne ullum circa Populum sacrum Munus obeant, nisi ab Episcopis facultatem acceperint.

Patet etiam quoad Posterius Regularium genus ex Cap. 6. 7. *Ead. CAUS. & QUÆST.* in quibus dicit HIERONYMUS de Monachis, quod pascantur ut Oves, quòd sine Presbyterorum Concilio nihil Monachis agere liceat, quòd si delinquerint, possunt Presbyteri illos Satanæ tradere. Patet etiam ex eo, quòd S. GREGORIUS C. 2. DIST. LXXXIV. docet, Episcopos debere Monasteriorum sollicitudinem gerere. Idem ferè habetur C. 1. *Ead. DIST.* Patet quoque ex C. 10. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo *Concilium Calcedonense* eadem penâ pleçit Monachos, ac Laicos similiter delinquentes, aliâ prius contra Clericos propter eandem culpam penâ statutâ.

REGULA II.

Antè Privilegia quibusdam Regularium generibus concessa, Regularis Status neminem ab Episcopi Jurisdictione eximebat.

Colligitur Regula ex eo, quòd sine Episcopi consensu nullum vitæ Regularis genus institui poterat. C. 13. CAUS. XVIII. QUÆST. II. nec Monasterium construi. C. 10. 12. *Ibidem* id prohibentibus *Concilio Calcedonensi & Agathensi.*

Colligitur quoque ex eo, quòd Abbates in Episcoporum Potestate consistebant; si quid extra Regulam facerent, ab Episcopis corrigebantur; Vocati ab Episcopo semel in anno, in Loco ab eodem Episcopo electo conveniebant; C. 16. *Ead. CAUS. XVIII. QUÆST. II. E Concilio Aurelianensi* an. 511. celebrato desumitur.

Patet demum ex natura Status Regularis, qui cum sit humiliationis, subjectionis, obedientiæ Status, Monachos obligat, ut sive sint Clerici, sive Laici, cæteris magis Subjectos Episcopo sese exhibeant.

REGULA III.

Antè Sæculum VI. Spiritualis Regularium Exemptionis nullum in Jure extat vestigium; hoc autem Sæculo, aliisque sequentibus multiplex conceditur.

Patet Regula ex eo, quòd antiquior Canon circa hanc rem fit in C. 4. CAUS. XVIII. QUÆST. II. desumptus ex Epistolâ PELAGII ad Mellitum Subdiaconum scriptâ circa annum 557. In illo enim PELAGIUS permittit Monachis, ut inconsulto Episcopo, Abbatem suum eligant, nec dici potest, id ad illos Jure Communi pertinere, cum Monasteria Pars sint Ecclesiæ, ad quam regendam Episcopi à Spiritu Sancto positi, ideòque officiorum, quibus præcipuè reguntur, distributio ad Episcopos pertinere debet. En prima omnium Exemptionum Spiritualium, de quibus mentio fit in Corpore Juris.

Secunda est in C. 11. DIST. XVIII. in eo sita, quòd Abbates ad Synodum Diocesanam non vocentur, nisi subsit rationabilis causa: ejusdem meminit etiam GRATIANUS post *Can. fin. QUÆST. II. CAUS. XVIII.* desumit dicitur è *Concilio Turonico* celebrato an. 570. at nullum est hujus anni Concilium Turonicum & in *Can. 2. Conc. II.* hujus nominis, quod habitum est an. 567. ne verbum de hæc Exemptione.

Tertia est in C. 7. CAUS. XVIII. QUÆST. II. desumpta ex Epistolâ GREGORII *Secundino* Episcopo scriptâ an. 593. illo in Capite GREGORIUS prohibet, ne in Monasteriorum Ecclesiis Baptisterium construat, præcipitque, ut quæ ibidem constructa jam fuerunt, destruantur, Destructorumque loco Altare ad celebranda Mysteria fundetur.

Quarta legitur in C. 3. & 6. *Ead. CAUS. & QUÆST.* desumptis ex Epistolâ GREGORII ad Castorium Ariminensem scriptâ circa an. 595. In priore GREGORIUS post

innovatam Abbatem eligendi facultatem, prohibet, ne in Monasteriis Publicæ Missæ fiant per Episcopum, vel per Clericos; In posteriore eandem repetit prohibitionem.

Quinta, sexta, septima in eodem Cap. 6. repèriuntur: In hoc autem positæ sunt, ut Episcopus in Monasteriis non audeat Cathedram collocare, scilicet ad prædicandum, nec imperandi exercere potestatem, Constitutionibus videlicet Regulæ contrariis Vitæque Monasticæ C. 17. CAUS. XVI. QUÆST. I. in quo Concilium Calcedonense Monachis vagari prohibens, excipit illos, qui ab Episcopo aliquid injunctum habent, vel Mandatis, quæ è Monasterio Monachos exire cogant, de quibus nec levissimam Ordinationem non rogatus ab Abbate facere, nimirum Monachos etiam ad Ordines Minores promovendo.

Quam addit GREGORIUS Ratio, nempe quatenus Monachi semper maneant in Abbatum suorum potestate, ad sextam & ad septimam pertinet, quia & Constitutionibus & Præceptis & Ordinatione Monachi extrahi possunt, Abbatum potestate, Octava est in C. 5. *ejusdem CAUS. & QUÆST.* in quo *Concilium Lateranense* sub GREGORIO I. an. 601. celebratum post innovatas & explicatas primam & sextam Collectarum hic Exemptionum, prohibet, ne, invito Abbate, vel sine illius testimonio & concessione Monachus ullus assumatur, sive ad ordinanda alia Monasteria, sive ut teneat aliquem in Ecclesiâ locum, atque ad aliquem promoveatur honorem. Primam autem Exemptionem explicat ibi *Concilium*, dum ait, *Defuncto Abbate Congregationis, non Extraneum sed Fratrem, quem propria voluntate Concors Fratrum Societas elegerit eligendum, Electumque sine dolo & venalitate Ordinandum: quod si aptam inter eos Personam non invenerint, de aliis Monasteriis simili modo eligant Ordinandum.*

Septimam etiam explicat his verbis, *Pariter custodiendum est, ut, invito Abbate, nec ad Sacros Ordines, nec ad Clericatus Officium tolli exindè Monachi debeant.*

Non præmittendum, Primam Exemptionem non ubique servatam videri, nam *Concilium Toletanum* IV. an. 633. C. 1. CAUS. XVIII. QUÆST. II. Episcopis, quos sub nomine Sacerdotum intelligit, præscribens, quid in Monasteriis sibi vindicare possint vel non, inter ea, quæ possunt Abbatum, aliorumque Officiorum Institutionem recenset; sed dici potest, per Institutionem aliud intelligere, quam Electionem, cum expressè significet, se nolle aliud Episcopis concedere, quam quod Canones præcipiunt; atqui, ut ostensum est, Canones Abbates suos eligendi, facultatem Monachis reservant.

Secundam Exemptionem non servatam probare non licet ex C. 16. CAUS. XVIII. QUÆST. II. in quo *Concilium Aurelianense Primum* præcipit Abbatibus, ut semel in anno conveniant in loco, in quo ab Episcopo vocabuntur; nondum enim concessa erat hæc Exemptio, cum Concilium Aurelianense celebratum dicatur an. 511. Turonicum verò an. 570.

Contemptam tamen interdum, pluribus saltem in locis, fuisse conjicitur ex eo, quòd Apostolica Sedis Indulgentiâ egerint Cistercienses, ut ad Synodum hæc non cogentur. Colligitur hæc Conjectura è *Cap. 3. De statu Regul. Collect. 2.* in quo ALEXANDER III. scribens omnibus Episcopis, Cistercienses ipsis commendans, rogat, ut contra antiquam Consuetudinem & Libertatem huic Ordini ab Ecclesiâ Romanâ concessam, ad Synodum Conciliumque ire non cogant. Infra hæc Exemptionis hujus causa fuisse videtur Episcoporum avaritia, qui, cum aliquot nummos exigent ab his, qui Synodò aderant, ut simile lucrum ab Abbatibus perciperent, ad Synodum cogebant.

Abrogatam hanc Exemptionem ab INNOCENTIO III. infertur ex C. 9. *De Maj. & Obed.* dum ait, ab Episcopo per Censuras compelli posse Abbates sibi Subditos, ut ad Synodum veniant, *Tancredus in illud Caput* ad Abbates Populum habentes illud restringit, INNOCENTIUS è contra indistinctè loquens, hanc restrictionem damnare videtur; præterea vel *Tancredus* loquitur de Abbatibus Animarum curam per se exercentibus, vel de Abbatibus per alios ipsam curam exercentibus: si de istis, ad Synodum cogere sufficeret illos, per quos cura exercetur;

fi de illis, Constitutio INNOCENTII vana erit, quia non extant hujusmodi Abbates; fatendum tamen, Tancredum de Abbatibus, qui per alios Curam exercent, intellectum defendi posse, cum Abbates hujusmodi sint veluti Principales Rectores, eoque modo considerati de Oribus Primo Dicecesis Pastori rationem reddere debent ideoque Synodo, in qua hæc ratio redditur, interesse.

REGULA IV.

Memorata hæc Exemptiones non impediunt, quin Jurisdictionem in Monasteria retineat Episcopus. C. 2. De Relig. Dom.

REG. RATIO. Exceptiones sunt prædictæ Exemptionis; Exceptiones autem firmant, non destruunt Regulam.

REGULA V.

Quandiu in prædicto statu remansit Spiritualis Regularium Exemptio, Conservata in illos Jurisdictionis Episcopalis Insignia exitere Vestigia: Abbatum Correctio, illorum Depositio, vel voluntaria abdicatio's Authorisatio.

De Correctionis jure fit mentio in C. 1. CAUS. XVIII. QUÆST. II. De jure deponendi sermo fit C. 15. *ibidem*.

De Resignationis admittendæ facultate loquitur C. 9. *ibidem*.

REGULA VI.

Circà Ecclesias saltem Parochiales ad Regulares pertinentes, nullus est Juris Textus, qui illas ab Episcopi Jurisdictione eximat.

Non Obstat C. 1. CAUS. XVI. QUÆST. II. in quo JOANNES VIII. prædictarum Ecclesiarum Regularibus Institutionem concedere videtur his verbis: *Monachis licentiam damus suarum Ecclesiarum Investitores fieri, id est, Institutores; nam vel loquitur JOANNES de Ecclesiis, in quibus ipsi Monachi Divina Officia pro se ipsis solis celebrabant, quod inferre licet ex eo, quod loquatur de Ecclesiis pro Quietate Monachorum ipsis concessis; vel per Institutionem, Præsentationem intelligit, quod colligere fas est ex eo, quod solum præsentandi jus sufficit ad vitanda incommoda, propter quæ Monachis instituendi facultatem concedit, nempe, ne, si ab Episcopo præficiantur Ecclesiarum Rectores, pro Episcopo stent contra Monachos, istis Insuper noceant; vel de Ecclesiis, quibus nulla Animarum cura annexa est, qualia sunt Oratoria, Capellæ Rurales.*

Confirmatur hujus Capituli expositio ex C. 11. CAUS. XVI. QUÆST. I. & ex C. 6. CAUS. XVI. QUÆST. II. In Priore ALEXANDER II. an. 1067. nonaginta annis post relatum JOANNIS VIII. Constitutionem, quæ est anni 876. à Prædicatione Populorum abstinere Monachis præcipit, quæ inter Munera, circà Animarum Curam minimum est; si ergo Monachis animarum Curæ sese immiscere etiam in minimis non permittebatur, quomodo ipsis concessum esset, ut plenam illarum Curam Presbyteris Ecclesiarum Parochialium committerent?

In Posteriore URBANUS II. an. 1095. clarè docet à Jure non permitti Monachis Animarum curam committere, dum ait, *Sanè, quia Monachorum quidam Episcopis suum jus auferre contendunt, statuimus, ne in Parochialibus Ecclesiis, quas tenent, absque Episcopi consilio Presbyteros collocent, sed Episcopi Parochie Curam cum Abbatum consensu Sacerdoti committant;* nam URBANUS II. Usurpatores Episcopalis Juris non vocaret Monachos, qui, inconsulto Episcopo, Parochiis providebant, si à Jure talis facultas ipsis concessa esset, nec etiam eo casu quidam tantum id egissent, sed id commune fuisset omnibus; honorem hujusmodi Monachi alii non neglexissent.

REGULA VII.

Si JOANNES VIII. circà Parochiales Ecclesias Monachis concessas, Monachos ab Episcopi Jurisdictione exemisset, Exemptio hæc abrogata fuisset ab URBANO III. C. 1. De Capel. Monach.

Patet Regula ex lectione Cap. Hæc enim in illo ha-

Hæc sunt, quæ adjicienda duximus Tractatui de Privilegiis, tam ad explicandum jam dicta, quæ Explicatione egebant, quam ad colligendum, quæ ex ipso Corpore Juris colligenda supererant, ut utroque augmento neque obscurus, neque mancus permaneret.

FINIS.

INDEX

bet URBANUS In Ecclesiis, ubi Monachi habitant, Populus per Monachos non regatur: sed Capellanus qui Populum regat ab Episcopo, per consilium Monachorum, instituitur: ita ut ex solis Episcopi arbitrio, tam Ordinatio ejus, quam Depositio, & totius vitæ pendeat Conversatio.

Relatum Caput, est Pars Capituli 1. Collect. 1. Eod. Tit. dicitur ibidem conditum in Concilio Claromontano, (celebratum autem est hoc Concilium ann. 1095.) Animarum curam ad Episcopum ita pertinere sensit hoc Concilium, ut plenam in Presbyteros Parochiales Potestatem ipsi tribuerit, atque in hoc uno illam restrinxit videretur, quod ad illorum Institutionem obligaret Episcopum, ut Monachorum consilium requireret.

REGULA VIII.

Exemptio circà Spiritualia nulla est, quæ sit à Jure concessa communiter omnibus Regularibus ab Episcopi Jurisdictione.

REGULA IX.

C. 1. DIST. LXIX, C. 11. De Ætat. & Qual. & Ordine Presb. Abbatibus Benedictis & aliunde Presbyteris indultum est, ut Lectores manus impositione facere possint in proprio Monasterio; quæ postrema verba, Exemptionem ad Monachos ejusdem Monasterii restringunt.

REGULA X.

C. 11. de Ætat. & Qual. Iisdem indultum quoque est, ut per Tonsuram, quam Laicis ad Monasteria Convolantibus faciunt, Clericalis Ordo conferatur.

REGULA XI.

C. 3. De Privil. in VI. Extendit illorum Abbatum Exemptionis Privilegium ad illos, in quos Jurisdictionem habent Episcopalem:

REGULA XII.

Revocatur, quoad hanc extensionem, à Concilio Tridentino C. 10. SESS. XXIII. De Ref. dum restringit Privilegium ad Subditos Regulares.

Nec Obstat, quod de Abbatibus Jurisdictionem quasi Episcopalem Habentibus, expressam ibidem mentionem non faciat, cum sub Abbatibus nullius Dicecesis, de quibus agit, comprehendantur, idque sufficit propter Privilegii ad Jus Commune reductionem, quæ maxime favorabilis est.

REGULA XIII.

Prædicatoribus & Minoribus concessum fuerat à BENEDICTO XI. ut sine licentiâ Episcoporum in plateis, atque aibi, certis casibus prædicare possent & Confessiones audire. EXTRAV. 1. De Privileg. Si omnes ad hoc Præsentatos Religiosos rejiceret Episcopus. Posterius Privilegium à CLEMENTE V. revocatum, CLEMENS. 2. de Sepult. Prius verò à Concilio Tridentino C. 2. SESS. V. De Ref.

REGULA XIV.

De sup. negl. Abbatibus Cisterciensibus, quos Episcopus ter monitus vel rogatus benedicere negligit, indultum est, ut non Benedicti Monachos suos benedicere possint, & alia, quæ ad illud Officium pertinent, exercere, donec Episcopus illos benedicat.

REGULA XV.

Nullum Monasterium Romæ Situm Titulis Cardinalium subest, sed quodlibet nullo medio ad Romanam Ecclesiam pertinet.

C. 3. De Capel. Monach. in integra relat. in Coll. 3 C. 11. Eod. Tit.

REGULA XVI.

Jure Decretalium Exempti, etiam Sedi Apostolicæ immediatè Subditi, Episcopo subsunt quoad ea, quæ contra Hæreticos instituta sunt.

C. 9. De Hæret. §. Si qui.